Digitized by Google

B 12
2
789
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Buonamici

Digitized by Google

R° _ 12 . 2 . 783

Digitized by Google

SIGISMUNDI STORCHENAU

IN ACADEMIA VINDOBONENSI

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ

PROFESSORIS PUB. ORD.

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ

LIBER I. II.

Pallavicino

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
REPUBBLICA ITALIANA
FIRENZE

VENETIIS

Typis Andreae filiique Santini

1833

Digitized by Google

B°. 12. 2. 789.

Digitized by Google

PROLEGOMENON

IN METAPHYSICAM.

QUID METAPHYSICA?

I. *Metaphysica* est scientia, quae notiones maxime universales in examen vocando, et principia demonstrationum generalissima constituendo, accuratissimas de rebus quibusvis ideas animo informare docet.

Sch. Nominis originem docet (§. 19. logic.). Definitionis vero allatae veritas ex ipso operis totius decursu palam fiet.

QUAE EJUS PARTES?

II. Res nobis notae ad tres summas classes reducuntur, Deum, animas, et materiam, ex qua corpora mundum aspectabilem constituentia coalescunt: notiones quaedam omnibus, quaedam singulis separatim communes sunt. Quatuor inde oriuntur metaphysicae partes; *Ontologia*, in qua notiones omnibus, atque singulis communes contemplantur nominatim; *Cosmologia* eas, quae huic, aliisque mundis possibilibus; *Psycologia*, quae animabus tam humanis, quam belluinis; *Theologia*, quae Deo competunt, investigat.

Schol. Wolfii hae est partitio, hodieque ab omnibus fere melioris notae philosophis, si Dariesium demas, retinetur. Mea tamen opinione istud metaphysicae nomen sola sibi ontologia verius vindicat, reliquis partibus totidem separatas disciplinas constituentibus, quae principiis ontologicis proxime nituntur, ipsa enim sola in notiones maxime universales inquirit, generalissimaque ratiociniorum principia subministrat: haud igitur aberraverit a vero, qui cosmologiam, psycologiam, et theologiam alias reipsa esse negaverit, quam applicationem ontologiae, seu potius metaphysicae ad doctrinam de mundo, anima, et Deo quemadmodum id quoque in aliis omnibus praecipue theoreticis scientiis usuvenit. Verum utcumque res sit, ego usitatam hodie metaphysicae explanandae partitionem, ac methodum sequar.

QUIS USUS?

III. *Metaphysica servit ad alias scientias omnes et facilius et solidius condiscendas.* Qui facilius et solidius ratiocinatur, quique accuratiores de rebus, quas unaquaeque scientia suo ambitu complectitur, ideas efformare novit, is quoque quamvis scientiam

et facilius et solidius condiscit; sed ad utrumque metaphysica hominem paratiorem efficit (§. 1.): igitur et id praestat, ut quaevis alia scientia et facilius et solidius comprehendatur.

Scol. Utilitas igitur metaphysicae in omnes omnino disciplinas, in quibus aliquis ratiocinio locus est, se diffundit; certe in physicis, in moralibus, in ea quae subliiniora scrutatur mysteria, idest theologia, in jurisprudentia, in therapeutica sine metaphysicis principiis nihil recte suscipi, necque magnam fieri progressionem in aperto est, quando hae disciplinae animum in ratiociniis, principiorum generalium opecontexendis, egregie exercitatam et notionibus universalibus entis, substantiae, corporis, ejusque elementorum: tum specialioribus spiritualitatis videlicet, immortalitatis, ac libertatis animae humanae, existentiae denique, providentiaeque divinae ideis imbutum requirunt. Idem ob eamdem prorsus rationem de mathematicis, de oratoria, ceterisque artibus, quin etiam de negotiis paulo gravioribus in humano commercio occurrentibus affirmari verissime potest, ut viri harum rerum peritissimi non diffitentur.

Universim denique sine metaphysicae adiumento nemo ullus cognitionem profundam, solidamque sibi comparabit: qui enim in metaphysicis rudis est, destituitur certis, ac indubitatis principiis distincte cognitis, ad quae judicia sua et ratiocinationes revocet. Jure igitur optimo summis encomiis ab eruditis extollitur metaphysica, jamque *Philosophia Prima* jam *Principium et omnium scientiarum fundamentum*, jam *Scientia universalis*, aut denique *Scientia* per excellentiam compellatur.

At enim non omnibus hae probatur. Sunt, qui mallent nobilissiman hanc scientiam, totique humano generi maxime proficuam ex orbe ipso exulare. Duplex horum hominum genus est: alii vanissimis eam subtilitatibus refertam, neque ad aliud, quam ad inanes ingeniorum otiosorum partus edendos, atque ad alendas inter sapientes discordias natam clamitant; inde quidquid futile, vanum, ac inane in hominum ratiociniis deprehendunt, metaphysicae tribuunt, illud sibi familiare perpetuo occinentes; *haec ad metaphysicationes referenda sunt;* quo vocabulo, nescio, quod monstrum biceps se denotasse arbitrantur. Hi quidem tolerari aliqua possent ratione, si veterem peripateticorum metaphysicam carperent; hodie vero nequaquam, cum ea scientia a summo perfectionis apice proxime abesse videtur. Sed quid jam obtrectatoribus hujusmodi respondeas? nihil certe accommodatius trito illo: *Ars osorem non habet nisi ignorantem;* nam id

genus homines metaphysicam vix summis degustarunt labiis. Si tamen doceri velint, dicendum: metaphysicae subtilitates in eo solum consistere, ut quodvis cogitationi objiectum ex omni parte, ac sua omni possibili ad alia relatione acute expendatur; ut notae ab individuis objectis per abstractionem separatae seorsum attente explorentur: ut denique quid quaevis idea simile, vel dissimile cum altera contineat, accurate pervideatur, quibus in rebus summum est solidam eruditionem comparandam momentum.

Periculosum metaphysicae studium esse, ipsiusque castissimae Religionis fundamentis ruinam minitari conqueruntur alii: asserti rationem inde petunt, quod ab eo fere tempore, quo disciplina haec magis excoli caepit, perditissimorum hominum numerus mirum in modum auctus sit, qui principiis metaphysicis ad impugnandam Religionem, atque ad subvertendam, quae divino nobis munere obtigit, revelationem abutuntur. Verum querela haec quantumvis ex parte aequissima, ejus est modi, ut non solum neminem, ab hoc studio arcere, sed acrioribus potius stimulis cordatiorem quemque ad id incitare debeat. Imprimis enim non est tribuendum metaphysicae, quod a malitiosa nonnullorum calliditate, aut ignorantia proficiscitur, habetque hic praecipue locum, quod Verulamius generatim de philosophia sapientissime pronunciavit: "Philosophia obiter libata a Deo abducit; penitus hausta reducit ad eumdem (*De augment. Scient.* t. 1. p. 10.)". Deinde nonne necesse est, ut iisdem, quibus in nos utuntur impii Religionis hostes, armis impetantur, utque ex iisdem principiis convincantur? Alia certe non suppetit pugnandi ratio: non hic SS. Litterarum auctoritati, non SS. Patrum testificationibus, non vetustissimis historiarum monumentis locus est; ad unum rationis tribunal ipsi provocant; hujus unius imperium se revereri, hujus unius praeceptiones se sequi profitentur; ex ratione igitur, ejusque primis principiis, quae in metaphysica evolvuntur, impugnandi, ac refutandi sunt. Quare si nulla unquam, hac certe aetate, qua pestis haec continenter latius serpit, metaphysicae studium maximo omnibus opere commendandum est: dum patria periclitarum, nemini civium integrum est otio contabescere, et abjectis armis vallum et moenia hosti prodere; an nobis ergo otiosis esse spectatoribus licebit, dum profani homines in Religionem, quae patria, vitaque ipsa unicuique nostrum carior esse debet, arma vertunt? Sed satis de metaphysicae praestantia.

Ad extremum quaeres fortasse aliquid, quae origo, quae progressio fuerit metaphysicae? quorum virorum conatibus ad eum, quo odie gloriatur, splendorem adducta sit? his prope verbo sa-

tisfaciam. Primum quidquid communem cum reliqua philosophia fortunam experta fuit metaphysica; cum ea exorta, lentisque passibus progressa; cum ea collapsa; cum ea denique post generalem in Europa litterarum instaurationem restituta, brevissimumque intra tempus maximis accessionibus aucta est (proleg. in phil.). Deinde restitutae amplificataeque gloriam praecipue sibi vindicant Cartesius, Gassendus, Leibnitius, quos Wolfius, aliique complures praestantissimi viri in hunc usque diem secuti sunt, et ut spes est, sequentur: porro horum ego nomina doctissimosque labores, ut occasio tulerit, abunde laudabo.

Digitized by Google

LIBER I.

ONTOLOGIA.

PROLEGOMENON.

QUID ONTOLOGIA?

IV. Ontologia notiones Deo, animabus, materiaeque, ac coalescentibus inde corporibus communes contemplatur (§. 2). Deus animae, materia in eo conveniunt, quod sint entia: igitur tota est in notione entis evolvenda, atque inde nuncupatur ontologia, ac vulgo definitur per *scientiam entis in genere*.

QUID IN EA PERTRACTANDUM?

V. Notio entis non rite expenditur, nisi una proprietatis illius, ac diversae species in examen vocentur; igitur in notione entis examinanda ita versari debet ontologia, ut et generales entium proprietates, et diversas eorum species distincte proponat.

VI. Porro in notibus hisce evolvendis quam saepissime demonstrationi locus est; demonstratio vero certa, ac indubitata principia postulant (§. 197. log.). Quare ad ontologiam vehementer pertinet, ut primo omnium loco in generalissima, quibus omnis denique demonstratio nititur, principia inquirat.

QUAE TOTIUS SUMMA — QUOTUPLEX ONTOLOGIA?

VII. Ex his perspicuum est, ea, de quibus ontologia agit, ad tria suprema genera revocari. Primus principia demonstrationum generalissima; deinde proprietates entium maxime universales: postremo diversae eorum species exponendae sunt: haec ego totidem sectionibus complectar.

Schol. Qui ontologiae studium parum adferre utilitatis censent, quod multi sunt, qui sine ea non spernendas interdum progressiones in aliis disciplinis faciunt, ii noverint, oportet, confusas de ente, primisque ratiociniorom principiis ideas quas vulgari facultatum naturalium usu acquirunt, constituere, quamdam ontologiam *naturalem*, quae frequentiore exercitatione exculta rudiores etiam in construendis rite ratiociniis non parum adjuvat. At istud de praestantia ontologiae *artificiosae* nihil demit: cum enim haec ideas confusas in distinctas convertat, tantum illam antecellit, quantum cognitio distincta confusam (conf. §§. 44. seq. log.).

Digitized by Google

SECTIO I.

DE PRIMIS DEMONSTRATIONUM PRINCIPIIS.

QUID PRINCIPIUM PRIMUM -- ET QUOTUPLEX?

VIII. Demonstrationem indubitatis niti principiis, atque ea inter omnes, et solas propositiones certas, ac evidentes locum habere dixi (§. 197. et cor. log.). In praesentia jam quaeritur, quaenam ex iis primo omnium loco collocari mereatur, ita, ut ad eam omnes omnino veritates reducantur; *primum* enim demonstrationis *principium* ea est enunciatio, quae omnibus veritatibus demonstrandis inservit, ipsa vero demonstrari nullo pacto potest.

IX. Veritates demonstrandae vel necessariae sunt, vel contingentes (§. 156. log.): diversa prorsus harum natura in constituendo primo principio attendi debet; ea enim efficit, ut in ipsarum analysi (§. 204. log.), progredientes in diverso quoque principio *proximo*, sive ut ajunt, *immediato* sistere cogamur. Duplex igitur principium quaerendum est, veritatum necessariarum unum; contingentium alterum.

QUAE HUJUS SECTIONIS SUMMA?

X. Cum porro unicum sit, quod quocumque in genere primum est, nequeunt duo haec principia ita esse prima, ut paris prorsus jure ac ratione utrumque hac praerogativa gaudeat: quare constituendus est inter ipsa ordo, unumque alteri subjiciendum. Tria igitur hac in sectione explananda veniunt: primum veritatum necessariarum; tum contingentium principium; denique mutua eorum relatio. Haec totidem capitibus exsequar.

CAPUT I.

De Primo Veritatum Necessariarum Principio.

QUID PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS?

XI. *Principium contradictionis* a philosophis vocatur haec enunciatio; *impossibile est idem simul esse, et non esse*: hac videlicet sublata, aut negata manifesta ponoretur contradictio (§. 114. cor. 1. log.).

NEGANDO AFFIRMATUR.

XII. *Qui principium contradictionis negat, ipsa negatione idem affirmat.* Quid principium contradictionis negat, illud falsum esse dicit, quia putat non esse verum: ergo negando principium contradictionis judicat id, quod falsum est, non posse simul esse verum, sed hoc est affirmare, saltem implicite, principium contradictionis; ergo qui principium contradictionis negat, ipsa negatione idem affirmat.

EST EVIDENTISSIMUM.

Coroll. Principium igitur contradictionis est per sese omnino certissimum, ac evidentissimum.

Digitized by Google

Schol. Idem eo quoque casu contingit, quo quis de veritate hujus enunciati solum dubitat; qui enim dubitat, assensum retinet, nec audet asserere verum, quod metuit, ne falsum sit. Jam vero, qui ita animo comparatus est, judicat utique non posse esse verum, si sit falsum, sive, quod eodem recidit, judicat idem non posse simul esse, et non esse: igitur et per dubitationem principium contradictionis affirmatur.

NON PROFLUIT EX ALIO.

XIII. *Principium contradictionis non habet propositionem priorem se, ex qua legitime proflueret.* Si esset propositio quaedam prior principio contradictionis, necesse erit, ut ea dicatur vel vera, vel falsa (§. 155. log.); sed neutrum fieri potest; si enim dicas falsam, admittis ex falso sequi verum, quod absurdum est (§. 125. cor. 3. can. 3. log.). Si autem dicas veram, id nullo jure facies, atque ego eodem jure dicam esse falsam; non praestructo enim contradictionis principio quaevis propositio poterit simul vera esse, ac falsa, aut nec vera, nec falsa: ergo principium contradictionis non habet propositionem priorem se, ex qua legitime profluat.

NON POTEST DEMONSTRARI.

XIV. *Principium contradictionis nullo pacto demonstrari potest.* Quidquid demonstratur, demonstratur vel a priori, vel a posteriori; item vel directe, vel indirecte (§§. 189. et seqq. log.); sed nullo horum modo principium contradictionis demonstrari potest; *non a priori:* requireretur enim propositio prior (§. 198. log.), qualis non datur (§. praec.); *non a posteriori*: enumeratio enim casuum singularium ab experientia cognitorum vero sensu non demonstrat hoc principium, sed aliqua solum ratione ejus veritatem declarat, modumque subministrat efformandi abstractionis ope universalem hanc enunciationem: *non directe*: haec enim demonstratio pariter exigit propositionem priorem ipsa demonstranda, debet quippe ex natura subjecti erui ratio, cur illi praedicatum conveniat (§. 199. log.); haec vero ratio semper format propositionem in praemissis ponendam, adeoque priorem conclusione, ut in exemplis loc. cit. allatis videre est. Non denique *indirecte*; cum enim omnis demonstratio indirecta in contradictione, ac proinde in ipso hoc principio innitatur (§. 201. log.), ea hoc in casu sine circulo vitioso (§. 202. log.) confici nequit: principium itaque contradictionis nullo pacto demonstrari potest.

OMNIS VERITAS NECESSARIA AD ILLUD REDUCITUR.

XV. *In analysi cujuscumque veritatis necessariae statim pervenitur ad principium contradictionis.* Cum in quavis veritate necessaria praedicatum ita subjecto conveniat, vel repugnet, ut non convenire, aut non repugnare sine contradictione nequeat (§. 156. et praec. log.), in illius analysi statim deprehendo, aliquid, si non ita esset, fore simul, et non fore; sed hoc est pervenire ad principium contradictionis, ut per se manifestum est: ergo in analysi cujuscumque

veritatis necessariae statim pervenitur ad principium contradictionis.

Coroll. Ergo etiam omnis veritas necessaria reducitur ad principium contradictionis.

Schol. In casibus singularibus res est multo clarissima: quaere exempli caussa, quare vera est haec propositio: *circulus est rotundus*, et statim deprehendes fore simul, et non fore circulum, si ea propositio falsa esset; sic quoque totum esset simul, et non esset totum, si non esset majus una sui parte; triangulum esset simul, et non esset triangulum, si haberet duos angulos obtusos; homo esset simul, et non esset homo, si ratione non polleret: continua jam, quamdiu lubet, et percurre omnes omnino veritates necessarias, semper idem experieris, nempe ubi eadem caussa, ibi idem effectus. Generatim igitur rite concludo: quotiescumque ratio quaeritur, cur enunciatio quaedam data, quae est in materia necessaria, aut impossibili, vera sit, aut falsa, nulla alia deprehenditur quam contradictio in casu opposito eventura, atque ideo quaestionem eam decidit principium contradictionis.

ET INDE DEMONSTRATUR.

XVI. *Omnis veritas necessaria per principium contradictionis demonstratur.* Omnis veritas necessaria analytice reducitur ad principium contradictionis (§. praec. et cor.): ergo etiam analysin convertendo in synthesin (§. 204. log.), omnis veritas necessaria ex principio contradictionis legitima profluit; sed omnis veritas, quae ex altera legitime profluit, per illam demonstratur, ut per se patet: ergo omnis veritas necessaria per principium contradictionis demonstratur.

PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS EST PRIMUM OMNIS VERITATIS NECESSARIAE.

XVII. *Principium contradictionis est primum omnium veritatum necessariarum principium.* Primum principium illud est quod, ipsum demonstrari nullo pacto potest, et omnibus aliis veritatibus demonstrandis inservit (§. 8.); sed principium contradictionis nullo pacto demonstrari potest (§. 14.), et omnibus veritatibus necessariis demonstrandis inservit (§. praec.); ergo principium contradictionis est primum omnium veritatum necessarium principium.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

Schol. Sunt nonnulla, quae contrariae opinionis fautores opponunt: his respondere necesse habeo: verum in tironum duntaxat commodum, quam ob causam methodum quoque in collegiis publicis usitatam sequar; quibus haec displicent, illi, omissis id genus scholiis, cum recurrerint, ad alia inoffenso pede transire poterunt. Ajunt vero:

1.) Principium contradictionis ex principio exclusi medii infertur, nempe hoc: *quodlibet est, vel non est*, infertur: ergo non est primum. ℟. *D. ant.* Principium contradictionis ex principio exclusi medii in-

Digitized by Google

fertur hoc sensu, *quod posita veritate hujus ponatur etiam veritas alterius c. ant.* hoc sensu, *quod illud demonstretur*, *n. ant.* ergo non est primum, *n. con.* Illatio demonstrationis caussa in praesenti casu fieri nequaquam potest, quin circulus vitiosus committatur; ut enim principium contradictionis ex principio exclusi medii demonstretur, debet istud ut verum assumi; jam vero nondum praestituto principio contradictionis nulla propositio potest dici vera (§. 13.): igitur praesupponendum esse principium contradictionis, quod deinde in consequente inferretur. In hoc circuli vitium omnes se praecipitarunt, qui quacumque ratione principium contradictionis demonstrare pertentarunt; exemplo sit Stroehlerus, cujus haec est argumentatio: *Esse et non esse ejusdem sunt opposita, hinc unio eorum contradictionem constituit; sed quod contradictionem constituit, est impossibile: ergo τὸ esse, et non esse ejusdem, est impossibile* (*In exammet. Wolf. p. 1. §. 3.*). In quo ratiocinio non praesupposito principio contradictionis negari potest minor propositio. Verum et alia datur illatio, eo solum fine, ut ostendamus duarum veritatem ita arcte copulatam esse, ut posita una, continuo et alia poni debeat, quod cum evenit, enunciationes illae sese mutuo inferre dicuntur. Contingit istud maxime in nostro hoc casu; nam principium exclusi medii est prima consecutio ex principio contradictionis legitime profluens, unde veritates hae immediato, et arctissimo nexu conjunguntur, ut quamprimum una ponitur, vel intelligitur, continuo altera quoque ponatur, vel intelligatur, ipsaque principia se mutuo inferant observato tamen illationis discrimine. Nempe 1. legitime sic infero: *Impossibile est idem esse, et non esse: ergo quodlibet est, vel non est*, et haec est illatio demonstrationis: 2. etiam sic legitime infero: *Quodlibet est, vel non est: ergo impossibile est idem esse et non esse* (*Phil. pr.* §§. 3. 4. 5.), et haec est illatio mutuae connexionis, per quam nihil aliud judicatur, quam arctissima harum veritatum connexio. Quod ut plenius intelligatur, accipiamus etiam principium certitudinis, sive hanc enunciationem: *Quod est, est*; et videamus praeeunte Dariesio, quomodo sese excipiant. 1. Ponatur principium contradictionis, quo nondum praesupposito nulla enunciatio proprie vera, aut falsa dici potest. 2. Jam hoc posito fingamus fieri posse, ut aliquid simul sit, et non sit, erit idem simul, et non: sed hoc repugnat Principio contradictionis jam posito: ergo sequitur quodlibet esse, vel non esse: en *principium escludi medii*: 3. Jam assumo haec duo principia, et sic argumentor: quodlibet est, vel non est (ex demontr.); sed quod est, id non simul non est (ex prin. contr.); ergo quodlibet, quod est, est; en *principium certitudinis*, quod alii sic efferunt: *Quodlibet, dum est, certo est, vel necessario est.*

2.) Propositio pura prior est propositione modali: sed principium contradictionis est propositio modalis (§. 96. log.): ergo aliqua pura propositio prior est principio contradictionis.

℟. *d. M. in ratione duntaxat propositionis,c. M. in ratione principii, n. M. con. m.* et *d.* eodem modo *cons.* Dupliciter hoc loco propositio spectanda est: primum, ut est duntaxat aliqua propositio constans subjecto, praedicato, et copula: deinde ut est enunciatio serviens ad demonstrandas alias, sive ut est aliarum principium. Jam vero, etsi in priori sensu propositio pura sit prior modali, cum nostra saltem cogitatione prius sit rem esse, quam certo modo esse, non tamen pura propositio hoc ipso prior est modali in ratione principii, nisi haec per illam actu demonstrari possit. Quamobrem, cum principium contradictionis ex nulla alia demonstrari queat, haec propositio quantumvis modalis omnium principium agere potest.

3.) Enuntiatio negativa non servit ad veritates affirmativas demonstrandas; sed principium contradictionis est enunciato negativa: ergo principium contradictionis non servit ad veritates affirmativas demonstrandas, atque adeo non ad omnes veritates necessarias.

℟. *n. M. directe trans. M. indirecte n. M. c. m.* et *d.* rursus *con.* Sufficit ad rationem primi principii, ut ejus ope omnes veritates saltem indirecte demonstrari possint: hac enim ratione et me ipsum in iniquirenda veritate, et adversarium quantumvis pertinacem in ea communicanda convinco, dum illum eo adigo, ut vel dicta retractet, vel ipsi sibi manifeste contradicat. *Transmisi* autem unam majoris partem; nam universim loquendo falsum est, nullam umquam veritatem affirmativam per enunciationem negativam directe demonstrari posse: perinde certe est, seu una praemissarum in syllogismis directam demonstrationem ingredientibus negativa sit, seu utraque affirmativa.

4.) Principio contradictionis non videtur ulla praerogativa prae reliquis axiomatibus competere: nam aeque evidentia, ac indemonstrabilia sunt haec, quam illud: igitur vel principium contradictionis primum non est, vel si hoc, eodem jure omnia reliqua dici debent prima principia.

℟. Inter principium contradictionis et reliqua axiomata duplex est discrimen: primo nullum tanta pollet evidentia, ut per sui negationem aut dubitationem affirmetur. Deinde, tametsi ob immediatam evidentiam non admittant directam demonstrationem, possunt tamen ope principii contradictionis indirecte demonstrari, si a pertinaciori adversario in dubium vocentur. Denique et hae enunciationes non praestituto principio contradictionis nec verae, nec falsae dici possunt.

5.) Illud non est primum principium, quod rationem suae veritatis in alio habet; sed principium contradictionis habet rationem suae veritatis in alio, nempe in evidentia; nam si quaeratur, quare verum sit, respondetur, quia est evidens, ergo principium contradictionis non est primum.

℟. *d. M.* Illud non est primum principium, quod rationem suae veritatis in alio, *ut principio* habet, *con. M.* in alio, *ut principio*

rumfonte, *n. M.* et sic *d. m. n. cons.* Cum quaerimus primum demonstrationis principium, quaerimus propositionem, quae in ordine omnium propositionum evidentium prima sit, quaeque adeo per nullam antecedentem demonstrari possit, inserviat tamen omnibus aliis demonstrandis; ex quo neutiquam sequitur non posse evidentiam primo ante omnia principia loco constitui. Est nimirum evidentia abstracte cogitata quidam quasi fons omnium principiorum, cum propositiones, quibus ea sese quodam modo impertit, principio evadant; at principium vere appellari nequit nam sic abstracte considerata ad nullam demonstrationem servit. Patet igitur haec duo optime secum consistere; ut principium contradictionis et primum sit in ordine omnium principiorum, seu enunciationum evidentium, et simul rationem suae veritatis in evidentia, tanquam communi principiorum fonte, agnoscat; illud: quia per aliud principium demonstrari nequis; hoc: quia propter evidentiam verum est.

Ex his quae adhuc copiose allata sunt, intelligitur; quod sentiendum sit de celebri illo Cartesianorum principio: *Quidquid in idea clara et distincta alicujus rei cognosco, id ea de re certissime affirmare possum*. Haec nimirum enunciatio aliquem quidem inter axiomata locum meretur; at de subsellio primi principii omnino deturbanda est: imprimis enim non praestructo principio contradictionis eodem jure vera, quo falsa, aut nec vera, nec falsa dici potest, ut cuivis alteri propositioni accidit. Deinde ipsa quoque in principio contradictionis rationem suae veritatis habet, ac per illud demonstratur; nam cum quaeso verum est, quod in idea clara et distincta cognosco? Nonne, quia secus cognoscerem, et non cognoscerem? cur certissime affirmari potest de re, quod in ejus idea clare videtur? nonne, quia hoc ipso, quod clare videatur, est, et quia hoc ipso, quod sit, non simul non est? At haec omnia ex principio contradictionis fluunt: igitur et Cartesianorum principium ex principio contradictionis demonstratur. Sunt quidem et multa alia, quae contra hanc Cartesianorum opinionem pugnant; sed nolo esse longior: restat enim, ut de ipsius Cartesii principio: *cogito*: *ergo existo*: pauca dicam. Primum, ut huic quoque sua constet veritas, necesse est, ut antea certum sit non posse idem simul esse, et non esse: tum enunciatum hoc non est aptum ad omnes veritates necessarias demonstrandas: an enim ideo circulus rotundus; aut totum majus est una sui parte, quia et cogito, et existo? Denique *cogito*, *ergo existo*: est ratiocinatio enthymemate expressa, quo una praemissarum reticetur; quae si suppleatur, hic prodibit sensus: *Non possunt existere cogitationes sine subjectu cogitante*; *sed existunt meae cogitationes*: *ergo etiam ego subjectum cogitans existo*. Jam vero in hoc ratiocinio majorem ulteriori demonstratione egere manifestum est: Neque prodest quidpiam, quod cognitio nostrae existentiae sit prima ordine naturali acquisita; admitto enim, nobis ordine

Digitized by Google

naturali de rerum existentiis philosophantibus primum occurrere propriam nostram existentiam; at de ratione primi principii esse, ut sit prima cognitio ordine naturali obtenta, vehemeter nego: primum siquidem principium, cum inservire debeat ad omnes veritates demonstrandas, enuntiatio universalis sit, necesse est; enuntiatio vero universalis non potest efformari, nisi abstractionis ope a singularibus antea cognitis; unde clarum est, multas in nobis inesse cognitiones rerum singularium, antequam de principiis universalibus cogitemus.

CAPUT II.

De Primo Veritatem Contingentium Principio.

QUID RATIO SUFFICIENS, ET RATIONATUM.

XVIII. *Ratio* est id, quod efficit, ut aliquid sit ita, nec aliter, estque vel *sufficiens* cum nihil amplius requiritur, vel *insufficiens*, cum plura praeterea desiderantur, ut aliquid sit ita nec aliter. Id, cujus est ratio sufficiens, *rationatum* appellare placuit.

Schol. Assumo hic majoris claritatis, quin et aequivocationis vitandae caussa definitionem Cel. Dariesii: differt haec in vocabulis quidem, non tamen in re ab ea, quam Leibnitius, Wolfius, Boehmius, Baumeisterus, Winklerus, aliique hujus sectae patroni constituunt. Patet id praecipue ex Winklero, cum enim ait, *Rationem sufficientem esse id, ex quo intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit* explicationis gratia subjungit: *per id ex quo intelligitur, cur aliquid potius sit quam non sit, innuimus hoc, sine quo aliquid esse dicitur* (*Onc. c.* 5 §§. 47. 48.). Jam vero id, sine quo aliquid esse nequit idem, quod est, est utique idipsum quod efficit, ut illud aliquid sit ita, nec aliter. Confirmatur id quoque ex eo, quod Leibnitium rationem sufficientem aliquoties dixerit *determinantem*, quia nempe ratio sufficiens res determinat, id est, efficit, ut sint potius, quam non, hocque potius, quam alio modo. Commoda porro, quae haec definitio adfert, in sequentibus magis patebunt.

QUOTUPLEX RATIO SUFFICIENS?

XIX. Ratio sufficiens in varia genera tribuitur, est enim vel *cognitionis*, quae efficit ut aliquid ita, nec aliter cognoscatur; *sic veritas unius contradictoriae efficit, ut altera falsa esse cognoscatur*: vel *possibilitatis*, seu ut ajunt *essendi*, quae efficit, ut aliquid sit possibile: *sic concordia praedicatorum efficit, ut mundus sit possibilis*: vel *actualitatis*, seu ut dicunt, *fiendi*, quae efficit, ut aliquid existat, *ut voluntas Dei de mundi existentia*. Denique ratio sufficiens est vel *simplex*, vel *composita*; item vel *interna*, vel *externa*, vel *partim interna, partim externa*, quae per se satis nota sunt.

QUID PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS?

XX. *Principium rationis sufficientis* haec compellatur enuntiatio; *nihil est sine ratione sufficiente.*

Schol. Magni interest ad veritatis consecutionem effati hujus potestatem quam accuratissime determinari: eum in finem observo; praedicatum, quod in propositione quacumque subjecto cum veritate tribuitur, ipsi vel essentiale esse, vel praeter essentiam competere: si primum, ratio hujus convenientiae quaerenda est in principio contradictionis: secus enim esset, et non esset hoc subjectum (conf. §. 15.); si alterum, necesse est, ut sit aliquid, in quo ratio contineatur, cur hoc praedicatum huic subjecto praeter essentiam conveniat, seu quod idem est, necesse est, ut sit aliquid, quod efficiat, ut hoc praedicatum huic subjecto praeter essentiam conveniat. Ex his facile patet legitimam hujus enunciati: *Nihil est sine ratione sufficiente*: significationem aliam esse non posse, atque hanc: *Quotiescumque praedicatum quoddam alicui subjecto praeter essentiam vere tribuitur, adesse debet ratio sufficiens, quae efficiat, ut hoc praedicatum huic subjecto conveniat.* Sensus hic videtur ad mentem Leibnitii maxime accomodatus esse; cur enim is principium hoc saepius vocat *principium convenientiae*? Nonne, quia rationem reddit, cur hoc, vel illud subjecto cuidam conveniat, vel non conveniat?

Jam vero enuntiatio haec ita intellecta non potest non esse verissima, per se evidens, atque adeo verum axioma: possem igitur Leibnitii exemplo illius demonstratione omnino supersedere, atque ad casus duntaxat singulares, ac experientiam provocare; quia tamen sunt nonnulli, qui ejusdem claritate se perstringi inficiantur, eamque ob caussam, ut sibi demonstretur, postulant, petitioni huic aequae, aut iniquae satisfaciam.

NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE.

XXI. *Nihil est sine ratione sufficiente*, id est, *cum praedicatum subjecto praeter essentiam vere tribuitur, debet esse aliquid, quod efficit, ut hoc praedicatum huic subjecto conveniat.* Si nihil esset, quod efficeret, ut posita in hypothesi praedicatum a conveniat subjecto b, etiam nihil esset, quod efficeret, ut in eadem hypothesi contradictorium praedicati a nempe non a non conveniat subjecto b; sed si nihil esset, quod efficeret, ut in dicta hypothesi contradictorium praedicati a non conveniat subjecto b, tum posset contradictorium praedicati a, seu non a in eadem hypothesi subjecto b convenire, quod cum principio contradictionis pugnat: ergo cum praedicatum a convenit subjecto b, debet esse aliquid, quod efficit, ut praedicatum a subjecto b conveniat, sive nihil est sine ratione sufficiente.

Coroll. Quidquid subjecto alicui cum ratione sufficiente tribuitur, illud eidem praeter essentiam competat, necesse est.

Schol. Juverit demonstrationem praesentem non nihil amplius illustrare. Imprimis quod ad majorem: ea omnino certa, ac evidens

Digitized by Google

est; nam illud, quod efficeret, ut non *a* subjecto *b* non conveniat, esset illud ipsum quod efficeret, ut *a* subjecto *b* conveniat, sicut si aliquid efficeret, ut non existentia huic mundo non conveniat, illud ipsum efficeret, ut existentia huic mundo conveniat: ergo si nihil est, quod efficit, ut *a* conveniat τῷ *b*, etiam nihil est, quod efficit, ut non *a* non conveniat τῷ *b*; ita si nihil esset, quod efficeret, ut existentia conveniat huic mundo, etiam nihil esset quod efficeret, ut non existentia non conveniat huic mundo. Jam ad minorem: si nihil est, quod efficit, ut non *a* non conveniat τῷ *b*, tum poterit utique non a τῷ *b* convenire; quemadmodum, si nihil esset, quod efficeret, ut non existentia mundo non conveniat, poterit eodem jure non existentia mundo convenire; et poterit quidem non *a* τῷ *b* convenire sub eadem hypothesi, qua nimirum ponitur ipsum a τῷ *b* convenire; dicitur quippe (*cum praedicatum subjecto praeter essentiam vere tribuitur*). Atque adeo poterit simul *a* et simul non *a* eodem tempore τῷ *b* convenire, id est, poterit aliquid simul esse, et non esse: poterit nempe, ut allato jam exemplo concludam, non existentia mundo convenire etiam in hypothesi, qua ponitur vera esse haec propositio: *mundus est existens*; ac proinde poterit mundus eodem tempore simul esse existens, et simul non existens, quod stabilito jam contradictionis principio repugnat.

Inter rationem sufficientem, et rationatum datur nexus.

XXII. *Posita ratione sufficiente ponitur rationatum, et vicissim; item sublata ratione sufficiente tollitur rationatum, et vicissim.* Primum, et ultimum patet, quia secus ratio, quae ponitur sufficiens, esset reapse insufficiens (§. 18.), ac proinde sufficiens simul, et insufficiens, quod absurdum est (§. 11.): secundum vero, et tertium pariter certum est, quia alias aliquid daretur sine ratione sufficiente, quod pugnat contra (§. praec.).

Coroll. Igitur ratio sufficiens, et rationatum insolubili, qui ab ipso principio contradictionis pendet, nexu copulantur.

Omnis veritas contingens ad princ. rat. suff. reducitur.

XXIII. *In analysi cujuscumque veritatis contingentis statim pervenitur ad principium rationis sufficientis.* Cum in omni veritate contingente praedicatum praeter essentiam subjecto conveniat; ut ex natura harum veritatum patet, in illius analysi progrediens statim deprehendo aliquid, quod efficit, ut hoc praedicatum huic subjecto conveniat (§. 21.); sed hoc est pervenire ad principium rationis sufficientis; ergo in analysi cujuscunque veritatis contingentis statim pervenitur ad principium rationis sufficientis.

Coroll. Omnis igitur veritas contingens reducitur ad principium rationis sufficientis.

Schol. Theorema hoc enumeratione casuum singularium eo prorsus modo, quo illud (§. 15.) illustrari potest. Si quaeras, quare verae sint hae, et similes enunciationes: *Mundus existit, Cajus est eruditus, aegrotus, sanus: globulus plumbeus in aqua fundum*

Digitized by Google

petit, plumbi lamina quae innatat: semper, et illico deprehendes esse aliquid, quod efficiat, ut *mundo existentia*, *Cajo eruditio*, *morbus*, *sanitas etc.* conveniant. Quare generatim concludo: quotiescumque quaeritur, an enuntiatio quaedam data, quae sit in materia contingente, vera sit, aut falsa, ratio sufficiens, vel ejus absentia assignari debet, atque adeo quaestionem hanc semper decidit principium rationis sufficientis.

AC PER ILLUD DEMONSTRATUR.

XXIV. *Omnis veritas contingens per principium rationis sufficientis demonstratur.* Omnis veritas contingens analytice reducitur ad principium rationis sufficientis (§. praec.); ergo etiam analysin convertendo in synthesin omnis veritas contingens ex principio rationis sufficientis legitime profluit; sed veritas, quae ex altera legitime profluit, per eam demonstratur: ergo omnis veritas contingens per principium rationis sufficientis demonstratur.

PRINCIPIUM RAT. SUFF. EST PRIMUM OMNIS VERITATIS CONTINGENTIS.

XXV. *Principium rationis sufficientis est primum omnium veritatum, contingentium principium.* Primum principium omnibus veritatibus demonstrandis inservit (§. 8.); sed principium rationis sufficientis omnibus veritatibus contingentibus demonstrandis inservit (§. praec.): ergo principium rationis sufficientis est primum omnium veritatum contingentium principium.

Schol. Dixi quidem (§. 8.) ad rationem primi principii requiri ut ipsum amplius demonstrari nequeat; verum praerogativa haec ejus est modi, ut illi solum, quod sub omni respectu primum est, competere possit. Quamquam si accurate loqui velimus, principium rationis sufficientis non demonstratur, ut est veritatum contingentium principium, sed ut est veritas necessaria una cum aliis subjecta principio contradictionis: id quod uberius exponam, ubi antea adversariis satisfecero. Ajunt enim.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1.) Ipso Wolfio docente in somnio omnia sunt sine ratione sufficiente: ergo falsum est nihil esse sine ratione sufficiente.

℞. *d. ant.* In somnio *objective* spectato, *c. ant.* in somnio *subjective* spectato *neg. ant. et con.* Wolfius somnium objectivum, id est, res illas, quas in somnio cernere videmur, intelligit; hae vero neutiquam actu existunt et cum nullo inter se nexu copulantur; si ita reapse existerent, omni prorsus ratione sufficiente destitueretur. Quodsi somnium subjective accipias, intelligis ipsam operationem mentis nostrae, quae ope facultatis imaginativae ea phantasmata producit; at vero haec operatio non caret ratione sufficiente, quae ex lege imaginationis deducenda est, ut in psychologia docetur. Patet igitur, quidquid in somnio reale est, illud quoque rationem sufficientem habere, quodque hac destituitur, illud nequaquam reale, sed solum imaginarium esse.

2.) Per principium rationis sufficientis non possunt demonstrari omnes veritates contingentes: ergo illud non est primum earum principium.

℞. *d. ant.* non semper *actu*, et *reipsa n. ant.* non saltem *in potentia*, et *quoad se d. ant. et con.* Cum multa sint in rebus naturalibus, quae tum ob intellectus nostri limitationem, tum ob necessariorum subsidiorum defectum non cognoscimus, saepe evenit, ut principium rationis sufficientis ad demonstrationem reipsa condendam non inservit, est illud tamen etiam tum verum principium de se, et in se aptum ad demonstrandas veritates contingentes, quas actu demonstraret, nisi alia obstarent: semper enim, si analysis fieret aut fieri posset, ad rationem sufficientem perveniretur, quae unica est, cur primum earum veritatum principium statuatur. Certe si plus requireretur ad rationem primi principii, nullum prorsus in orbe extaret; neque enim semper praesentia, aut absentia contradictionis certo cognosci, seu idea clara, et distincta, quam tanto Cartesiani opere jactant, haberi potest.

3.) Ratio sufficiens non saepissime latet: ergo nec in potentia per principium rationis sufficientis demonstrari possunt omnes veritates contingentes.

℞. *d. ant.* idque *ex defectu intelligentiae nostrae limitatae c. ant.* idque *ex defectu interno n. ant.* et *con.* Fateor, frequenter nos ignorare, quaenam sit determinati alicujus rationati ratio sufficiens; verum id brevitati intelligentiae nostrae tribuendum est, quae efficit, ut quamplurima in rebus physicis nesciamus. Interea tamen cujusvis rationati sua datur ratio sufficiens, eaque in se est vere cognoscibilis, quin et cognosceretur reipsa, si alia abessent impedimenta.

4.) Si nihil est sine ratione sufficiente, tunc in mundo datur series continua rationum sufficientium, et rationatorum, ita ut rationatum praecedentis rationis fiat ratio subsequentis rationati, et sic porro; sed talis series admitti non potest: ergo datur aliquid sine ratione sufficiente *m. p.* talis series tollit libertatem, et contingentiam; ergo admitti non potest.

℞. *d. M.* in caussis *necessariis c. M.* in caussis *liberis n. M. et sic d. m. n. con.* ad prob. rursus *d. ant.* in caussis liberis *c. ant.* in caussis necessariis *n. ant. et con.* In caussis liberis, quae nempe habitis omnibus ad agendum requisitis possunt agere, vel non agere, nulla datur id genus series rationum sufficientium, et rationatorum; neque enim, ut Leibnitiani docent, ratio sufficiens cujusvis actionis liberae in statu antecedente caussae agentis continetur, sed quaerenda ea est in libero arbitrio, atque ad hoc a quavis actione redeundum; unde series actionum liberarum numquam continuatur, quemadmodum in psychologia fusius demonstrabo. Quodsi talis series ex principio rationis sufficientis profflueret, actum omnino foret de nostra, Deique ipsius libertate: quare viderint Leibnitiani, quam malam caussam defendendam sumant.

Digitized by Google

Quod deinde ad caussas necessarias, seu alias, quae ex natura sua ad agendum determinantur, cum omnia adsunt requisita, attinet, in iis dari ejusmodi seriem rationum sufficientium continuam negari nequit; sic enim omnes naturales in mundo motus, ut in astris, in generatione, et corruptione plantarum in mutationibus tempestatum, ut in machinis quoque arte confectis, ut in horologio, perficiuntur. Verum inde nec libertas, nec contingentia laeditur: non imprimis libertas; haec enim alioquin non datur in his caussis, quae per naturam suam ad eam recipiendam ineptae sunt: nec deinde contingentia; necessitas enim, qua subsequentes rationes sufficientes, et rationata in tota serie existunt, consequitur hypothesis, quod prima ratio sufficiens existat, quae tamen contingenter, et libere a Deo posita est. Sume *a*, *b*, *c*, *d*. etc. ita ut *b* sit rationatum ipsius *a*, et simul ratio sufficiens ipsius *c*, et sic ulterius; jam etsi hanc seriem in infinitum continues, tamen ultimum *z* non alia necessitate existet, quam quae fluit ex hypothesi, quod *a* existat: cum igitur *a* contingenter existat, necessitas haec ex tali serie profluens sequitur hypothesin contingentem, atque adeo contingentiam non tollit, quod suo loco ostendam.

5.) Principium rationis sufficientis nulli est usui in aliis disciplinis a metaphysica distinctis, atque in hac etiam a solis fere Leibnitianis adhibetur, utpote veteribus prorsus incognitum, et a Leibnitio primum inventum, ac in philosophiam introductum. Quid quod magnum quoque sit ejus applicatione errandi periculum, ut exemplo Archimedis, et ipsius Leibnitii patet, quorum ille hoc usus principio telluri figuram sphaericam tribuit; hic humanae voluntati libertatem ademit.

℞ ad singula. Primum non esset difficile percurrendo nominatim scientias diversas contrarium ostendere, sed ut brevitati consulam, sic habeto: principium rationis sufficientis cum altero contradictionis non modo utile, verum et necessarium est in metaphysica, ac praecipue ontologia ad explicanda ea, quae enti insunt, et inesse possunt, in quo ipsa tota versatur. Jam vero, cum omnes reliquae scientiae a metaphysica, et imprimis iterum ab ontologia suarum demonstrationum principia mutuentur (§. 3. schol.), facile patet duo haec principia mediante saltem ontologia ad omnes omnino scientias pertinere. Id tamen probe notandum, in iis disciplinis, quae in veritatibus duntaxat necessariis demonstrandis occupantur, qualis est geometria theoretica, principio rationis sufficientis locum esse non posse, utpote quod ad veritates solum contingentes se extendit.

Etsi porro principii hujus usum frequentiorem in philosophia effecit Leibnitius, non tamen istud veteribus adeo incognitum fuit, ut adversarii volunt: notum id fuit Archimedi, qui ejus ope praecipuum statices principium demonstravit; aequalia videlicet pondera ab aequalibus longitudinibus suspensa esse in aequilibritate, neque libram sine ratione in alterutram partem inclinare: notum

id fuit Platoni, cujus hoc est enunciatum: *omne, quod fit, a ratione aliqua fiat, necesse est, prorsus enim impossibile est; ut aliquid sine ratione fiat* (*In Thimaeo l. 1. de fin. c. 6. et de fato c. 20.*). Notum id fuit Ciceroni, qui eo in refutanda atomorum declinatione, quam Epicurus commentus erat, usus fuit; notum denique id aliis quoque fuisse ex trito illo: *nihil sine caussa*: colligere licet; potestas enim hujus vocabuli olim latius patuisse, atque nunc, eamdemque, quae *rationi* subjecta est, notionem denotasse omnino videtur.

Denique periculosum esse principii rationis sufficientis usum iis, qui vel ex nimia ingenii fiducia, vel ex anticipatis quibusdam opinionibus, vel qua demum cumque alia de caussa eo abutuntur, lubens admitto; at inde nequaquam sequitur illud interno quodam vitio laborare, quemadmodum nec principium contradictionis jure carpi potest, quod nonnulli ad constabiliendos errores illud adhibuerint: nempe et hic quoque usus ab abusu accurate discernendus est. Fateor igitur tam Leibnitium in explicandis liberis Dei, hominumque actionibus, quam Archimedem in constituenda telluris figura turpiter aberrasse: verum hic ad rationes latentes, ille ad discrimen rationis internae, et externae animum accuratius advertendo facile errorem evitasset.

CAPUT III.

De Mutua Duorum Principiorum Relatione.

PRINCIPIUM RAT. SUFF. SUBJICITUR PRINC. CONT.

XXVI. *Principium rationis sufficientis reducitur ad principium contradictionis.* Omnis ea veritas reducitur ad principium contradictionis, in cujus analysi eo pervenio, ut deprehendam, aliquid, si ita non esset, simul fore, et non fore (§. 15. et cor.); sed in analysi principii rationis sufficientis deprehendo aliquid, si illud falsum esset, fore simul et non fore (§. 21.); ergo principium rationis sufficientis reducitur ad principium contradictionis.

ET NON EST ABSOLUTE PRIMUM.

Coroll. Igitur principium rationis sufficientis non est *absolute*, sed solum *relative*, nimirum *relatum* ad veritates contingentes, primum.

VERITATES ETIAM CONTINGENTES PERTINENT AD PRINC. CONTR.

XXVII. *Omnes veritates contingentes mediate reducuntur ad principium contradictionis.* Omnes veritates contingentes reducuntur ad principium rationis sufficientis (§. 24. cor.); sed ipsum hoc principium ulterius reducitur ad principium contradictionis (§. praec.): ergo etiam omnes veritates contingentes mediate, mediante nimirum principio rationis sufficientis, ad principium contradictionis reducuntur.

Coroll. 1. Principium ergo rationis sufficientis est *immediatum*;

principium vero contradictionis est *mediatum* omnium veritatum contingentium principium.

Coroll. 2. Atque adeo etiam principium contradictionis est *absolute* primum comparate ad omnes veritates: nempe *absolute* primum, et *immediatum* relate ad omnes veritates necessarias, in quibus ipsum quoque rationis sufficientis principium continetur; et *absolute* primum, ac *mediatum* relate ad omnes veritates contingentes.

Schol. 1. Atque haec sunt duo illa omnium nostrorum ratiociniorum, ac demonstrationum principia, de quibus ita Leibnitius: *ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa sunt; unum est principium contradictionis, vi cujus falsum judicamus, quod falso opponitur, vel contradicit: alterum est principium rationis sufficientis, vi cujus consideramus nullum factum reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enuntiationem, nisi adsit ratio sufficiens, cur potius ita sit, quam aliter, quamvis rationes istae quam saepissime nobis incognitae esse queant* (*Actor. Lips. t. 7. suppl. sect.* 11.). Haec porro duo principia et requiruntur, et sufficiunt: requiruntur, quia in ontologia exponi debet tam essentia entis, quam ea, quae in eodem praeter essentiam vel insunt vel inesse possunt, essentia vero ad principium contradictionis, quod propterea *principium essentiarum*: reliqua ad principium rationis sufficientis, quod ab existentia, velut primario ex contingentibus praedicato, *principium existentiarum* dici consuevit, pertinent: sufficiunt, quia plene satisfaciunt quaestioni, *cur aliquid sit*, vel *cur data quaevis enuntiatio vera sit*; quam ex naturalis mentis propensione ponimus, quamprimum aliquid esse observamus (conf. §§. 15. 25. cum schol.). Restat ut nonnullis dubiis occurram.

OCCURRITUR DUBITATIONIBUS.

Schol. 2. Ajunt 1. Si omnes veritates reducuntur ad principium contradictionis, tunc omnes veritates contingentes evadunt necessariae; sed hoc omnino absurdum est; ergo *M.p.* in dicta hypothesi omnes veritates contingentes demonstrantur per principium contradictionis; sed quae per principium contradictionis demonstratur sunt necesseriae, ergo si omnes veritates reducuntur ad principium contradictionis, veritates contingentes evadunt necessariae.

℞. *n. M. ad prob. d. M.* In dicta hyptothesi omnes veritates contingentes *mediate* demonstrantur per principium contradictionis, *c. M. immediate, n. M. et sic d. m. n. cons.*

Veritates contingentes non immediate, sed miediante solum principio rationis sufficientis, per quod immediate demonstrantur, ad principium contradictionis pertinent, atque ideo contingentes manent; neque enim propterea natura veritatum mutatur, aut earum contingentia tollitur: intercedit quippe hypothesis contingens, ac mutabilis. Nimirum, licet absolute necessarium sit, ut quid-

quid est, habeat rationem sufficientem, cur sit; et ut quaevis ratio sufficiens, dum est, habeat quoque suum rationatum, non tamen rationatum necessario existit, nisi ex hypothesi, quod ejus ratio sufficiens, quae contingenter existit, exstet; et nec ratio sufficiens necessario existit, nisi ex hypothesi, quod contingenter ponatur: prorsus sicut necessitas, quam mundus nunc existit, consequitur hypothesin, quod existat, quodlibet enim dum est, necessario est. Jam vero necessitas, quae in hypothesi quadam contingente innititur, contingentiam nequaquam tollit.

2. Omnes veritates, quae per principium contradictionis immediate demonstrantur, sunt absolute necessariae: ergo etiam omnes veritates, quae per principium contradictionis mediate demonstrantur, sunt absolute necessariae, *c. p.* Ideo primum: quia eae veritates non possunt esse aliter propter principium contradictionis; sed etiam id contigit in iis, quae mediate ex principio contradictionis demonstrantur; ergo si etc. etc.

℟. *c. ant n. con.* ad prob *c. M. n. m.* Ratio dispar est; quod propter principium contradictionis ita est, id ita est, quia si ita non esset, idem simul esset et non esset, ut patet in rotunditate circuli; atque hoc contingit in iis veritatibus, quae immediate per principium contradictionis demonstrantur. Contra quod propter, principium rationis sufficientis ita est, id ita est, quia, cum utrumque esse possit, adest ratio sufficiens, ut ita sit, et non adest ratio sufficiens, ut non ita sed aliter sit, ut patet in existentia mundi: hoc evenit in veritatibus, quae mediate solum per principium contradictionis demonstrantur. Colligimus id ex ipsa veritatum natura; quam principium nec efficit, nec immutat; ipsae enim veritates ob naturam, quam antea habent, aptae sunt, ut ad hoc potius, quam illud principium immediate reducantur. Discrimen porro duplicis hujus demonstrationis in eo ponitur: demonstratio ex principio contradictionis immediate petita versatur circa essentias rerum per se necessarias, et quae cum iis connectuntur, generatim procedit, atque ab omni hypothesi vel statu abstrahit, ut patet in quovis theoremate geometrico; demonstratio vero ex eodem mediate, atque vel hoc ipso ex principio rationis sufficientis immediate ducta agit de existentiis rerum de se contingentibus, et ad casus singulares restringitur, ponitque hypothesin contingentem quod vel ratio sufficiens, vel rationatum jam existat. Ita exempli caussa ex eo, quod mundus ut rationatum existat, demonstro existentiam rationis sufficientis, voluntatis nempe Dei; aut ab opposito, si aliunde notum foret inesse in Deo voluntatem, ut mundus existat, demostrarem inde existere quoque ejus rationatum, nimirum mundum: jam quaeso, sequiturne inde, aut Deum necessario velle, aut mundum necessario existere, tametsi absolute repugnet, ut vel posita Dei voluntate mundus, vel posito mundo Dei voluntas non existat?

SECTIO II.

DE PROPRIETATIBUS ENTIUM MAXIME UNIVERSALIBUS.

QUAE HUJUS SECTIONIS SUMMA?

XXVIII. Statutis jam primis demonstrationum principiis ipsa entis notio, ac universales ejus proprietates investigandae veniunt (§. 7.). Campus hic quidem se aperit latissimus: ego tamen ea solum seligam, quae prae reliquis scitu necessaria sunt, et eo unumquodque ordine adducam, qui subsequentibus demonstrandis inservit.

CAPUT I.

De Impossibili, et Possibili.

QUID IMPOSSIBILE, ET POSSIBILE?

XXIX. *Impossibile* vocamus illud, quod in suis notis essentialibus contradictionem involvit, *ut circulus quadratus*; est enim impossibile, ut aliquid simul sit, et non sit. *Possibile* contra illud est, cujus notae essentiales sibi non opponuntur: *ut circulus rotundus.*

Coroll. 1. Cum notae oppositae consociantur, notae quae ponuntur, simul tolluntur, proindeque nihil remanet, sicut cum a posito ternario aufertur ternarius: igitur impossibile est *nihilum.*

Coroll. 2. Impossibilis nulla datur idea, et si quae haberi putetur, fallax est, seu deceptrix, ac termino inani exprimenda (§§. 51. cor. 3. schol. et 77. schol. log.).

Coroll. 3. Et ab opposito possibile est *aliquid*, potestque aliqua idea repraesentari; et omnis idea, in qua non conjunguntur notae sibi oppositae, est vera idea, habetque objectum possibile.

Schol. 1. Etiam possibile, quamdiu non existit, nihilum est; quare, ut discrimen statuatur, illud *nihilum positivum*: impossibile vero, *nihilum negativum* vocarunt philosophi. Inde intelligi potest sensus canonis: *ex nihilo nihil fit*: ex nihilo nimirum negativo effici omnino nihil potest.

Schol. 2. Ex eo, quod nulla de impossibili idea formari possit, non sequitur, omne id, quod intelligere non possumus, esse impossibile, ut pessime ratiocinatur Joan. Clericus; sed horum velut oblitus saniora paulo post praecipit: *impossibilia igitur dicere non possumus, quae nescimus, an una consistere queant, nec ne; hoc autem nescimus, quando eorum, quae comparamus, natura nobis ignota est* (*Praef. ad Ontol.* §. 8. *Ontol. cap.* 14. §. 8.).

QUID POSSIBILITAS INTERNA, ET EXTERNA — QUIS CONTROVERSIAE STATUS?

XXX. Possibile vel in se, notisque suis essentialibus, quae secum non pugnant, spectatur, vel refertur ad vim et efficaciam caussae, a qua produci potest: illud *interne*, hoc *externe* possibile esse dicitur.

Schol. Sic, quia non repugnat, ut ex marmore fiat statua, haec inter-

ne est possibilis; at si ponas nullum extare artificem, eadem erit externe impossibilis; quod si is existat, statua tam interne, quam externe possibilis evadit. Est igitur possibilitas interna ipsa in notis essentialibus contradictionis absentia, seu quod idem est, *habilitas ad existendum fundata in concordia notarum essentialium*; externa vero *habilitas ad existendum fundata in vi, ac virtute caussae producentis*, habeturque, cum adest caussa quae possit producere id, quod interna possibilitate gaudet. Facilè porro inde colliges, quid sit impossibilitas interna, ac externa. Verum haec possibilitatis rerum partitio acres nacta est inter philosophos adversarios, unde necesse est, ut solidis confirmetur argumentis: quod ut rite fiat, primum omnis controversiae status ante tironum oculos ponendus est (§. 202. sch. l. 1. log.). Quaestio haec fere revocatur tota ad res a Deo procreandas: ad hanc enim normam de aliis mutatis mutandis, ratiocinandum erit. Sunt nempe nonnulli, qui omnem possibilitatem rerum internam, et habilitatem ad existendum, quae ipsa illarum natura fundetur, tollunt, solamque externam fundatam in viribus caussae efficientis, sive in Dei omnipotentia agnoscunt; hi rogati, *cur alter mundus sit possibilis*? respondent, *quia Deus est omnipotens*. Sunt ex adverso alii, qui utramque possibilitatem propugnant, asseruntque Deum nihil, quod in natura sua contradictionem involvit, producere posse: horum opinione ratio adaequata, cur aliquid possibile, seu existere posse dicatur, partim ab ipsa rei natura, partim ab omnipotentia Dei repetenda est: quare cum quaeritur, *cur alter mundus existere possit*? reponunt: *quia ob carentiam contradictionis in notis essentialibus habilis est ad existendum, et quia Deus pollet potentia efficiendi, quidquid in se non repugnat.* Utra harum verior sit, jam videamus.

XXXI. *Si non datur impossibilitas interna, tunc ideo solum aliquid existere non potest: quia Deus illud nequit efficere.* Si non datur impossibilitas interna, tunc ratio cur aliquid existere non possit, non erit in illo ipso, sed in Deo; sed si ratio, cur aliquid existere non possit, est in Deo, tunc ideo solum aliquid existere non potest, quia Deus illud nequit efficere: ergo si non datur impossibilitas interna, ideo solum aliquid existere non potest, quia Deus illud nequit efficere.

Coroll. Ergo etiam inverse; si ideo solum aliquid existere non potest, quia Deus illud nequit efficere, tum non datur impossibilitas ipsis rebus interna.

Schol. Theorema praesens per applicationem ad casus singulares mirifice illustratur (§. 228. schol. n. 5. log.). Certum est vi principii contradictionis sphaeram quadratam existere non posse, esset enim, et simul non esset sphaera: fingamus jam in sphaera quadrata non inesse impossibilitatem internam, quid igitur erit caussae, cur tamen existere nequeat? profecto nihil restat aliud, quam ut dicamus sphaeram quadratam ideo solum existere non posse,

quia Deus illam nequit efficere. Similes applicationes in sequentibus hisce theorematibus tute facies.

XXXII. *Si aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud efficere nequit, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.* Si aliquid ideo solum existere non potest, quia illud Deus efficere nequit, tum hujus impossibilitatis ad existendum nulla alia ratione cogitari quidem potest, quam imbecillitas omnipotentiae divinae; sed si omnipotentia divina imbecillis est, ea limitibus circumscribitur: ergo si aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud non potest efficere, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.

XXXIII. *Si non datur impossibilitas interna, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.* Si non datur impossibilitas interna, tum aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud nequit efficere (§. 31.); sed si aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud nequit efficere, tum omnipotentia Dei limitibus circumscribitur (§. praec.): ergo si non datur impossibilitas in ipsis rebus interna, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.

XXXIV. *Si non datur possibilitas interna; etiam non datur impossibilitas interna.* Si non datur possibilitas interna, tunc ideo solum aliquid potest existere, quia Deus illud potest efficere: ergo etiam ideo solum aliquid non potest existere, quia Deus illud non potest efficere: sed si ideo solum aliquid non potest esistere, quia Deus illud nequit efficere, tum non datur impossibilitas interna (§. 31. cor.) ergo si non datur impossibilitas interna, neque datur possibilitas interna.

XXXV. *Si non datur possibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata.* Si non datur possibilitas interna, etiam non datur impossibilitas interna (§. praec.); sed si non datur impossibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata (§. 33.): ergo si non datur possibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata.

DATUR POSSIBILITAS INTERNA?

XXXVI. *Datur possibilitas interna.* Si non datur possibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata (§. praec.); sed omnipotentiam Dei esse limitatam est manifeste contradictorium, et absurdum: ergo datur possibilitas interna.

Coroll. 1. Adaequata igitur ratio, cur aliquid possit existere, non in sola omnipotentia Dei reponitur, sed requiritur praeterea habilitas rei interna ad existendum.

Coroll. 2. Omnipotentia Dei se porrigit ad omnia, et sola possibilia, sive, ut ajunt, producibilia: hinc rite definitur, quod sit *potentia, quae potest efficere, quidquid est possibile*, estque ipsa rerum possibilitas externa.

Coroll. 3. Universim nunquam potest dari externa rei cujuspiam possibilitas sine interna; et neque interna sine externa, attamen comparate dumtaxat ad Deum: inde si vis demonstrare argumento positivo, posse a Deo aliquid effici, antea demonstrandum tibi erit, illud in se non repugnare.

ARGUMENTIS ADVERSARIORUM RESPONDETUR.

Schol. Quae ab adversariis opponentur, haec fere sunt. Ajunt.

1.) Ponuntque hypothesim per se quidem absurdam. Si nimirum fingamus cessare quasi, vel tolli in Deo omnipotentiam, tolleretur eo ipso omnis rerum possibilitas. Inde sic inferunt: illud, quo sublato tollitur omnis rerum possibilitas, est sola, et adaequata ratio omnis possibilitatis, sed sublata in Deo omnipotentia tollitur omnis rerum possibilitas: ergo omnipotentia Dei est sola, et adaequata ratio omnis possibilitatis.

℟. *d. M.* Illud, quo sublato tollitur *formaliter* omnis rerum possibilitas, est sola etc. *c. M.* illud, quo sublato tollitur partim *formaliter*, partim *consequenter* omnis rerum possibilitas, est sola, et adaequata ratio omnis possibilitatis, *n. M. et sic d. m. n. con.* Cum omnipotentia Dei vi definitionis suae sit solum possibilitas rerum esterna (§. praec. cor. 2.), ea sublata tollitur quidem *formaliter* possibilis externa, interna vero tantum *consequenter*; ex eo enim, quod tollam in Deo omnipotentiam, per conclusionem legitimam infero nullam amplius superesse internam rerum possibilitatem: nimirum, cum omnipotentia sit potentia, quae potest producere quidquid est possibile, tamdiu fingere non possum cessare in Deo omnipotentiam, quamdiu cogito superesse aliquid, quod sit in se possibile. Dicitur porro re aliqua vel intellecta, vel posita, vel ablata *formaliter*, vel intelligi, vel poni, vel auferri illud omne, et solum, quod in rei illius conceptu formali, id est, in definitione essentiali ponitur ut *essentiale constitutivum*, vel ut nonnulli cum veteribus dicunt, quod *importatur in recto*: illud contra re aliqua intellecta, posita, vel ablata *consequenter* intelligitur, ponitur, vel aufertur, quod vel prorsus in definitione rei locum non habet, sed tamen cum uno ex constitutivis connectitur, vel ponitur quidem in definitione, an non ut constitutivum, verum duntaxat ut *terminus*, seu *objectum*, vei ut alii loquuntur, *importatur* in *obliquo*: sic posito, vel ablato homine formaliter ponitur, vel aufertur vis sentiendi, et ratiocinandi, consequenter vero capacitas eruditionis: sic quoque ablata omnipotentia Dei tollitur formaliter possibilitas externa, quae in ejus definitione *in recto*, et consequenter interna, quae in *obliquo* importatur; cum sit potentia potens producere omne possibile. Jam vero ex eo, quod sublata omnipotentia Dei interna rerum possibilitas consequenter tollatur, neutiquam sequitur hanc omnipotentiam esse solam, et adaequatam rationem omnis rerum possibilitatis; sicut ex eo, quod si nullus in republica male agat, scelera formaliter cessent et consequenter actus justitiae vendicativae, non sequitur justitiam vindicativam constitui per scelera, aut vicissim.

2.) Aliam, nec minus absurdam adferunt hypothesim, qua fingitur Deus non existere, ajuntque: in hypothesi Dei non existentis nulla res esset possibilis; ergo tota rerum possibilitas sita est in Deo,

atque adeo in ejus omnipotentia. *Ant. p.* quod interne est possibile, potest existere; sed in hypothesi Dei non existentis nulla res posset existere: ergo in hypothesi Dei non existentis nulla res ne interne quidem foret possibilis. Addunt: Deo non existente ipsa rerum essentia periret: ergo nulla res posset existere ex defectu habilitatis internae; ubi enim nulla est essentia, ibi nulla est notarum essentialium concordia, hac vero absente ipsa rei interna habilitas ad existendum deficit.

℟. *d. ant. externe, c. ant. interne, n. ant. et con.* Etiam in hac hypothesi manerent verae ejusmodi enuntiationes, *notae essentiales hujus, vel illius rei non involvunt contradictionem:* ac proinde posset res ratione suae essentiae existere, gauderetque possibilitate interna, periret tamen possibilitas rei externa, quia Deo non existente nulla extaret caussa vi eam producendi instructa. Sic si ponamus nullum existere in orbe artificem, qui ex hoc marmore sciat efficere statuam, statua quidem erit externe impossibilis, interne tamen possibilis, quia vera manet haec propositio; *non est contradictorium, ut ex marmore statua efficiatur.* Nisi dicas ex una contradictione sequi alteram: sed ab hoc objecto abstrahit.

Ad prob. d. M. potest existere, *ita tamen, ut egeat actione caussae efficientis ad accipiendam existentiam realem, c. M. ut ea non egeat, n. M. d. m.* sed in hypothesi Dei non existentis nulla res posset existere, idque *ex defectu actionis caussae efficientis c. m.* idque *ex defectu habilitatis internae, n. m. et con.* Si Deus non existeret, nulla extaret caussa, quae rem ob concordiam notarum essentialium de se quidem habilem, attamen de se quoque indifferentem ad existendum producat: petet igitur, etiam in hypothesi Dei non existentis sublata possibilitate externa remanere internam, rationemque, cur tum res existere non possent, non in defectum habilitatis internae, sed in absentiam causae producentis refundi debere.

Ad id, quod additur, rursus *d. ant.* Deo non existere ipsa rerum essentia *proxime intelligibilis* periret, *c. ant.* etiam *remote intelligibilis, n. ant. et con.* Essentia entis, ut entis, est ipsa ejus possibilitas; ut in sequente capite patebit: dicitur *intelligibilis*, cum sit in statu pure logico, consistatque in veritate objectiva: *ens hoc in suis notis essentialibus non involvit contradictionem:* haec porro veritas, ut quaevis alia, est per se intelligibilis nec id habet a quopiam intellectu, est enim per sese apta, ut ab aliquo intellectu cognosci possit, neque generatim loquendo, intellectus efficit veritates *intelligibiles*, sed *intellectas*: atque haec est *remota* veritatem *intelligibilitas proxima* vero tum adesse censenda cum adest intellectus, cujus objectum veritas quaepiam actu esse possit. Cum igitur Deo non existente nullus existeret intellectus, perirent omnino in absurda hac hypothesi essentiae rerum et sunt proxime intelligibiles; at hoc non efficit, ut essentiae re-

rum, prout remote, et in se sunt intelligibiles, non remaneant, atque adeo etiam, ut Deo non existente nulla detur rerum possibilitas interna.

3.) Rem esse possibilem, et rem possa a Deo effici idem significat; sed rem posse a Deo effici habetur a sola Dei omnipotentia: ergo etiam rem esse possibilem habetur a sola Dei omnipotentia.

℟. *d. M.* rem esse *tam interne, quam externe* possibilem et rem posse a Deo effici, idem significat, *c. M.* rem esse *interne solum* possibilem, et rem etc. *n. M. d. m.* sed rem posse a Deo effici *supposita jam possibilitate* interna, habetur a sola Dei omnipotentia, *c. m. hac non supposita n. m. et con.* Cum dico: *res haec est possibilis*, nihil aliud dico, quam *essentiales rei hujus notae non involvunt contradictionem*, in quem conceptum, ut patet, omnipotentia Dei non ingreditur; cum vero dico: *res haec potest a Deo effici*, dico: *Deus habet potentiam hanc rem ex se habilem ad existendum efficiendi*; hic vero conceptus, cum et potentiam Dei, et habilitatem rei comprehendat, utramque rei possibilitatem tam internam, quam externam significat. Ut igitur prior ille huic aequivaleat, necesse est, ut hunc sensum contineat: *res haec tam interne, quam externe possibilis est.* Nec obest, quod hi duo conceptus se mutuo inferant, id enim solum ex arctissima utriusque possibilitatis connexione oritur; est quippe omnipotentia Dei potentia potens producere omne possibile; unde quam primum res est possibilis Deum illam efficere potest, et quamprimum Deus rem efficere potest, illa in se est possibilis. Paritas ab intellectu divino petita rem mirifice illustrat; nam hic quoque omne, et solum illud, quod intelligibile est, intelligit.

4.) Possibilitas haec interna foret aeterna: sed praeter Deum nihil potest esse aeternum; ergo id genus possibilitas dari non potest. *m. p.* Nihil potest esse omniscium, vel omnipotens praeter Deum etiam tantum in, et pro statu logico: ergo etiam nihil potest esse aeternum tantum, in et pro statu logico praeter Deum *c. p.* Ideo nihil potest esse omniscium etc., quia omniscientia vel omnipotentia sunt attributa soli enti infinito propria; sed etiam aeternitas est attributum soli enti infinito proprium: ergo si nihil potest esse omniscium etc. etc.

℟. *d. M.* foret aeterna *in et pro statu logico c. M. in, et pro statu physico, n. M.* sic *d. m. n. con.* Possibilitas rerum interna consistens in hac veritate objectiva: *res in suis notis essentialibus non involvit contradictionem*, eo solum sensu aeterna est, quod haec enunciatio semper fuerit vera, ac nullum momentum concipi possit, quo cum veritate dici potuisset falsa, quodque veritas haec de se semper fuerit intelligibilis, et reapse ab intellectu divino a tota aeternitate intellecta. Jam vero aeternitas talis est duntaxat logica, et idealis, neque propterea possibilitas interna aliquid reipsa physice et in statu actuali fuit ab aeterno, multo minus inde aliquid contra Deum, cui soli aeternitas physica competit, ergui potest. Eo-

dem prorsus sensu possibilitas interna dicitur ***necessaria***, ac ***immutabilis***, quod nimirum a tota aeternitate necessarium et immutabile fuerit, ut haec enuntiatio vera sit: ***res in suis notis essentialibus non involvit contradictionem***; unde haec pariter necessitas ac immutabilitas ad statum duntaxat logicum pertinet.

Ad prob. c. ant. n. con. ad hujus prob. d. M. quia omniscientia, vel omnipotentia, sunt attributa soli enti infinito ***tam quoad statum logicum***, quam ***quoad statum physicum***, propria, ***c. M. tantum quoad statum physicum, n. M.*** sic ***d. m. n. con.*** Omnipotentia, omniscientia, aliaeque similes perfectiones sunt attributa ejus generis, ac naturae, ut si vel in statu logico darentur, jam rite inde concluderetur ***dari ens infinitum saltem in genere scientiae et potentiae etc.*** atque inde haec attributa non modo pro statu physico, vero etiam pro statu logico soli enti infinito competunt, quam ob rationem dari nequeunt in statu pure logico, absolute enim repugnat, ut detur ens infinitum in statu pure logico, cum illud deberet posse produci. Ab opposito vero aeternitas logica est ejusmodi attributum, ut de se sola non efficiat ens ullo in genere infinitum; etsi enim detur ens in statu logico aeternum, non tamen valebit hae conclusio: ***datur ens infinitum in statu logico***, Ratio est: quia ad ens infinitum non sufficit aeternitas logica, sed requiritur omnino physica, cum ens infinitum ob suam infinitatem semper actu existere debeat. Igitur aeternitas physica, non item logica est attributum soli enti infinito proprium.

Quodsi responsione hac non contentus argumentum continues, dicasque; omniscientia, et omnipotentia sunt attributa soli enti infinito quoad utrumque statum propria: ergo etiam aeternitas est attributum soli enti infinito quoad utrumque statum proprium: ulteriorem dictorum rationem adferam, ac verum discrimen sic porro exponam. Omniscientia et omnipotentia sunt attributa absoluta, nullamque ad ullum statum relationem habent, ac proinde neque cum statu logico, neque cum statu physico connectuntur. Inde si daretur ens omniscium, vel omnipotens in statu logico, deberet illud etiam sic produci posse, atque sic productum maneret omniscium, vel omnipotens in et pro statu quoque physico, hoc est, ens saltem in linea scientiae vel potentiae infinitum. Contra aeternitas logica, vel aeternitas pro statu logico, de qua hic solum sermo est, ita essentialiter connectitur cum statu logico, ut ab illo divelli, et in statum actualem transferri nequaquam possit; cum enim ens, quod vi suae essentiae, seu possibilitatis aeternum est, in et pro statu logico producitur, non propterea aeternum est in, et pro statu physico, in hoc quippe per sui productionem acquirit initium existendi: quia tamen ens illud jam quidem actuale simul tamen possibile manet, retinetur quoque aeternitas ea, quae ad statum logicum, seu possibilitatis pertinet.

5.) Si daretur possibilitas interna, Deus illam in procreandis creaturis praeexigeret; sed hoc dici non potest, foret enim omnipo-

tentia Dei limitata: ergo. Neque juvat dicere hanc possibilitatem esse solum terminum, vel objectum actionis divinae: nam etsi marmor sit tantum terminus, et objectum actionis, tamen artifex, qui sine eo statuam efficere non potest, imperfectus, et limitatus est, quia nempe terminum suae actionis sibi efficere non potest; ergo pariter idem de omnipotentia Dei dicendum.

℟. d.*M.* tamquam *terminum* vel *objectum* suae actionis *c. M.* tamquam *caussam adjuvantem*, vel *determinantem*, *n. M.* sic d. *m. n. cons.* Possibilitas interna, sine qua omnipotentia Dei agere non potest, non adjuvat omnipotentiam in agendo, nec vires illius supplet, ut cum quis alteri in elevando graviori pondere succurrit; neque determinat omnipotentiam Dei ad agendum, sed tam actionem, quam ejus omissionem ipsi prorsus liberam relinquit; quodsi alterutrum horum eveniret, manifeste inde sequeretur limitatio omnipotentiae divinae. Est igitur haec possibilitas *objectum* duntaxat omnipotentiae divinae, *terminus*, in quo ejusdem actio terminatur, vel si mavis, *conditio*, sine qua nullius rei procreatio fieri potest. Neque hoc mirum est, omnis enim potentia ex natura sua requirit aliquod objectum, sunt quippe potentia, et objectum correlata: sic intellectus divinus quoque, ut cognoscat, exigit terminum, vel objectum cognoscibile, neque ullo modo, quod cognoscibile non est, cognoscere potest, quin tamen propterea infinitae ejus perfectioni vel minimum decedat. Igitur etiam omnipotentia Dei nihil ideo perfectionis amittit, quod ad actionem suam exigat terminum producibilem, et nullo modo producere possit, quod in se producibile, seu possibile non est. Ex his porro patet, quem sensum contineat haec enuntiatio: *Deus potest aliquid producere, quia illud est possibile*, si vera esse debeat: nimirum vocabulum *quia* denotat solum condictionem, vel objectum praerequisitum, non vero caussam, vel rationem a priori. Nam Deus, quidquid in se est possibile potest producere, *quia* cum sit ens infinitum, ad illius essentiam pertinet posse producere, quidquid est possibile: paritas ab intellectu rursus accomodatissime servit, estque proinde adversariis indentidem inculcanda.

Quod vero ad artificem, de quo supra dictum est, attinet. Artifex materiam physice praeexistentem exigit; nequit enim illi existentiam tribuere, sed, quod unum potest, partes diverso modo disponendo figuram inducit. Deus vero, dum possibilitatem logicam ut terminum suae actionis exigit, illam simul per eamdem actionem ex statu logico in quo physice nihil erat, transfert in statum physicum: unde immensum hoc discrimen oritur in eo positum, quod res producta quoad totum suum *esse* physicum a Deo; statua vero quoad solam suam formam ab artifice pendeat.

Sed dices fortasse: si omnipotentia Dei sibi non posset efficere terminum physicum suae actionis, ea foret limitata: ergo etiam cum omnipotentia Dei non possit efficere terminum logicum suae actionis, ut ex concessis habetur, ea erit limitata. Verum nego, id, quod

in conclusione infertur: imprimis enim si omnipotentia non posset efficere terminum physicum, tunc res existentes suam existentiam non a Deo, sed vel a se, vel aliunde accipere deberent, quod in Deo imbecillitatem argueret: contra, si omnipotentia non potest efficere terminum logicum, tunc omnipotentia id non potest, quod vi suae essentiae, et naturae posse non debet, atque eam ob rem nullus in illam defectus redundat. Nempe omnipotentia efficiens sibi terminum logicum suae actionis contradictoria est, et absurda, quemadmodum intellectus, qui sibi efficiat terminum intelligibilem, repugnat. Jam vero neque potentia contradictoria perfectio dici potest, neque propterea, quod ea desit, nulla in Deus cadit imperfectio; qui potius ideo Deus est infinite perfectus, quia nihil imperfectionis in eo continetur. Patent haec omnia iis rationibus, quibus praesentis theorematis veritatem demonstravi.

QUAE IMPOSSIBILIUM GENERA?

XXXVII. Sunt et alia impossibilium genera. Imprimis illud, quod (§. 29.) definitum est, dicitur *absolute* impossibile: huic opponitur *hypothetice* impossibile, quod sub certis solum adjunctis repugnat; *sic repugnant tenebrae in cubili, dum illud a sole illuminatur.* Deinde aliud est *metaphysice*, aliud *physice*, aliud *moraliter* impossibile; illud idem est cum *absolute* impossibili, *ut circulus quadratus*; alterum, quod secundum stabilitas a Deo naturae leges fieri nequit, *sic ignis nequit stuppam sibi admotam non comburere*: ultimum quod salvis morum, humanaeque prudentiae legibus, aut sine summa quadam difficultate fieri non potest, *veluti parentem optimum a filio probo occidi* (conf. §. 162. log.).

Coroll. 1. Quod absolute vel metaphysice est impossibile, nunquam fieri potest possibile; contra quod hypothetice solum impossibile est; sublata ea conditione evadit possibile.

Coroll. 2. Quod si conditio nullo modo tolli possit, id quod quidem solum hypothetice impossibile est, aequiparatur reipsa absolute impossibili: *sic absolute, et metaphysice impossibile est, quod Deus, salva sua sapientia, vel bonitate efficere non potest.*

Coroll. 3. Ea, quae physice, vel moraliter repugnant, ad hypothetice impossibilia revocari posse per se clarum est.

Schol. Quod ad moralem impossibilitatem attinet, duo monenda veniunt. Primum, librorum scriptoribus frequenter in usu est, ut per impossibilitatem absolute pronunciatam solum moralem, aut majorem aliquam difficultatem intelligant: quare acumine opus est, et si quando hoc vocabulum occurrit, verus sensus ex praescripto legum criticarum (§. 226. sch. log.) exigendus. Alterum: notio impossibilitatis moralis, quam vulgo Leibnitiani statuunt, aut prorsus erronea, aut saltem universalis non est: audiamus omnium loco Baumeisterum. *Moraliter impossibile*, inquit, *dicitur illud, quod quidem non in se contradictionem involvit, infert tamen repu-*

gnantiam in hoc, illove subjecto ob intercedentes subjecti illius perfectiones morales (*Ontolog.* §. 47.). Tum rei explicandae gratia exemplum adjungit: *deterius praeferre meliori, non in se quidem involvit contradictionem, adeoque in se non est impossibile, at Deo tamen id est impossibile ob ipsius sanctitatem, et sapientiam. To deterius itaque praeferre meliori repugnat sapientiae divinae, et sanctitati, tanquam perfectionibus Dei moralibus, adeoque est moraliter impossibile.* Haec certe definitio, tametsi, cum de rebus creatis, quarum perfectiones morales contingentes sunt, atque ideo abesse possunt, agitur, aliqua possit ratione tolerari, nullo tamen pacto ad Deum quoque extendi potest, proindeque universalis non est; moralis enim id genus impossibilitas in Deo a metaphysica nequaquam discreparet. Ratio est, quia quidquid pugnet cum perfectionibus Dei moralibus, est vera imperfectio: est autem metaphysice impossibile, ut vera sit in Deo imperfectio: Igitur et metaphysice, non solum moraliter impossibile est, ut illud insit in Deo, quod ejus perfectionibus moralibus repugnat. Idem et hac ratione ostenditur: electio minoris boni est ex mente Baumeisteri Deo hypothetice, nimirum sub conditione, quod in ipso hae perfectiones morales sanctitas, et sapientia insint, impossibilis, atque hanc impossibilitatem ille moralem vocat; jam vero quis nescit hanc conditionem absolute tolli non posse? evidens enim est Deum, utpote ens infinitum, sapientia, aut sanctitate nequaquam carere posse: consequens igitur est, ut moralis haec impossibilitas vim, et efficaciam absolute, ac metaphysice possideat (cor. 2.). Quodsi vero ita, haec Leibnitianorum opinatio Deum fatali cuidam necessitati subjicit. Sed de hoc alias.

CAPUT II.

De Ente, ejusque Essentia, ac existentia, et quibusdam aliis huc pertinentibus.

QUID ENS, ET NON ENS?

XXXVIII. *Ens* voco id, quod est possibile; quod vero impossibile est, *Non ens.*

QUID DETERMINATUM, ET DETERMINATIO.

XXXIX. *Determinatum* dicitur, cum ex duobus contradictorie oppositis unum est, et alterum non; quodque ex duobus contradictoriis enti competit, *determinatio* entis appellatur.

Schol. Rem apposite declarat Bulfingerus (*Diluc.* §. 28.): *pensitatis casibus, quibus aliquid determinatum dicitur, vel indeterminatum, deprehendo in prioribus rem ita esse comparatam, ut una propositionum de ea re contradictoriarum vera sit, et altera falsa: in posterioribus id non adesse deprehendo. An Titius est dives? dic: Titius est dives, non est dives. Altera pro-*

positio est vera, altera falsa. An homo est dives? dic: homo est dives, homo non est dives: non est altera vera, et altera falsa; potest utraque esse falsa, et utraque vera, prout subjectum homo vel universaliter sumitur, vel particulariter pro his, aut illis. Prioris dicitur determinata veritas, posterioris indeterminata (conf. §. 58. *log.*).

QUID REALITAS, DEFECTUS ET LIMES?

XL. *Realitas* est, quod aliquid ponit in ente, huic opponitur *defectus*. Cum igitur contradictorium unum ponat aliquid esse, alterum ponat aliquid non esse, illud est realitas, hoc defectus. Porro realitas vel conjungitur cum aliquo defectu, vel non; illa *limitata*: haec *absoluta*, seu *illimitata*: et defectus ulterioris realitatis *limes*, sive *terminus* audit. Generatim quidquid terminis circumscribitur, *limitatum*, seu *finitum*; quod vero nullo limite concluditur, *illimitatum*, seu *infinitum* est.

Coroll. 1. Omnis determinatio in ente vel realitas est, vel defectus.

Coroll. 2. Quidquid cogitari potest, vel finitum est, vel infinitum.

XLI. *Id, quod nullam negationem involvit, est possibile.* Quod non involvit contradictionem, illud est possibile (§. 29.), sed quod nullam negationem involvit, neque contradictionem involvit (§. 114. cor. 1. log.): ergo, id, quod nullam involvit negationem, est possibile.

NULLA REALITAS IN SE NEGATIONEM CONTINET.

XLII. *Nullas realitas in se spectata negationem involvit.* Realitas in se spectata est vel absoluta vel limitata (§. 40.); sed neutra in se spectata negationem involvit: non illa; cum enim sit absque defectu, merum esse, et nullum non esse involvit: non haec, si enim in se spectatur, abstrahitur a defectu, quocum conjungitur, et consideratur duntaxat, ut est realitas, ac proinde rursus merum esse, et nullum non esse involvit: ergo nulla realitas in se spectata negationem involvit.

Coroll. 1. Omnis realitas in se spectata est possibilis (§. 41.).

Coroll. 2. Realitas, quae possibilis est ut limitata, etiam possibilis est ut absoluta.

NULLA REALITAS ALTERI CONTRADICITUR.

XLIII. *Nulla realitas in se spectata alteri realitati pariter in se spectatae contradicit.* Ubi nulla est negatio, ibi nulla est contradictio (§. 114. cor. 1. log.) sed nulla realitas in se spectata negationem involvit (§. praec.): ergo nulla realitas in se spectata alteri pariter in se spectatae contradicit.

Coroll. 1. Quidquid realitati in se spectatae contradicit, illud non est realitas in se spectata, sed vel defectus, vel realitas cum defectu conjuncta.

Coroll. 2. Omnes possibiles realitates absolutae in eodem ente componi possunt, atque adeo ens omnibus possibilibus realitatibus absolutis praeditum est possibile.

QUID ENS POSITIVUM, PRIVATIVUM, ET NEGATIVUM?

XLIV. *Ens positivum* dicunt, cum concipitur quaepiam realitas, ut *visio*, cum vero defectus tamquam realitas cogitatur, oritur ens *privativum*; quando refertur ad subjectum oppositae realitatis recipiendae capax, ut *caecitas in homine*; vel *negativum* in casu opposito ut *caecitas in lapide*.

QUID VOCABULA NEGATIVA?

Schol. 1. Cavendum magnopere, ne in dijudicandis realitatibus ac defectibus grammatica vocabulorum etymologia deludamur; *paupertas* enim, verbi gratia, etsi videatur affirmationem sonare, notat defectum; contra infinitas, licet negationis speciem praeferat, realitatem indicat. Universim vocabula negativa absentiam idearum positivarum explicant, velut *insipidum*, *silentium*, *nihil*, quemadmodum egregie docet Lockius (*Essai concer. l' entend. hum. l.* 2. *ch.* 8. §. 5.), est nimirum negatio separatio unius ideae ab altera; hancque separationem, quae est positivus mentis actus, vocabulo *nihil*, vel alio quovis negativo exprimimus. Vide P. Buffier (*Trait. de primi. vet. p.* 2. *ch.* 25. *nu.* 357. *etc.*) (conf. §. 77. sch. log.).

QUID ENS RATIONIS FICTUM ET IMAGINARIUM?

Schol. 2. Faciunt etiam mentionem *entis rationis ficti*, *et imaginarii*. Primum illud est, quod extra mentis conceptum ita, ut cogitatur, existere nequit, qualia sunt omnia objecta idearum abstractarum (§. 73. sch. l. 2. log.). Alterum, quod tametsi eidem existentia repugnet, nos tamen ob ideam aliquam deceptricem (§. 77. schol. log.) existere posse praesumimus, ut est *respublica atheorum* a Baylio conficta. Ultimum quod idea imaginaria repraesentatur (§. 152. schol. log.) ut *memoria velut idearum receptaculum* concepta.

QUID ESSENTIA?

XLV. *Essentia* est nota, quae, quod ceterae, quae in ente insunt, ex eadem profluunt, primo a nobis loco concipienda est (conf. §. 52. log.). Si plures hac proprietate gaudeant, *essentialia*, dicuntur: *ut vis cogitandi in spiritu*; *vis sentiendi, et ratiocinandi in homine*.
Coroll. Per se patet essentiam esse determinationem entis (§. 39.).
Schol. Cum per id genus notas res quaelibet in certa entium classe constituatur, atque ab omnibus aliis discernatur, veteres dixerunt essentiam esse id, *per quod res est praecise haec res*, *et non alia*, simulque ab omnibus aliis differt, ac eam *quidditatem* vocarunt, quod per essentiam respondeatur ad quaestionem; *quid res sit?*

POSSIBILITAS EST ESSENTIA ENTIS.

XLVI. *Possibilitas est essentia entis generatim spectati.* Quidquid possibile est, ens est (§. 38.): ergo in ente generatim spectato

Digitized by Google

possibilitas primo loco concipi debet; sed essentia est id, quod primo loco concipi debet (§. praec.): ergo possibilitas est essentia entis generatim spectati.

Coroll. Clarum quoque est, quodvis ens habere suam essentiam, nec eadem unquam expoliari posse.

Schol. Sicut vero essentia entis generatim spectati est ejus possibilitas in genere; ita quoque entis cujuslibet ad certam speciem determinati essentia est ejus possibilitas ad eam speciem redacta, sive modus, quo ens ejus speciei possibile est; *sic spiritus per vim cogitandi, animal per vim sentiendi, homo per vim sentiendi et ratiocinandi, horologium per talem talium partium nexum possibile est.* Porro diligenter advertat philosophus, essentiam, de qua hic sermo est, esse duntaxat metaphysicam, seu idealem; realis enim, sive physica per collectionem omnium proprietatum rei existenti re ipsa convenientium constituitur, ut monui (§. 86. sch. 2. log.). Videri quoque potest P. Buffier (*Traité de primi. ver. p. 2. ch. 2. 4. 5.*).

XLVII. *Unum* generatim notat divisionis negationem. Si *a* sit unum, *b* unum, *c* unum, *d* unum etc. *a, b, c, d,* etc. dicuntur *multa.* *Unitas metaphysica* est negatio divisionis essentialium; multorum collectio *multitudo* vocatur. Videatur Dariesius.

QUID UNUM ET MULTA?

Schol. Philosophi praeterea distinguunt unum *per se,* et unum *per accidens*: illud est, cum multa, quae unum constituunt, a natura ipsa ad eam compositionem ordinantur, *ut homo constat corpore, et animo*: hoc, cum multa temere in unum conveniunt, *ut acervus lapidum temere congestorum* (*Phil. prim.* §§. 21. *et* 22.). Alio vero, et minus proprio sensu sumitur pro eo, quod est *unicum,* ut cum dicimus: *Deus est unus.*

OMNE ENS UNUM EST.

XLVIII. *Omne ens unum est.* Cum ponitur ens, ponitur omne id, per quod ens est hoc et non aliud, id est, ponuntur omnia essentialia; ergo ponitur negatio divisionis essentialium; sed haec est unitas (§. praec.); ergo cum ponitur ens, ponitur unitas, seu quod idem est, omne ens est unum.

Schol. Inde haec axiomata patefiunt: *essentia rerum sunt indivisibiles, sunt sicut numeri, non recipiunt magis et minus.* Nimirum quaternarius, exempli gratia, est numerus unus, constatque quatuor unitatibus: hae sunt quidem de se separabiles, verum, ut constituunt quaternarii essentiam, separari nequeunt; adde unitatem, sublato quaternario habebis quinarium; deme unitatem, erit ternarius.

QUID SUBJECTUM ET AFFECTIO?

XLIX. *Affectiones* sunt ea, quae enti conveniunt, nec tamen ad essentialia referri possunt: ens vero spectatum ut habens essentiam, et praeterea affectionum capax, *subjectum* vocabo.

Coroll. Determinationes igitur entis vel sunt essentialia (§. 45. cor.), vel affectiones.

QUAE DIVERSITAS INTER POSSIBILE ET EXISTENS?

L. Quaestio, *quid sit?* a quaestione, *an sit?* diversa est; igitur et essentia, per quam ad illam (§. 45. scol.), ab existentia, per quam ad hanc respondetur, differt: sed essentia entis generatim spectati est ejus possibilitas (§. 46.): ergo sola possibilitas ab essentia differt: et ex eo, quod aliquid sit possibile, non sequitur idem quoque existere, seu, ut habet canon: *a posse ad esse non valet illatio.* Porro quod existit, est quoque possibile: si enim non esset possibile, foret illud impossibile, et contradictionem involveret, atque adeo simul esset, et non esset, quod absurdum est (§. 11.): igitur et alterius canonis veritas patet: *ab esse ad posse valet illatio.*

Coroll. 1. Possibile igitur est vel existens, vel non existens: illud *actuale*, hoc *nudum*, vel *merum* possibile dicimus. Cum vero omne possibile sit ens (§. 38.), patet cur ens dividatur in *potentiale*, et *actuale*.

Coroll. 2. Quod possibile est opponitur impossibili, vel existenti; hoc rursus *merum* vel *nudum*: illud *logicum* vocatur.

Coroll. 3. In possibili actuali plus concipio, quam in nudo possibili: igitur existens plus est, quam nudum possibile; inde recte dico illud existere, cujus essentia est plus, quam nude possibilis.

QUID EXISTENTIA?

LI. *Existentia* est modus, seu status essentiae, quo ea est plus, quam nude possibilis.

Schol. Idea existentiae est omnino simplex, quae ratio est, cur accurate definiri nequeat (§. 84. cor. 3. log.): sed nullum inde detrimentum capimus: res enim per se magis omnibus nota est, quam ut oratione lucidior fiat.

QUID ENS A SE, ET AB ALIO?

LII. Enti actuali, sive existenti repugnare non existentiam manifestum est (§. 11.). Jam vero omnis repugnantia, seu impossibilitas est vel absoluta, vel hypothetica (§. 37.): ens actuale, cui absolute repugnat non existentia, *a se existere*; cui vero solum hypothetice repugnat non existentia, *ab alio existere* dicimus.

Coroll. 1. Ens a se numquam est, nec esse potest in statu nudae possibilitatis, atque adeo ipsa ejus possibilitas determinat existentiam, seu quod eodem recidit, ens a se, hoc ipso solum quod sit possibile, existit.

Coroll. 2. Contra vero ens ab alio potest esse in statu nudae possibilitatis, et non fit existens nisi impleta quadam hypothesi.

Schol. 1. Cum dicimus ens *a se* existere, nolumus denotare, id a se ipso effectum esse, universim enim repugnat, ut aliquid se ipsum producat, quod suo loco demonstrabitur: sed hoc solum innuimus, ens illud non egere caussa alia, a qua efficiatur, habereque in sua

essentia rationem sufficientem, cur existat, atque eam ob rem absolute repugnare, ut non sit actuale.

Schol. 2. Hypothesis illa, sub qua enti ab alio non existentia repugnat, est actio caussae producentis, sive ipsa productio; cum enim ens ab alio in statu nudae possibilitatis esse possit, eget caussa, a qua existens efficiatur; quamprimum vero productus est, repugnat ut ipsum simul non existat.

QUAE CONTROVERSIA, EJUSQUE STATUS?

Res haec occasionem praebuit philosophis duplicem in rebus creatis, quae nempe entia ab alio sunt, existentiam distinguendi; *formalem* unam quae sit ratio, sive, ut ajunt, forma, *per* quam ens redditur, et formaliter intelligitur existens, haec eadem est cum ea, quam superius (§. 51.) definivi: *caussalem* alteram, quae sit ratio, *ob* quam ens existit: haec in actione producentis, ipsius nimirum omnipotentiae divinae consistit. Porro de existentia formali quaerunt, utrum ea ab essentia existente, seu actuali realiter distinguatur, id est, utrum forma, quae essentiam actualem, denominat existentem, reapse, et nemine cogitante, ab eadem essentia diversa sit, an non? quae quaestio denique huc reducitur: an hoc concretum *essentia existens*, physicum, vel metaphysicum sit (§. 71. log.)? hoc philosophorum dubium ita resolvo.

LIII. *Si essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens, tunc existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.* Si essentia hoc ipso solum, quod producta sit, jam est existens, tunc datur jam existentia, tametsi praeter essentiam nihil omnino sit productum; sed si datur jam existentia, tametsi praeter essentiam nihil omnino productum sit, tum existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur; ergo si essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens, tunc existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.

LIV. *Essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens.* Essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam non est amplius nude possibilis; ergo essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est plus, quam nude possibilis: sed essentia plus quam nude possibilis est existens (§. 50. cor. 3.): ergo essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens.

EXISTENTIA AB ESSENTIA REAPSE NON DISTINGUITUR.

LV. *Existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.* Si essentia hoc ipso solum quod sit producta, jam est existens, tum existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur (§. 53.); sed essentia hoc ipso solum quod sit producta, jam est existens (§. praec.): ergo existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.

Coroll. Hoc igitur concretum *essentia existens* inter metaphysica referendum est.

Schol. 1. Potest et indirecte id ipsum demonstrari. Si essentia *a* existeret per formam distinctam *b*, tum etiam forma distincta *b* exi-

steret per novam formam distinctam *c*, atque haec rursus per aliam *d*, et sic porro in infinitum, atque hoc vehementer absurdum est: nimirum ut quaevis essentia ad hoc, ut existat, egeat formis numero infinitis reapse inter se distinctis, cui sano id persuadeatur? Neque vero de majoris propositionis veritate jure dubitari potest; omnes enim rationes, quae ex adversariorum mente pugnant pro distinctione reali existentiae ab essentia actuali, eodem prorsus modo pugnant pro distinctione reali secundae existentiae a prima; et tertiae a secunda, et ita porro, ut paulo post palam fiet: vel si id non evincunt, neque primum efficere poterunt. Certe si forma *b* distincta ab essentia *a* non aget nova forma distincta, sed per se ipsam existere potest, cur non eodem plane modo ipsa essentia *a* per se ipsa absque forma distincta existere queat? Verum dum distinctionem realem inter essentiam actualem, et existentiam nego, nequaquam simul excludo eam, quae dicitur rationis; quaeque sola cogitatione nostra perficitur, id enim alioquin ex ipsa concreti metaphysici natura per sese consequitur (§. 71. log.). Sed jam adversariorum momenta expendamus.

DILUUNTUR OBJECTA.

Schol. 2. Ajunt 1.) Si existentia ab essentia actuali realiter non distingueretur, tum entia creata existerent per suam essentiam; sed per suam essentiam existere soli Deo competit; ergo. Et id confirmatur ulterius; quia in hac hypothesi entia creata existerent necessario, et quidem non solum necessitate quadam consequente, sed omnino absoluta, et antecedente; nam ideo Deus necessitate absoluta existit, quia ejus existentia non distinguitur ab essentia: igitur etiam, si id in rebus creatis obtineat, eae existunt necessitate absoluta.

℞. *d. M.* si etc. per suam essentiam *formaliter*, *c. M.* per suam essentiam etiam *caussaliter n. M. d. m.* sed per suam essentiam *tam formaliter, quam caussaliter* existere soli Deo competit, *c. m. solum formaliter, n. m. et con.* Entia creata non habent quidem formam existendi a se distinctam, egent tamen actione caussae producentis, ut hanc formam acquirant, id est, ut existant: pendent igitur a Deo in eo, ut producantur, atque adeo existentiam caussalem non habent sibi internam, neque per suam essentiam *caussaliter* existunt; ubi tamen a Deo producta fuerint, obtinent formam existendi a sua essentia actuali non distinctam; atque adeo per suas essentias *formaliter* existunt (conf. §. 52. sch. 2.). Contra vero Deus tam *caussaliter*, quam *formaliter* per suam essentiam existit, tum quia non existit per formam a sua essentia actuali distinctam, in quo cum quovis ente creato convenit; tum quia non eget actione caussae alterius, ut hanc formam acquirat, eam enim sibi ipsi dat, non quidem hoc sensu, quod se ipsum produxerit, sed quod non sit ab alio, verum a semetipso, quodque ipsa ejus possibilitas existentiam determinet (§. 52. cor. 1. et sch. 1.), in

quo summum consistit Deum inter, ac entia creata discrimen (§. cit. coroll. 2.).

Ad confirmationem ulteriorem ajo, entia creata in hac hypothesi existere quidem necessario necessitate aliqua *consequente*, non item *antecedente*. Cum enim entia creata non acquirant formam existendi sibi internam, nisi ex hypothesi, quod sint producta, tota necessitas, qua existunt, consequitur hanc hypothesin contingentem, quod sint producta, nititurque in principio certitudinis, vi cujus quodlibet dum est, necessario est. Atque hanc necessitatem ipsi quoque adversarii posita licet distincta existentia admittere coguntur.

In paritate ad extremum adducta falsum est quod in antecedente dicitur: ratio enim, cur Deus necessitate absoluta existat, nequaquam in eo ponitur, quod ejus existentia ab essentia actuali non reipsa distinguatur, sed in eo, quod existentia ipsius per solam possibilitatem determinetur, sive quod in ejus essentia possibili contineatur ratio sufficiens ipsius existentiae: inde nimirum sequitur, ut Deus eadem necessitate absoluta, qua independenter ab omni alio ente possibilis est, etiam existat.

2.) Si existentia ab essentia actuali realiter non distingueretur, tunc essentia entis creati esset semper, et necessario sua existentia: sed hoc absurdum est; rursus enim inveheret necessitatem aliquam antecedentem; ergo.

℞. *d. M.* si etc. tunc essentia *actualis* entis creati esset semper, et necessario sua existentia *c. M.* essentia *nude possibilis n. M.* sic *a. m. n. con.* Cum essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam sit existens, necesse omnino est, ut essentia actualis semper sit sua existentia, quia tamen essentia non efficitur producta, sive actualis nisi per actionem caussae producentis, eadem essentia ante hanc actionem in statu nudae possibilitatis considerata nondum est sua existentia: necessitas igitur, qua essentia necessario est sua existentia, consequitur hypothesin contingentem quod sit producta, et nullo pacto antecedens, seu absoluta est. Idem esto judicium de hac enunciatione: *essentia entis creati est existens*; vera siquidem est, si essentia ponatur producta: falsa autem, si essentia nude possibilis intelligatur.

3.) Essentia actualis est indifferens ad accipiendam existentiam, sed quod est indifferens ad alterum, realiter ab eo distinguitur; ergo. Hanc porro indifferentiam physicam esse hac nituntur ratione ostendere: essentia actualis perficitur per existentiam, sicut quaevis potentia passiva per suum actum, sed quaevis potentia passiva est physice indifferens ad suum actum: ergo etiam essentia actualis est physice indifferens ad existentiam.

℞. *d. M.* Essentia actualis est *logice* indifferens ad accipiendam existentiam, *c. M.* est *physice* indifferens *n. M.* sic *d. M. m. n. con.* Duplicem statuunt philosophi indifferentiam unius ad alterum; *physicam*, quae tum habetur, cum aliquid enti jam existenti acce-

dere potest, ut *doctrina homini*, *rotunditas marmori*, et haec indifferentia, ut per se clarum est, arguit distinctionem realem; unde quia homo physice indifferens est ad doctrinam; marmor ad rotunditatem, homo a doctrina, marmor a rotunditate realiter distinguuntur. Deinde *logicam*, quae tum datur, quando unum sine alio, ad quod indifferens esse dicitur, cogitari, quidem, non tamen reapse existere potest; *sic vis sentiendi in homine* absque *vi ratiocinandi* cogitari quidem, non tamen existere potest, et haec indifferentia, ut rursus patet, arguit distinctione duntaxat rationis. Jam vero essentia actualis nunquam potest esse *physice* indifferens ad existentiam: cum enim essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam existat, fieri absolute non potest, ut vel essentia actualis unquam sit absque existentia, vel haec ipsi realiter accedat. Quum tamen essentia actualis sine existentia saltem per abstractionem cogitari possit, ea recte dicitur ad hanc *logice* indifferens esse, ao quod inde fluit, dari inter ipsas distinctionem rationis.

Ad prob. rursus *d. M.* Essentia actualis perficitur per existentiam, sicut quaevis potentia passiva *metaphysica* per suum actum *metaphysicum*, *c. M.* sicut quaevis potentia passiva *physica* per suum actum *physicum*, *n. M.* sic *d. M. n. con.* Per *actum* hic intelligunt omne id, quod alterum quacumque ratione perficit; illud vero, quod ita perficitur, ajunt esse in *potentia passiva* ad actum. Jam vero fieri potest, ut subjectum aliquod praeesistens per actum supervenientem, adeoque realiter a se distinctum perficiatur, ac physice determinetur ad certum modum existendi, tumque actus hic erit *physicus*, et subjectum perficiendum in potentia passiva *physica* ad hunc actum physicum realiter a se distinctum sic se habet *homo ad eruditionem*, *marmor ad rotunditatem.* Potest deinde etiam fieri, ut aliquod subjectum nostra solum cogitatione ab alio perficiatur, idque tum contingit, cum actus velut forma interna subjectum, quod quidem sine illa concipi, non tamen existere potest, suo modo perficit, ac novam ei denominationem tribuit; talis actus dici solet *metaphysicus*, et subjectum perficiendum est in potentia passiva *metaphysica* ad hunc actum metaphysicum a se non quidem realiter sed tamen cogitatione nostra distinctum: ita se habet sphaera ad rotunditatem. Si recolamus ea, quae in logica de concretis dicta sunt (§. 71.), facile patebit in omni concreto physico formam esse id genus actum physicum, in metaphysico vero metaphysicum. Cum igitur, et ex conclusionis probatione patet, essentia existens sit concretum metaphysicum, consequens est, ut existentia sit actus metaphysicus ab essentia actuali nostra duntaxat ratione distinctus.

4.) Illa quibus conveniunt praedicata contradictoria, realiter inter se distinguuntur, seu essentiae, et existentiae conveniunt praedicata contradictoria: ergo *m. p.* essentia est aeterna, necessaria, et immutabilis, existentia vero non est aeterna, nec necessaria, nec

immutabilis; sed haec sunt praedicata contradictoria: ergo essentiae, et existentiae conveniunt praedicata contradictoria.

℟. *M. d. m.* sed essentiae nude possibili, et existentiae conveniunt praedicata contradictoria *c. m.* essentiae actuali, et existentiae, *n. m. d. con.* ergo essentia nude possibilis, et existentia realiter distinguuntur, *c. con.* essentia actualis, et existentia, *n. con.* Idem serviet ad probationem responsum. Nempe si essentia nude possibilis consideretur, ea omnino necessaria, aeterna, ac immutabilis est, ut alio loco ex propositio ostendam; at vero si essentia jam existens, sive actualis spectetur, ea nequaquam necessaria, aeterna, aut immutabilis est; quaevis enim essentia, entis nimirum creati, prorsus contingenter existit. Essentiae igitur, et existentiae in eodem statu acceptae praedicata contradictoria haud competunt, sed quidquid de una dicitur, id de altera quoque affirmari potest; quare nulla omnino ratio est, ut putentur realiter distinctae. Quo tamen sensu asseram, essentiam nude possibilem ab existentia realiter distingui, statim patebit, quodsi enim sic arguas: essentia nude possibilis distinguitur ab existentia; sed essentia nude possibilis est eadem cum essentia actuali: igitur etiam essentia actualis distinguitur ab existentia.

℟. *d. M.* Essentia nude possibilis distinguitur *quoad statum* ab existentia, *c. M. quoad rem n. M. d. m.* sed essentia nude possibilis est eadem *quoad rem* cum essentia actuali, *c. m.* est eadem *quoad statum n. m. et con.* Idem prorsus ens, quod antea fuit in statu nudae possibilitatis, deinde post sui productionem in statu actuali existit, unde eadem quoad rem essentia nunc actualis est, quae prius fuit nude possibilis; sed status ejusdem essentiae jam non est idem, status namque actualitatis reapse differt a statu nudae possibilitatis: quemadmodum architectus aedificium constituit idem in re cum illo, quod antea mente conceperat, cujus tamen status postea multum diversus est ab eo, quem ante in idea solum ipsius habuit. Quare tametsi essentia nude possibilis diversa sit ab existentia, non est tamen consequens, ut etiam essentia actualis ab eadem existentia realiter differat; cum enim ea diversitas ex diversitate status oriatur, hac sublata et illam tolli necesse est. Ex his porro clarius intelligi potest, quomodo, quod supra dictum est, in essentiam nude possibilem, et existentiam praedicata contradictoria convenire queant, ea enim praedicata non ad rem ipsam, sed ad statum duntaxat pertinent; status quippe possibilitatis est aeternus, necessarius, et immutabilis, quia possibilitas rerum numquam incepit, numquam desinet: status vero actualitatis non est aeternus, nec necessarius, nec immutabilis; omnis enim res ut existens, praeter ens necessarium, sive Deum, et initium habuit, et finem existendi habere potest.

CAPUT III.

De Attributis, Modis, Relatione, Nexu, et Statu Entium.

QUID ATTRIBUTA, ET MODI?

LVI. Affectiones in ente praeter essentiam insunt (§. 49.): igitur ratione sufficiente nequaquam destituuntur (§. 21.). Jam vero haec ratio sufficiens vel in ipsa essentia entis continetur, vel non; si illud: affectiones eae compellantur *attributa*; si hoc: tum rursus ratio sufficiens vel est interna, vel externa (§. 19.); inde in hoc casu oriuntur *modi proprii*: in priore *modi analogici*: *ita hominis attributum est capacitas eruditionis consequendae; modus proprius eruditio obtenta; analogicus volitio libera.*

Coroll. 1. Omnia igitur, quae in ente insunt, vel sunt essentialia, vel attributa, vel modi utriusque generis.

Coroll. 2. Posita essentia ponuntur quoque attributa (§. 22.): igitur attributa inexuperabili nexu cum essentia copulantur.

Coroll. 3. Modi tam proprii, quam analogici salva entis essentia abesse possunt, hosque, uti et attributa, esse determinationes entis patet ex §. 49. cor.

Schol. Analoga modorum, seu modos analogicos eas appellamus affectiones entium, quae neque cum attributis, neque cum modis in omnibus conveniunt, nec vero etiam discrepant. Nimirum ab attributis differunt, quod posita essentia non necessario ponantur, sed sint ad instar modorum contingentes; a modis autem discernuntur, quod non agnoscant rationem sufficientem externam, sed ipsi enti, in quo insunt, internam, quam rem cum attributis communem habet: id genus affectiones sunt liberae hominum volitiones, et nolitiones.

POSSIBILITAS MODORUM EST ATTRIBUTUM.

LVII. *Possibilitas modorum ad entis attributa referenda est.* Ratio sufficiens, quae utique aliqua esse debet, cur modi in ente inesse possint, vel in modis ipsis, vel in attributis vel in essentialibus, cum praeterea nihil sit in ente (§. praec. cor. 1.); sed in modis non est, secus existentia modorum prior esset eorum possibilitate: ergo ea vel in attributis, vel in essentia continetur; sed utrum horum sit, semper ultimo ad essentiam reditur: ratio igitur sufficiens possibilitatis modorum latet in essentia; atqui id cujus ratio sufficiens in essentia continetur, est attributum (§. praec.): ergo possibilitas modorum ad entis attributa referenda est.

Schol. Sic homo, ut eruditus: lapis ut calidus, fiat, per essentiam suam capax est. Atque inde patet, quid sit *disposito naturalis* quam entibus tribuimus; cum nimirum ens per essentiam suam aptum est ad aliquem modum recipiendum, dicimus illud ad eum modum esse *naturalem dispositum.* Porro me non monente patet, modum, qui essentiae entis repugnat, in eodem inesse nullo

pacto posse, ac proinde nullum ens per suam essentiam aptum esse, ut admittat in se modum, qui vel cum essentia, vel cum attributis pugnet.

QUID DETERMINATIO INTERNA ET EXTERNA, SEU RELATIO?

LVIII. Determinationes, quae enti conveniunt, eidem vel in se, et absolute spectato, vel in comparatione duntaxat ad alia competunt: illae sunt *internae*, hae *externae*: et nominatim *relationes* dicuntur; *ut esse patrem, vel filium, ternarium esse, subduplum senarii, majorem binario, minorem quaternario.*

Coroll. Essentialia igitur attributa, et modi tam proprii, quam analogici sunt determinationes entis internae (§. 56. cor. 13.).

QUAE RELATIONIS PARTES?

LIX. Entia, quae inter se comparantur, *relata*, idque, quod refertur ad alterum, *subjectum relationis*: hoc vero *terminus relationis*: illud denique, quod efficit, ut unum ad alterum referri possit, *fundamentum relationis*, sive *ratio fundandi* appellatur. Quodsi in utroque ratio insit, ob quam ad sese mutuo referri queant, *correlata* audiunt.

Schol. Correlata sunt exempli gratia *creator* et *creatura*. Si primum creator ut subjectum referatur ad creaturam velut terminum, fundamentum erit largitio existentiae per actum creationis; propterea siquidem Deus dicitur creator, quia entibus per creationem existentiam contulit. Si deinde creatura referatur ad creatorem, fundamentum praebebit adeptio existentiae per creationem, ideo namque res dicuntur creaturae, quia a Deo per creationem existentiam consecutae sunt. Porro diversa sunt relationem genera, de quibus ordine deinceps agam.

QUID ENTIUM NEXUS — ET QUOTUPLEX?

LX. *Connexa* sunt, quorum uni competit determinatio sine altero non possibilis, illudque, quod hanc determinationem habet, ab alio *dependere* dicitur: ita *creator, et creatura connexa sunt, hoecque ab illo dependet.*

Coroll. Cum determinationes entium vel internae, vel externae sint (§. 58.), erit quoque nexus entium vel internus, vel externus: quando hic, quando ille per se patet.

QUID ET QUOTUPLEX STATUS?

LXI. *Status* entis est collectio omnium determinationum eidem quocumque modo convenientium, estque rursus ob rationem paullo ante redditam vel *internus*, vel *externus*.

Coroll. Modi tam proprii, quam analogici ad statum internum: relationes vero ad statum entis externum pertinent (conf. §. 58.).

CAPUT IV.

De Diversis Relationum Generibus.

QUAE EADEM, ET DIVERSA?

LXII. *Mutuo sibi substitui possunt* ea, quorum uno in locum alterius posito omnia manent sicut ante, quae sibi mutuo substitui possunt, *eadem*: quae non, *diversa* vocantur. *Sic globus ferreus duarum librarum in locum globi plumbei duarum pariter librarum, ratione ponderis habita, substitui potest.*

Schol. Quod si igitur, ait Boehmius (*Ont. s. 1. c. 6. §. 210. sch.*), *de uno tot formaveris propositiones, quot praedicata de eo tanquam subjecto enuntiabilia sunt: tum quatenus alterum cum priori idem est, eatenus alterum potest in his propositionibus tanquam subjectum loco prioris subjecti substitui, salva veritate, ut nempe, quae affirmativae fuerunt, maneant affirmativae, quae negativae, maneant negativae, adeoque ut nihil adsit, ex quo videas factam esse mutationem; quatenus vero alterum a priori diversum est, eatenus in una, vel aliquot propositionibus fieri nequit haec substitutio salva veritate.*

QUAE EADEM GENERE, SPECIE, AC NUMERO?

LXIII. Eadem *genere* sunt, quae quoad determinationes *genericas*; eadem *specie*, quae quoad determinationes *specificas*: eadem *numero*; quae quoad omnes determinationes hoc praecise individuum constituentes, seu quoad ipsum hoc *esse* sibi possunt. Inde facile intelligitur, quae *genere, specie*, aut *numero* diversa sint.

Schol. Ita eadem sunt *genere homo*, et *bellua*; specie *Socrates et Plato*; numero *Plato* idem *secum ipso*; omne nempe individuum idem numero est secum ipso, nec potest esse aliud, quod ipsum hoc *esse* commune habeat. Ab opposito diversa sunt; et quidem genere *homo et lapis*, specie *Alexander*, ac ejus *Bucephalus*: numero omnia individua ejusdem speciei, ut *Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero.* Sed tamen in his ipsis individuis semper fere sunt aliquae determinationes individuales in uno, quae non sunt in altero, quo efficitur, ut non solo in numero differant; *solo* quippe numero diversa dicuntur, in quibus praeter externam fortasse loci aut temporis relationem, nullum omnino aliud discrimen assignari potest, quam quod numerum faciant, sintque adeo plura, non unum; sic solo numero different plures globi ebrunei perfectissime similes, at aequales, nullaque alia re differentes, quam quod plures sint, non unus. Verum acris inter philosophos agitur controversia, utrum plura solo numero diversa existere possint: de qua quid sentiendum sit sub hujus capitis finem dispiciemus; necesse enim est, ut antea de aequitate, et similitudine entium pauca dicam.

QUID IDENTITAS, ET DISTINCTIO?

LXIV. Forma concreti *idem* (§. 71. log.) in abstracto considerata *identitas*; forma autem concreti *diversum distinctio* nuncupari

solet: est igitur *identitas*, aut *distinctio* ea entium affectio, qua fit ut eadem, vel diversa sint.

Coroll. Ergo identitas pariter, uti et distinctio est vel generica, vel specifica, vel numerica.

QUAE EARUNDEM SPECIES?

LXV. Rursus tam identitas, quam distinctio vel *realis* est, vel *rationis* seu *formalis*. Inter ea quae nemine cogitante actu, et in se diversa sunt, *distinctio realis ut inter Platonem, et Socratem*, inter ea, quae in se unum idemque sunt, sub diversis tamen conceptibus cogitari possunt *identitas realis, et distinctio formalis*; *ut inter vim sentiendi, et ratiocinandi in homine*; inter ea denique quae ita sunt eadem, ut neque per diversam ideam repraesentari queant, *identitas rationis* intercedit; *ut inter hominem et animal ratione praeditum.*

LXVI. Porro, quae realiter distincta sunt, eorum unoquodvis sine altero existere potest, vel non; si illud: distinctio realis nominatim dicitur *essentialis, qualis est inter animam et corpus*, sic hoc: *non essentialis*, quae iterum subdividi debet; vel enim unum sine altero existere non potest propterea, quod sit alterius pars, sive constitutivum, vel quod sit illius modus: in priori casu distinctio realis *inadeaquata* oritur, *qualis est inter brachium, et corpus humanum*; in posteriori *accidentalis*, seu *modalis*, *quae est inter marmor, et ejus rotunditatem.*

Schol. Cum distinctio inadaequata necessario involvat indentitatem pariter inadaequatam, ut per se patet, necesse est, ut opposita ratione indentitas, quoque in *adaequatam, et inadaequatam* distribuatur; sic nempe inter totum et omnes partes simul sumtas datur identitas adaequata inter totum vero, et quamvis ejus partem inadaequata. Alia praeterea identitatis distributio hic negligi non debet; dicimus vulgo ens perseverare *idem*, tametsi aliis, et aliis rebus succedentibus praeter formam externam nihil amplius de eo supersit, modo ea successio continenter fiat, et nostris sensibus subducatur; sic idem putamus plantae, aut animalis corpus hodie esse, quod annos ante aliquot fuit; sic quoque eumdem hodie, qui olim, Danubium praeter Viennam defluere dicimus haec tamen proprie vera esse non possunt, constatque illud Heracliti pronunciatum; *neminem his posse in eundem fluvium descendere.* Identitas isthaec *moralis* appellari peterit, pendet enim a morali hominum aestimatione; quae vero eidem opponitur, *physica*, seu ut aliquibus placet, *metaphysica* dicenda est, habeturque in ente; cujus essentialia invariata persistunt, quomodo anima nostra in perpetuum eadem perseverabit.

QUAE DISPARATA, ET OPPOSITA?

LXVII. Diversa vel sunt *disparata*, eum positio unius non involvit negationem alterius *ut pietas, et eruditio*: vel *opposita* cum posito uno alterum tollitur; haec rursus duplicis sunt generis: nonnum-

quam positio unius involvit negationem alterius ita, ut vicissim negatio alterius positionem includat, tumque dicuntur *contradictoria*, ut *possibile, et impossibile, lux et tenebrae*: alias unius quidem positio postulat negationem alterius, non tamen vicissim negatio unius positionem alterius, ut *amor*, *et odium*: et *contraria* appellantur.

Coroll. 1. Disparata possunt simul consistere in eodem subjecto, non item opposita, quae ad idem objectum tendunt.

Coroll. 2. Utrumque contradictorium nequit ab eodem subjecto abesse, potest autem utrumque contrarium (conf. §. 156. schol. I. 3. et 4. log.).

Schol. Cum privatio sit mera absentia realitatis in subjecto capaci (§. 44.), ea involvit negationem realitatis, atque ideo etiam negatio privationis realitatem includit. Inde vero consequens est, ut privatio, et realitas contradictorie opponantur, *ut visus*, *et caecitas*: quare *privative* opposita, sic enim nonnulli loquuntur; novam oppositionis speciem non constituunt. Addunt hoc loco etiam oppositionem *relativam*, quae in relatis, vel correlatis, quorum unum nequit esse alterum, conspicua est, *ut inter patrem et filium*, quae opinio si obtineat, non erit ratio, cur non omnia disparata inter opposita referantur.

QUID QUANTITAS?

LXVIII. *Quantitas*, seu *magnitudo* est multorum (§. 47.), quae sunt eadem (§. 62.), collectio; hanc *mensurare* non est aliud, quam eorum unum assumere, et quoties in reliquis contineatur, inquirere, propterea que unum illud *mensura* appellatur.

Coroll. 1. Multa simul collecta sub ea duntaxat ratione, sub qua sunt eadem, quantitatem constituunt.

Coroll. 2. Quantitas sine assumta unitate intelligi non potest.

Schol. Non est hic sermo de magnitudine spatii, quod corpus quodpiam occupat, quaeque *magnitudo extensionis*, seu *volumen* proprie vocatur; sed de magnitudine corporis, sive massa, quae aliud non est, ac materiae sub certo volumine contentae multitudo, unde facile intelligitur, quid *magnum*, aut *parvum* sit.

QUANDO MENSURABILIS?

LXIX. Quantitas vel finita est, vel infinita (§. 40. cor. 2.); in illa cum habet limites, sciri potest quoties id, quod pro mensura accipitur, contineatur: in hac vero ob absentiam limitum istud definiri nequit; quare illa *mensurabilis* est; haec non, ideoque *immensa* dici debet.

QUANTITAS EST DETERMINATIO INTERNA.

LXX. *Quantitas*, *seu magnitudo est determinatio entis interna*. Primum enim, quia enti revera convenit, determinatio est (§. 39.); deinde cum sit multitudo plurium eorumdem, enti, quamprimum illud ponitur, ante omnem cum aliis comparationem jam convenit: igitur haec determinatio interna quoque est (§. 58.): ergo quantitas est determinatio entis interna.

Digitized by Google

Coroll. Quantitas igitur est determinatio entis interna, quae dari quidem, sed non intelligi sine alio assumto potest, *ut magnitudo diametri in sphera*: haec est definitio quantitatis a Wolfio allata.

QUID QUALITAS?

LXXI. *Qualitas* est determinatio entis interna, quae sine alio assumto et dari, et intelligi potest, *ut doctrina in homine, rotunditas in marmore.*

Coroll. 1. Determinationes entis internae (§.58.) vel qualitates sunt, vel quantitates.

Coroll. 2. Cum essentialia, attributa, et modi sint internae entis determinationes (§. cit. cor.), et sine alio assumto intelligi possint, ut per se notum est, ea ad qualitates referri debent.

QUID GRADUS?

LXXII. Etsi qualitas non est quantitas, potest tamen magnitudo quaepiam in ea cogitari, atque adeo potest etiam eidem cum ratione quantitas tribui. Quantitas qualitatis *gradus* vocatur; cum porro quivis gradus ex aliis minoribus coalescere concipiatur, ille, ultra quem nullus amplius in eadem qualitate cogitari potest, *summus*, vel *ultimus* dicitur, et limitem (§. 40.) qualitatis constituit, ac propterea in qualitate infinita non existit.

Coroll. Igitur enim gradus dari quidem in qualitate, sed non intelligi sine alio assumto potest (§. 70. cor.).

Schol. Nimirum sicut pes Viennensis sine aliquo alio assumto intelligi nequit: ita neque gradum caloris in corpore quopiam existentem explicare possum, nisi assumto alio caloris gradu jam noto. Ceterum gradus vulgo dicitur *quantitas intensionis*, ut distinguatur a *quantitate extensionis*, cujus limen figuram constituit; sed de hoc infra.

QUID AEQUALITAS, ET INAEQUALITAS?

LXXIII. Entia, quae ratione quantitatis eadem sunt, *aequalia, ut duo globi ejusdem diametri*; quae vero ea sub ratione diversa sunt, *inaequalia* vocantur: *ut duo globi diversarum diametrorum. Aequalitas* proinde abstracte cogitata recte dicitur identitas quantitatum, uti et *inaequalitas* diversitas quantitatum.

QUID SIMILITUDO ET DISSIMILITUDO, ET QUOTUPLEX?

LXXIV. Entia, quae eadem sunt ratione determinationum, quae non sunt quantitates, *similia* audiunt: quia porro determinationes non quantitates vel internae sunt, vel externae (§.56. 70. 71.), etiam similia sunt vel interne, vel externe talia. *Similitudo interna* est identitas qualitatum, *ut rotunditas in duobus globis*; *similitudo externa* vero identitas relationum, *qualis datur in duobus fratribus ad communem parentem relatis.* Facile patet ab opposito *dissimilitudinem* constitui in diversitate determinationum non quantitatem, eamque pariter aut *internam*, aut *externam* esse.

Coroll. 1. Qualitates entis sunt essentialia, et quae ex his profluunt,

attributa, ac modi (§. 71. cor. 2.): igitur similitudo interna rursus duplex est, una ratione essentialium, et attributorum, quae *essentialis*: altera ratione modorum, quae *accidentalis* appellatur.

Coroll. 2. Ex adhuc dictis infertur quoque, ea, quae similia sunt, posse esse inaequalia, *ut duo globi diversarum diametrorum*: et quae aequalia sunt, posse esse dissimilia, *ut quadratum aequale triangulo.*

EADEM CUM UNO TERTIO SUNT EADEM INTER SE.

LXXV. *Quae sub aliqua ratione eadem sunt cum uno tertio, sunt quoque sub ea ratione eadem inter se.* Sit *a* sub aliqua ratione idem cum *c*: poterit ergo sub ea ratione *a* substitui pro *c* (§. 61.). Sit jam porro *b* quoque sub ea ratione idem cum *c*: poterit igitur et *b* sub ea ratione substitui pro *c*: ex his vero manifeste sequitur, etiam *b* sub ea ratione posse substitui pro *a*, aut vicissim *a* pro *b*: ergo *a*, et *b* sub ea ratione sunt eadem.

Coroll. 1. Sit haec ratio quantitas, sequitur ergo; quae sunt aequalia uni tertio, sunt aequalia inter se, et aequalia aequalibus sunt sibi ipsis aequalia.

Coroll. 2. Sit haec ratio qualitas, vel relatio, sequitur: quae sunt similia uni tertio, etiam sunt similia inter se, et similia similibus sunt sibi ipsis similia.

Coroll. 3. Patet igitur veritas axiomatum, quae pro construendis ratiociniis sine probatione sumsimus (§. 126. log.).

QUID PRINCIPIUM INDISCERNIBILIUM?

Schol. Ordo jam postulat, ut fidem datam liberem, quidque de ea, quam supra (§. 63. sch.) attigi, controversia sentiendum sit, paucis doceam. Non posse duo perfecte similia, soloque numero diversa existere sententia est, quae jam olim teste Tullio multis ex Stoicorum familia placuit, sic enim ad Lucullum ait (*Qq. acad. l.* 4. *c.* 26.): *omnia dicis sui generis esse nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum. Haec refelli possunt. Sed pugnare nolo.* Opinationem hanc prope jam emortuam suscitavit Leibnitius, confidenterque pronunciavit: *fieri non posse, ut duo individua solo numero differentia in hoc mundo existant* (*Recueil. de diver. piec. t.* 2. *Ecrit.* 4. *et* 5.). Enunciatum hoc principium identitas indiscernibilium vocavit, illudque legitima prorsus consecutione ex principio rationis sufficientis profluere opinatus est. Leibnitium mira consensione sequuntur Wolfius, Cantius, Bulfingerus, Hanschius, Baumeisterus, Boehmius, Winklerus, Baumgartenus, aliique, qui illius dogmata adorant. Stant ex adverso, veritatemque principii negant philosophorum plurimi, nec minus illustres, Newtonus, Clarkius, Boscovichius, Scherferus, Mako, aliique innumeri, quibus accenseri debet ex parte Dariesius (*Monad. gen. c.* 3. *c.* 2. §. 4. *sch.*), qui enunciationem eam ita restringit, ut omnino putet

plura entia quoad determinationes internas perfecte similia non modo posse, verum et actu existere, non tamen posse eadem in determinationibus quoque externis similiter convenire. Hi videntur veritatem prae ceteris assecuti esse.

PRINCIPIUM ISTUD SUSTINERI NEQUIT.

LXXVI. *Duo individua perfecte similia, ac solo numero diversa possunt existere.* Quae nec interne, nec externe repugnant, illa certissime existere possunt: sed duo individua perfecte similia, ac solo numero diversa nec interne, nec externe repugnant: non primum; quia duo talia individua, seu singulatim, seu simul sumantur, contradictionem non involvunt, ut optime ipse perspexit Leibnitius (*L.cit. écrit.* 5. §. 25.): quare aperte fatetur ea in re non esse impossibilitatem absolutam: non alterum: tum quia internam possibilitatem comitatur externa (§. 36. cor. 2. et 3.); tum quia eorum procreatio nullo pacto pugnat cum perfectionibus divinis, quod clarius ex refutatione rationum ab adversariis allatarum patebit: ergo duo individua perfecte similia, ac solo numero diversa existere possunt.

REFELLUNTUR MOMENTA ADVERSAE PARTIS.

Schol. Examinemus jam adversae partis momenta. Argumenta Leibnitii huc fere reducuntur. Productionem duorum perfecte similium repugnare sapientiae divinae; nulla enim ratio sufficiens foret, cur unum potius sit in loco *a*, quam *b*, et alterum in loco *b* potius, quam *a*: ea quippe ratio non esset in ipsis, cum sint perfecte similia: neque in locis, atque ideo Deum sine ratione sufficiente unum huc potius, quam illuc collocaturum. Idem multis urget Boehmius (*L.c.* §§. 21. 25. *Cosmo. trans. c.* 1. §. 530.). Deinde ad experientiam provocat, aitque numquam omnino ex omnibus, quae sub sensus cadunt; corporibus, ne duo quidem folia in amplissima silva, aut duas aquae guttulas microscopio inspectas, perfecte similia deprehendi.

Verum in promptu est responsum (*L. cit.* §. 23.). Imprimis generatim ratio sufficiens, cur ens sit in hoc loco, nec in ente ipso, nec in loco esse potest, sed in collocante quaeri debet, a summa igitur Dei libertate, plenoque in res omnes dominio penderet, utrum ex duobus perfecte similibus, siqua procrearentur, hoc potius, quam alio loco consistere oporteat. Universim Deum rationes sufficientes in rebus ipsis fundatas nec sequi, nec salva libertate sequi posse alias opportunius demonstrabitur. Id tamen his praeterire nequeo; ex mente Leibnitii non est impossibilitas absoluta in duobus perfecte similibus, quod superius innui; similiter Boehmius asserit, abstrahendo a principio rationis sufficientis in se possibile esse, *ut duo eadem prorsus existant*: inde vero prona haec fluit consecutio: ergo in se possibilia sunt duo vel plura individua perfecte similia. Cum igitur Deus aliquid procreat, unum simile ex pluribus adaequate similibus eligit; quae jam vero hujus rei ratio sufficiens? Novi quidem istud Leibnitii menti quam maxime ad-

versari, verum non, quod ille sentit, sed quod ex ipsius sensis profluit, hic attuli. Quod deinde ad experientiam attinet, ea nullam habet vim, cum de possibilitate agitur; neque enim omnia, quae possibilia sunt, existunt. Ostendam tamen in cosmologia, tanta corporum sensibilium diversitate nequaquam evinci dissimilitudinem quoque elementorum, ex quibus eadem coalescunt.

2.) Baumeisterus sic arguit (*Ontolog.* §. 169.): *si darentur duo individua, quorum neutrum ab altero ulla ratione differret, tunc illa duo indvidua essent unum, idemque, adeoque unum, idemque bis existere fingeretur. Cum vero unum, idemque bis existere contra sensum communem sit, intelligitur fieri non posse, ut duo dentur individua, quae in omnibus ita sint similia, ut ab altero alterum discerni nequeat.*

At vero consecutionem hanc ipse negat Leibnitius (*L. cit.* §. 29.): *fateor, quodsi duae res perfecte indiscernibiles existerent, illas fore duas: verum hipothesis falsa est, et contraria magno principio rationis (sufficientis).* Nimirum si duo existerent perfecte similia, ea quidem essent unius, ejusdemque speciei, non autem unum numero, quae duo a Baumeistero confunduntur; nam qui ponit duo individua perfecte similia, non ponit in unoquoque determinationes quoad entitatem suam easdem, sed similes, et quoad speciem easdem. Certe sicut in rebus inadaequate similibus non insunt aliquae determinationes numero eaedem; nam secus et hae bis existerent; ita neque in rebus adaequate similibus forent determinationes numero eaedem. Baumeisterus igitur et a mente Leibnitii aberravit, et in paralogismum incidit.

3.) Audiamus quoque Winklerum (*Ontolog.* §. 115.): *ex perfectae similitudinis notione intelligimus, duo individua, si omnino similia sint, neque possibilitate, neque existentia inter se differre posse. Ita patet duorum perfecte similium, si existere ea velimus, non nisi unam eamdemque esse posse existentiam.* Huic argumento acriter se opponit Boehmius (*Cosmol. transc. c.* 1. §. 530. *not.* 1.): *conceditur ipsam illam ideam, quae uni respondet, respondere etiam alteri: negatur vero, unum esse ipsum alterum.* Nempe ex eo, quod nos nec in possibilitate, nec in existentia duorum perfecte similium ullum discrimen deprehendamus, atque adeo una idea ambo repraesentare possimus, non sequitur ea in se esse unum, sicut tametsi unam tantum habeamus ideam vis sentiendi, ac ratiocinandi, quae in unoquoque inest homine, reapse tamen, et in se tot existunt distinctae vires, quot sunt homines. Et ratio ulterior est: quia licet non in duobus perfecte similibus nullum discrimen agnoscamus, erit tamen in se semper aliquod, idque ab infinita saltem Intelligentia perspici poterit, ipsum nimirum *hoc esse*, quod in uno inest, et non in altero, ac per quod unum non est alterum.

CAPUT V.

De Ordine, Veritate, ac Perfectione.

QUID ORDO, ET CONFUSIO?

LXXVII. Unum, quod ex pluribus secundum eamdem rationem juxta se collocatis vel se consequentibus coalescit, *ordinatum*; ejus autem abstractum *ordo*, qui proinde aliud non est, quam similitudo quaedam elucens in modo, quo plura juxta se collocantur, aut se invicem consequuntur; plura denique illa *ordinabilia* dicuntur. In casu opposito habetis unum *inordinatum*, seu *confusum*, et *inordinatio*, vel *confusio* consistens in dissimilitudine rationis, qua plura conjunguntur: *ita in bibliotheca adest ordo, cum libri ratione argumenti linguae, aetatis, formaeve externae disponuntur; confusio vero, si promiscue, prout in manus venerint, reponantur.*

Coroll. Identitas aut diversitas ordinis non pendet ab identitate, aut diversitate eorum, quae conjunguntur; sed ab identitate, aut diversitate rationis, secundum quam consociantur.

QUID REGULA ORDINIS, ET QUOTUPLEX?

LXXVIII. Cum uni ex pluribus coalescenti ordo tribuitur, id eidem praeter essentiam tribui manifestum est: igitur ratio sufficiens quaedam adsit, oportet (§. 21.). Propositio enuncians, quid huic rationi convenienter fieri debeat, *regula ordinis* appellatur: *sic identitas argumenti est ratio sufficiens ordinis in libris dispositis, et haec propositio: libri ejusdem argumenti simul componantur, est regula ordinis.*

LXXIX. Regula ordinis vel in plures resolvi potest, vel non; illa *simplex*, haec *composita* audit. Inde vero sequitur ordinem quoque aut *simplicem* esse, aut *compositum*: *ita haec propositio: libri ejusdem argumenti, linguae, et aetatis simul collocentur, est regula composita, quae si observetur, oritur ordo compositus.*

QUID ET QUOTUPLEX DEFECTUS?

LXXX. *Defectus* est determinatio regulae contraria, isque *verus*, si possit; *apparens*, si non possit vitari. Cum porro diversi ordines diversas sequantur regulas, fieri potest, ut, quod in uno defectum arguit, in altero sit regulae consentaneum; *sic cum sola argumenti ratio habetur, non est defectus, si variarum linguarum libri simul consocientur: esset vero, si regula et identitatem linguarum praeciperet.*

Coroll. Potest igitur etiam relate ad easdem res juxta se positas sub alio respectu ordo, sub alio confusio adesse.

QUID ORDO METAPHYSICUS?

LXXXI. *Ordo universalis*, seu *metaphysicus* is est, qui in omnibus hujus universi entibus elucet.

Schol. Extare reipsa ordinem quempiam universalem in cosmologia patebit, cum generalem etiam mundanorum nexum pluribus per-

sequemur; *est enim, Tullio teste, admirabilis quaedam continuatio, seriesque rerum, ut aliae ex aliis nexae, et omnes inter se aptae, colligataeque videantur* (*De nat. Deor. l. 1. c. 4.*).

QUID VERITAS METAPHYSICA?

LXXXII. Quatenus ens omnia habet quae requiruntur ut sit hoc duntaxat ens, et nullum aliud, eatenus *metaphysice verum* dicitur: est igitur *veritas metaphysica* convenientia entis cum iis simul sumtis, quae ipsum constituunt.

DEFINITIO VENDICATUR?

Schol. Veritatem generatim convenientiam quampiam cum re aliqua velut norma involvere ex eo colligo, quod hocce praedicatum tam veritati logicae, quam modali (§. 147. et sch. log.) competat. Porro normam hanc non esse extra ipsum ens quaerendam vel inde patet, quod, cum metaphysice de ente in se spectato ratiocinetur, veritas metaphysica eidem sub hac ratione tribuenda sit. Recte igitur veritas metaphysica in convenientia entis cum iis sumptis, quae ipsum constituunt, reponitur.

OMNE ENS VERUM EST.

LXXXIII. *Omne ens metaphysice verum est.* Omne ens est hoc ens, et non aliud, atque adeo habet omnia, quae requiruntur, ut sit hoc, et non aliud: ergo omne ens convenit cum iis simul sumtis, quae ipsum constituunt; sed hoc est esse metaphysice verum (§. praec.); ergo omne ens metaphysice verum est.

Schol. Sed numquid datur falsum aurum? nequaquam; id enim, quod falsum dicis, vel est aurum, vel non; si primum, igitur habet omnia, quae ad aurum requiruntur, atque adeo verum est; si alterum, igitur non est falsum aurum, sed aliud aliquod metallum; vel mixtum suo tamen in genere verum.

QUID CONSENTIRE ET DISSENTIRE?

LXXXIV. Varia, quae in ente ad idem obtinendum tendunt, *consentire*; quae autem ad idem non obtinendum tendunt, *dissentire* dicuntur. Duntaxat *non consentire* aut *non dissentire* est non tendere ad idem obtinendum; neque enim necesse est, ut illud, quod non tendit ad aliquid obtinendum, tendat ad id non obtinendum.

QUID PERFECTIO, ET IMPERFECTIO?

LXXXV. *Perfectio* est consensus variorum in ente; *imperfectio* vero dissensus variorum in ente; *sic horologium dicimus perfectum, cum varia, quae in ipso insunt, tendunt ad horas accurate indicandas.*

QUID IMPERFECTIO REMOTIVA?

Schol. Non consensus non est dissensus (§. 84.): Igitur vere, et proprie imperfectio dici nequit; interea tamen quia per hoc, quod aliquid non consentiat, perfectio excluditur, talis non consensus

aliquam saltem imperfectionem involvere videtur: quare optime duce Boehmio vocatur *imperfectio remotiva*, et discriminis gratia ea', quae superius definita est, *imperfectio contraria*. Porro cum varia consentire volumus, loquimur generatim de omnibus seu realiter, seu solum ratione nostra distinctis, quae in ente insunt, ut definitio maxime universalis evadat.

REALITAS SOLUM CONSENTIRE, NON VERO DISSENTIRE POTEST.

LXXXVI. *Quidquid in ente consentit, est realitas.* Cum omnis determinatio entis vel realitas sit vel defectus (§. 40. cor. 1.) etiam quidquid in ente consentit, vel realitas est, vel defectus; sed defectus, cum in mero non esse consistat (§. cit.), nequit ad aliquid obtinendum tendere, seu consentire: ergo quidquid in ente consentit, est realitas.

LXXXVII. *Quidquid in ente dissentit, non est realitas.* Quidquid in ente dissentit, illud ei opponitur, ad quod obtinendum alia in ente varia tendunt; sed illud, ad quod obtinendum varia in ente tendunt, est certissime quaepiam realitas: ergo quidquid in ente ad idem non obtinendum tendit, sive dissentit, opponitur alicui realitati; atqui realitas non opponitur realitati (§. 4.), igitur quidquid in ente dissentit, realitas non est.

Coroll. Omnis igitur in ente perfectio a realitatibus: omnis imperfectio a defectibus proficiscitur.

Schol. Etiam imperfectionem remotivam a solis defectibus oriri attendenti perspicuum est, nimirum si defectus sit ejus generis, ut tametsi perfectionis absentiam involvat, non tamen reliquarum realitatum consensum impediat, pariet is imperfectionem duntaxat remotivam; *ut si vitrum tubi optici in aliquibus punctis non sit satis politum.* Si contra defectus non modo perfectionem excludat, sed etiam aliarum realitatum consensum impediendo reapse dissentiat, imperfectionem gignit contrariam: *ut vitium elateris in horologio.* Porro, quia omnis entium perfectio a realitatibus oritur, fit ut vulgo quamvis realitatem perfectionem vocemus: sic sapientiam, doctrinam, pietatem hominis perfectiones dicimus; sic realitates, sive attributa divina, potentiam, sapientiam, aliasque perfectiones Dei compellamus, qui usus improbari certe non potest.

QUID PERFECTIO ESSENTIALIS, ET ACCIDENTALIS?

LXXXVIII. Quae in ente insunt, ad essentialia attributa, et modos seu proprios, seu analogicos referuntur (§. 56. cor. 1.), illa semper consentiunt in hoc, ut ens sit hoc potius, hujusque speciei determinatae ens, quam quodvis aliud; inde oritur perfectio *essentialis* cuivis omnino enti communis, quam *olim bonitatem metaphysicam* vocarunt. Consensus vero modorum cum essentialibus, et attributis in unum constituit perfectionem *accidentalem.*

QUID PRINCIPIUM, RATIO ET REGULA PERFECTIONIS?

LXXXIX. Id, ad quod obtinendum varia, quae in ente sunt, ten-

dunt, *principium perfectionis* dicitur, continetque rationem quae efficit, quodlibet eorum ita sit, nec aliter, seu ex qua illa variorum conjunctio intelligi, ac explicari potest. Ratio *haec ratio determinans perfectioni*, et propositio determinationem eidem consentaneam enuncians *regula perfectionis* audit.

Coroll. Posita itaque perfectione, ejus quoque principium, ratio determinans, atque regula ponenda est.

QUID PERFECTIO SIMPLEX ET COMPOSITA?

XC. Regula perfectionis *simplex* est, aut *composita*, id est, ex pluribus partialibus, quae ex diversis perfectionis rationibus, atque adeo ex diversis quoque principiis profluunt, coalescens: in priori casu adest perfectio *simplex*, in posteriori *composita*; *sic in horologio, in quo non solum horae, sed et minuta, solis lunaeque, ac aliorum planetarum cursus indicatur, perfectio est composita.*

QUID REGULARUM COLLISIO, ET EXCEPTIO AB IIS FACIENDA.

XCI. Cum regulae partiales ex diversis rationibus profluant, fieri potest, ut sibi mutuo opponantur, unaque poscat, quod altera prohibet; id si fiat, oritur *regularum collisio*. Dum porro opposita simul obtineri nequeant, eo in casu determinatio alicui regulae contraria facienda erit, *quae exceptio a regula perfectionis* audit, ac defectum apparentem caussat (§. 80.): *sic fieri potest, ut nequeant fenestrae ita construi, ut simul et commoditati prospectus, et sufficienti cubilis illuminationi inserviant.*

Schol. Si quod res est, fateamur; cum exceptio a regula perfectionis sit determinatio contra regulam facta ex una parte, tendit ea ad idem non obtinendum, ac ideo dissentit, paritque imperfectionem contrariam: cum vero ex altera parte sit simul determinatio secundum regulam facta, eo sub respectu tendit ad idem obtinendum, adeoque consentit, et gignit perfectionem: oritur igitur perfectio inseparabilis ab imperfectione, atque haec imperfectio per camdem regulam inducitur, per quam perfectio obtinetur; at vel ideo cessat esse *vera* imperfectio, ac in *apparentem* solum migrat; quoniam imperfectio vero sensu dici nequit, quae in re quidem secundum se considerata deprehenditur, continuo vero disparet, cum res ea ad illam, ad quam pertinet, refertur. Ita tametsi in oculo humano secundum se spectato imperfectio videri posset, quod minutissima objecta non exhibeat, ea tamen illico evanescit, cum ille ad totum corpus, cujus pars est, cujusque conservationi cum reliquis inservire debet, refertur.

REGULAE PARTIUM SUBORDINANTUR REGULAE TOTIUS.

XCII. Ponamus plura perfecta, quae tamquam partes unam quodpiam perfectum tamquam totum constituant, necesse erit, ut detur ratio determinans, regulaque generalis, ex qua intelligatur, cur partes hujus totius tales sint (§. 89. coroll.). Quia porro etiam partes ponuntur perfectae; quaevis rursus specialem suam rationem, ac regu-

lam habebit, quae omnes generali illi subordinandae erunt hoc ipso, quod partes, qua perfectae, constituant totum perfectum. Inde vero colligitur, ex eo, ad quod obtinendum partes in toto tendunt, intelligi, et explicari posse, ad quid obtinendum varia, quae in quavis parte insunt, speciatim tendere debeant. *Exemplum sume ab oculo humano, horologio, vel tubo optico.*

QUOMODO EXCEPTIO FACIENDA?

Schol. His quoque in casibus frequentes regularum collisiones occurrere posse per se manifestum est. Ut autem id genus exceptiones rite fiant, haec notasse juverit. Generatim quidem exceptio ita instituenda est, ut imperfectiones, quae per eam irrepunt, per perfectiones simul ingredientes, quantum fieri potest, compensentur. Tum regula nobilior praeferenda ignobiliori, atque ab hac potius ut illa salva persistat, exceptio facienda est: cum igitur regula partis pugnat cum regula totius, illam negligere, hanc conservare oportet, perfectio enim totius nobilior est perfectione partis: sic brachium resecandum est ad vitam conservandam, mercesque in mare projiciendae ad evitandum naufragium. Oritur hic quidem imperfectio in parte; at quae a perfectione totius separari nequit, ut exemplo oculi humani supra allato patet; hac enim imperfectione, quod nimirum minima non attingat, ab oculo remota totum corpus redderetur imperfectum. Atque hoc sensu imperfectio partis non modo non reddit totum imperfectum, sed multo magis confert ad perfectionem totius. Nonnumquam denique temperatione quadam ipsa regularum collisio impediri potest, si nimirum id, quod in perfecto obtinendum est, gradus admittat, neglectoque majori minor eligatur; sic cum tubus opticus objecta et clara, et aucta repraesentare debeat, regularum collisio timenda est, si utrumque in altiori gradu expetatur; quo enim majus est augmentum, eo minor est objecti claritudo, at in inferiori quodam gradu et conciliari possunt hae regulae, et omnis collisio vitari.

PERFECTIO EST ENTIS QUALITAS, ADMITTENS QUANTITATEM.

XCIII. *Perfectio est entis, cui tribuitur, qualitas.* Perfectio, cum sit consensus variorum in ente (§. 85.), eidem in se et absolute spectato competit: igitur ea est determinatio entis (§. 39.), et quidem interna (§. 58.). Deinde ob eamdem rationem in ente sine alio assumto et dari et intelligi potest: ergo perfectio est determinatio interna entis, quae sine alio assumto et dari et intelligi potest; sed id genus determinatio qualitas est (§. 71.): igitur perfectio est entis, cui tribuitur, qualitas.

Coroll. Igitur perfectio entium, quantitatem quoque seu gradus admittit (§. 72.).

QUOMODO EA AESTIMANDA?

Schol. In aestimanda perfectionis quantitate haec attendenda sunt. 1.) Cum principium perfectionis gradus admittit, illud ceteris pari-

bus perfectius est altero, in quo varia ad idem in altiori gradu obtinendum tendunt; ita ceteris paribus mundus, qui in majore gradu manifestat perfectiones divinas, antecellit reliquis; qui eumdem quidem finem, sed in inferiori gradu, assequuntur.

2.) Quo plenior est variorum consensio, eo major est entis perfectio; illud igitur, ceteris paribus, perfectius habendum est altero; in quo pauciores deprehenduntur imperfectiones non solum contrariae, verum, et remotivae.

3.) Perfectio simplex eo est major, quo plures, et majores, sive interiores in ente insunt realitates, quae consentiunt: quod si igitur realitates fuerint omnes possibiles, et nullo limite adstrictae, seu absolutae (§. 40.), ens illud erit absolute perfectissimum, id est infinite perfectum (conf. §. 87. sch.). Inerit enim in eo omnis possibilis consensus.

4.) Quantitatem perfectionis compositae constituunt plures regulae partiales, quae observantur: inde compositum altero perfectius censendum est, cum cetera sunt paria, quod pluribus constat perfectionibus simplicibus, et in quo vel reipsa pauciores sunt exceptiones, vel saltem eae ita institutae, et minimum, quoad fieri potest, imperfectionis inducant.

5.) Quodsi perfectio simplex finita cum composita comparari possit, hanc illi praeferendam esse per se clarum est; sic quippe horologium quod praeter horas, minuta quoque indicat, perfectius dicimus altero, quod solas horas ostendit. Verum inter ea, quae diversi sunt generis, potissimum talis comparatio institui nequit; tum vero ad id attendimus, utrum in quovis varia ita comparata sint, ut optime ad suum principium sive finem peculiarem sive propositum consentiant; quod, si ita habeat, dicimus omnia ea aequaliter suo in genere perfecta esse: sic diversi generis mundos, quorum nempe quisque ad perfectiones divinas in alio gradu manifestandas ordinatur, suo in genere aeque perfectos esse putamus, modo eorum quivis ad suum peculiarem finem quam optime tendat.

SECTIO III.

DE DIVERSIS ENTIUM SPECIEBUS.

QUAE HUJUS SECTIONIS SUMMA?

XCIV. Acturus de variis entium speciebus (§. 7.) necesse habeo, ut de ente necessario, et contingente, immutabili, et mutabili, composito, et simplice, finito denique, et infinito disseram. Verum plurimae sunt praeterea notiones, quae quia cum his intimo quodam nexu copulantur, et alios quoque magnos usus afferunt, in ontologia omitti nequaquam possunt. Pertractationem igitur praesentem ita absolvam, ut principe quidem loco enumeratas entium species dilucidem; reliqua vero, quae ignorari non debent, prout nexus ratio tulerit, persequar.

CAPUT I.

De Ente Necessario, et Contingente.

QUID NECESSITAS, ET CONTINGENTIA, ET QUOTUPLEX?

XCV. Determinatio, quae ita enti convenit, ut ejus opposita eidem convenire non possit, *necessario*; quae vero ita enti convenit ut ejus quoque opposita, tametsi non eodem tempore, eidem convenire queat, *contingenter* enti inesse dicitur. Inde oritur abstractum quod *necessitas*, aut *contingentia* appellatur.

Coroll. Generatim igitur quidquid ita est, ut ejus oppositum repugnet, necessarium, et quidquid ita est, ut oppositum non repugnet, contingens est.

XCVI. Determinatio, quae in ente esse nequit, vel absolute, vel hipothetice repugnat (§. 37.); hinc duplex est necessitas; *absoluta*; seu *antecedens* cum oppositum absolute repugnat: *sic absolute necessario circulus est rotundus*: *hypotetica*, seu *consequens*, cum oppositum sub conditione quapiam repugnat, sic *hypothetice necessario mundus existit, dum existit.* Similiter, cum impossibilitas sit vel metaphysica, vel physica, vel moralis (§. cit.), necessitas quoque in *metaphysicam*, *physicam, et moralem* rite distribuitur: qua vero ratione per se clarum est.

XCVII. Necessitas, quae de aliquo determinate sumto affirmari potest, *determinata est*; *sic alterutrum ex contradictoriis determinata necessitate verum est* (conf. §. 39. sch.): quae vero de nullo determinato, sed solum de aliquo ex omnibus possibilibus indeterminate sumpto praedicatur, *indeterminata*, seu *vaga* dicitur (conf. §. 108. log.): *sic vaga est necessitas alicujus calami ad scribendum, alicujus figurae in extenso.*

Coroll. Vaga necessitas non extat in iis, quae vage necessaria dicuntur ad alterum, nisi istud vel jam actu existat, vel saltem existere debeat: igitur necessitas haec est solum hypothetica.

Schol. Haec nimirum enuntiatio: *aliquis calamus est necessarius ad scribendum*, reapse hunc sensum continet; *si existeret*, *vel existere deberet scriptio, necessarius foret aliquis calamus*: unde patet necessitatem calami consequi hypothesin, quod scriptio vel actu existat, vel saltem existere debeat. Res haec summi est momenti ad confutandos atheos, ut suo loco videbimus.

ABSOLUTA TOLLIT CONTINGENTIAM, HYPOTHETICA NON ITEM.

XCVIII. *Necessitas absoluta tollit contingentiam: non item hypothetica.* Quidquid est absolute impossibile, numquam fieri potest possibile (§. 36. cor. 1.): igitur determinatio opposita illi, quae enti absolute necessario inest, numquam fieri potest possibilis, atque adeo nec eidem enti umquam inesse; atqui hac ratione tollitur omnis contingentia (§. 95.): ergo necessitas absoluta tollit contingentiam.

Deinde, quod solum hypothetice impossibile est, in se spectatum

est possibile, et remota illa hypothesi evadit absolute possibile (§. 37. cor. 1.): igitur determinatio opposita illi, quae enti hypothetice necessario inest, in se spectato inesse poterit; atqui hac ratione contingentia non laeditur (§. 95.): ergo necessitas hypothetica contingentiam non tollit.

Coroll. 1. Nihil igitur potest simul esse absolute necessarium et contingens, sub eodem nimirum respectu: potest autem aliquid esse simul hypothetice necessarium, et tamen contingens.

Coroll. 2. Inde ulterius sequitur necessitatem absolutam contradictorie opponi contingentiae, proinde, quidquid est, esse vel absolute necessarium, vel contingens (§. 197. sch. l. 3. log.).

Schol. Vel me tacente perspicuum est, sermonem hic esse de hypothesi, quae tolli possit; in casu enim opposito necessitas hypothetica aequiparatur absolutae, quemadmodum de impossibilitate dictum est (§. 37. cor. 2.).

CARET INITIO, ET FINE; NEC RESTRINGITUR AD LOCUM.

XCIX. *Necessitas absoluta nec initium, nec finem admittit.* Necessitas absoluta est in eo, cujus oppositum absolute repugnat (§. 96.). Igitur si necessitas absoluta vel initium, vel finem haberet, aliquid, quod est absolute impossibile, aliquando vel fuisset, vel foret possibile; sed hoc est vehementer absurdum (§. 37. coroll. 1.): ergo necessitas absoluta nec finem admittit.

Coroll. Cum id, quod initio, et fine caret aeternum dicamus, omnis necessitas absoluta est quoque aeterna.

C. *Necessitas absoluta est in omni loco eadem.* Si id, quod est absolute necessarium in loco *a*, non foret etiam absolute necessarium in loco *b*, tum pariter aliquid, quod esset absolute impossibile in loco *a*, foret absolute possibile in loco *b* (§. 96. et praec.): sed hoc fieri nequaquam potest (§. 37. cor. 1.): ergo necessitas absoluta est in omni loco eadem.

Coroll. Quod igitur absolute necessarium est, illud tale est in omni loco, et tempore, atque adeo necessitas absoluta perfectissime abstrahit ab omni loco, et tempore.

Schol. Ita necessitas absoluta, qua circulus est rotundus, aut totum majus sua parte, omni cogitabili temporis momento, et in omni possibili loco prorsus invariata persistit; neque enim ante mille annos, aut in America minus necessarium fuit circulum esse rotundum, et totum majus sua parte, quam id et hodie, et in Europa sit. Profecto, qui necessitatem absolutam ad certum aliquem locum, aut determinatum temporis momentum restringi posse putat, ille hoc ipso necessitatem absolutam tollit, et hypotheticam substituit; necessitas enim absoluta certo loco, aut tempori affixa esset necessitas sub hypothesi, quod locus ille, vel tempus adsit. Nullam igitur coarctationem admittit necessitas absoluta, et hoc ipso solum quod aliqua ratione limitetur, esset simul, et non esset necessitas absoluta.

ESSENTIA EST ABSOLUTE NECESSARIA IN ENTE.

CI. *Essentia enti cum absoluta necessitate competit.* Cum ens sua essentia expoliari numquam possit (§. 46. coroll.), sublata essentia tollitur ipsum ens; sed essentia entis tollitur per positionem oppositi: ergo per positionem oppositi essentiae tollitur ipsum ens, atque adeo essentiae oppositum in ente inesse absoluto non potest: sed id cum absoluta necessitate est in ente, cujus oppositum in eodem inesse absolute nequit (§. 96.): igitur essentia enti cum absoluta necessitate competit.

Coroll. 1. Essentiae igitur rerum sunt absolute necessariae, atque ideo quoque simul aeternae (§. 99. cor.).

Coroll. 2. Cum attributa in essentia rationem sufficientem habeant (§. 56.), ipsa etiam absolute necessaria, et aeterna sunt.

Schol. Atque inde philosophi affirmant in omni ente inesse quamdam necessitatem absolutam, eamque *necessitatem essentiae*, vel *definitionis* compellant.

QUIDQUID ENTI NON VI ESSENTIAE CONVENIT, CONTINGENS EST.

CII. *Quidquid enti vi essentiae non tribuitur, id, si conveniat, contingenter eidem convenit.* Quodvis ens per suam essentiam est hoc ens (§. 45. sch.): igitur etiam sublato illo, quod rei praeterea convenit, perseverat esse hoc ens; sed si sublato illo, quod enti non vi essentiae convenit, tamen perseverat esse hoc ens, tum illud, quod enti convenit, sed non vi essentiae, ei ita convenit, ut etiam oppositum aeque convenire possit, et hoc est contingenter convenire (§. 95.): ergo quidquid enti vi essentiae non tribuitur, id si conveniat; contingenter eidem convenit.

QUAE CONTINGENTIA INTERNA, ET EXTERNA?

Coroll. 1. Quae enti contingenter competunt, postulant rationem sufficientem (§. 12.), eaque vel interna, vel externa esse potest (§. 19.): inde contingentia quoque alia dicuntur, *interna*, alia *externa*.

Coroll. 2. Nec modi proprii, nec modi analogici vi essentiae enti tribuuntur (§. 35. cor. 3.): igitur cum insunt, contingenter insunt; hi quidem cum contingentia interna, illi cum externa.

Coroll. 3. Similiter patet determinationes externas, sive relationes (§. 58.) enti vi essentiae nequaquam convenire: si igitur relationes quaedam enti competant, id contingens sit, necesse est.

Schol. Non est mihi sermo de relationibus, quae inter personas divinas intercedunt; eae enim alterius sunt generis, nec ad philosophiam pertinent: id quod toties notandum venit, quoties de relationibus mentio recurrit.

EXISTENTIA ENTI A SE ABSOLUTE NECESSARIO, ENTI AB ALIO CONTINGENTER CONVENIT.

CIII. *Si ens a se existit, eidem existentia absolute necessario; si ens ab alio existit, eidem existentia contingenter competit.* Si

ens a se existit, eidem non existentia absolute repugnat, et si ens ab alio existit, eidem non existentia solum hypothetice repugnat (§.52.): igitur priori ita convenit existentia, ut oppositum absolute convenire nequeat, et posteriori ita convenit existentia, ut etiam oppositum convenire absolute possit; sed id est absolute necessario et contingenter convenire (§. 95.): ergo si ens a se existit, eidem existentia absolute necessario, et si ens ab alio existit, eidem existentia solum contingenter competit.

Coroll. Igitur in ente a se existentia est absolute necessaria; in ente ab alio ea est contingens.

QUID ENS NECESSARIUM ET CONTINGENS?

CIV. *Ens necessarium* voco ens, cujus existentia est absolute necessaria; *ex contingens* vero cujus existentia est contingens.

Coroll. 1. Ens a se est ens neeessarium, et ens ab alio est ens contingens (§.52.), omneque ens vel necessarium, vel contingens est (§. 88. cor. 2.).

Coroll. 2. Igitur etiam ens necessarium in statu nudae possibilitatis numquam esse potest; sed si est possibile, existit (§. 51. cor. 1.), et sufficientem suae existentiae rationem in se continet, proinde ejus existentia attributum est (§. 56.).

Coroll. 3. Ens contingens potest esse in statu nudae possibilitatis, neque hoc ipso, quod fit possibile, existit (§.cit. cor.2.), atque ideo etiam in se non continet rationem sufficientem suae existentiae.

Schol. Necessitas haec absoluta concipi debet velut ratio, quae efficit, ut ens, quod necessarium dicitur, existat; inde cavendum omnino est, ne eam putemus ipsam entis existentiam consequi; sic enim in hypotheticam degeneraret. Si igitur recte cogitare velis, cogita hanc necessitatem entis existentiam praecedere non quidem prioritate temporis, utraque enim est aeterna, sed prioritate naturae, et naturali idearum ordine.

ENS NECESSARIUM IN EXISTENDO NON PENDET AB ALIO.

CV. *Si existit ens necessarium, illud quoad existentiam ab alio non pendet.* Si ens necessarium, existit tum ejus existentia a sola ejusdem possibilitate pendet (§. praec. cor. 1.): igitur sicut possibilitas ipsa, ita quoque existentia est determinatio sine alio possibilis; sed nullum ens quoad eam determinationem ab alio pendet, quae sine alio est possibilis (§. 60.); ergo si existit ens necessarium, illud quoad existentiam ab alio non pendet. Patet id quoque immediate ex notione entis a se (§. 52.).

Coroll. Igitur ens necessarium existere potest, tametsi nullum aliud ens existat.

NEC IN NULLA ALIA DETERMINATIONE AETERNA.

CVI. *Si existit ens necessarium, illud quoad nullam determinationem internam ab alio pendet.* Quidquid existit, est undequaque in se determinatum (§.59. schol. log.): igitur etiam ens neces-

sarium, si existit, jam est undequaque in se determinatum; atqui ens necessarium, si existit, potest existere sine omni alio (§. praec. cor.) ergo etiam ens necessarium si existit, potest esse undequaque in se determinatum sine omni alio: sed si ens necessarium existens potest esse undequaque in se determinatum sine omni alio, tum nullam continet determinationem internam sine alio non possibilem, atque adeo quoad nullam determinationem internam ab alio pendet (§. 60.): ergo si existit ens necessarium, illud quoad nullam determinationem internam ab alio pendet.

Coroll. 1. Igitur ens necessarium est undequaque, et sub omni respectu interne independens ab omni alio ente.

Coroll. 2. Et quia modi propri sunt determinationes internae (§. 58. coroll.) ab alio pendentes (§§. 56. 60.) evidens est enti necessario, si existat, non posse inesse modos proprie dictos.

Coroll. 3. Ergo etiam, e converso, ens, in quo insunt modi propril, non est ens necessarium, sed contingens (§. 104. cor. 1.).

ENS CONTINGENS IN EXISTENDO PENDET AB ALIO, EOQUE NECESSARIO, AC EXISTENTE.

CVII. *Si existit ens contingens, illud quoad existentiam pendet ab alio.* Cum existentia entis contingentis pariter contingens sit (§. 104.), petit ea rationem sufficientem (§. 21.); quae, cum interna esse nequeat (§. 104. cor. 3.), externa esse debet (§. 19.): igitur si ens contingens existit, illud habet rationem sufficientem suae existentiae in alio, seu, quod idem est, illius existentia sine alio possibilis non est, atque adeo ab alio quoad existentiam pendet (§. 60.).

Coroll. Existentia entis contingentis est modus proprius (§. 56.), atque ideo omne ens contingens potest habere modos proprie dictos.

CVIII. *Si existit ens contingens, illud quoad existentiam pendet ab ente necessario.* Imprimis haec existentia pendet ab alio (§. praec.) jam illud aliud esse ens necessarium sic evinco: cum demonstratio data valeat de omni ente contingente, ut per se clarum est, quamdiu haeres in entibus contingentibus, semper deprehendis existentiam dependentem, numquam tamen ejus rationem sufficientem; ut igitur hanc detegas, extra omnia contingentia exire debes; sed extra omnia contingentia est ens necessarium (§. 104. cor. 1.): ergo ratio sufficiens existentiae entis contingentis continetur in ente necessario, id est, si existit ens contingens, illud quoad existentiam pendet ab ente necessario.

Schol. Putant athei robur demonstrationis hujus labefactari, si ponantur entia contingentia numero Infinita, de hoc quidem alias erit dicendi locus, Istud tamen interea notari velim: quod demonstratur de uno ente contingente, quia contingente, illud valet etiam de quocumque eorum numero, adeoque etiam, si velis infinita; quocumque enim sint, sunt tamen entia contingentia: quemadmodum quod geometra demonstrat de uno circulo, applicari debet ad omnes possibiles. Cum igitur entia contingentia in infinitum multi-

plicas, simul in infinitum multiplicas rationem, quae demonstrat ens contingens in existendo pendere ab ente necessario.

CIX. *Ens necessarium, a quo existentia entis contingentis pendet, est existens.* Ens illud necessarium vel est impossibile vel possibile (§. 29.); illud esse nequit, nam cum impossibilis sit non ens (§. 38.), in non-ente continuaretur ratio sufficiens alicujus realitatis, quod perspicue absurdum est, et reipsa pugnat cum §. 21: ergo alterum; porro si ens illud necessarium possibile est, vel illud est nude possibile, vel actuale (§. 50. cor. 1.): primum rursus esse non potest (§. 104. cor. 2.): ergo alterum obtinet, id est, ens necessarium, a quo existentia entis contingentis pendet, existens.

Schol. Si igitur vel unicum ens contingens existit, existit quoque necessarium.

ENS NECESSARIUM EST AETERNUM, ET IMMENSUM QUOAD LOCUM.

CX. *Si existit ens necessarium, illud est aeternum.* Si existit ens necessarium, existit illud necessitate absoluta (§. 104.); sed necessitas absoluta est aeterna (§. 99. cor.): ergo si existit ens necessarium, illud existit necessitate aeterna; sed hoc ipso etiam aeternum est: ergo si ens necessarium existit, illud aeternum est.

CXI. *Si existit ens necessarium, illud existit in omni loco, seu quoad locum immensum est.* Si existit ens necessarium tunc illud existit vel in omni loco, vel in aliquo tantum: istud esse nequit: ponamus enim ens necessarium existere in aliquo tantum loco; existet igitur in illo vel necessario, vel contingenter (§. 98. cor. 2.); non primum: nam nulla potest esse ratio, ut ens necessarium uni tantum loco necessario affigatur. Non alterum; nam quod in loco contingenter existit, de loco in locum moveri; ac proinde quoad statum internum, accedente nimirum nova vis interna modificatione, mutari potest, quod in ens necessarium non cadit, ut infra (§. 120.) demonstrabo. Igitur si ens necessarium existit, tunc illud existit in omni loco, seu quoad locum immensum est.

Schol. Veniam dabit benevolus lector ad futuram demonstrationem contra methodi leges provocanti: opportunum non videbatur rem eo reijcere, tum quod magnam habet immensitas cum aeternitate analogiam, tum quod ibi de hujus generis proprietatibus disserendi locus non erit.

IN ENTE NECESSARIO POSSIBILES SUNT OMNES REALITATES ILLIMITATAE, ET SI EXISTAT, IN EO QUOQUE EXISTUNT.

CXII. *In ente necessario possibiles sunt omnes possibiles realitates illimitatae.* Ens quod omnibus possibilibus realitatitibus illimitatis praeditum sit, est possibile (§. 43. cor. 1.); sed istud non est ens contingens; hoc enim per essentiam excludit independentiam (§. 107.), quae certe vera est realitas, ergo ens possibile, quod omnibus possibilibus realitatibus illimitatis praeditum sit est ens necessarium (§. 104. coroll. 1.).; atqui si ens necessarium est possibile, quod omnibus possibilibus realitatibus illimitatis praeditum sit,

tunc utique in ente necessario possibiles sunt omnes possibiles realitates illimitatae: ergo in ente necessario reapse possibiles sunt omnes possibiles realitates illimitatae.

CXIII. *Si ens necessarium existit, existunt quoque in eo omnes possibiles realitates illimitatae.* Si ens necessarium existit, istud existit hoc ipso solum, quod sit possibile (§. 104. cor. 2.): igitur etiam si ens necessarium existit, existunt in eo omnes realitates in eo possibiles, hoc ipso solum, quod sint possibiles; sed omnes possibiles realitates illimitatae sunt in eo possibiles (§. praec.); ergo si ens necessarium existit, existunt quoque in eo omnes possibiles realitates illimitatae.

Coroll. Cum ens, in quo omnes possibiles realitates illimitatae existunt, sit ens absolute perfectissimum (§. 93. sch. n. 3.), patet, ens necessarium, si existat, esse absolute perfectissimum.

INDE ENS NECESSARIUM EST ABSOLUTE PERFECTISSIMUM ET UNICUM.

CXIV. *Ens necessarium non potest esse nisi unicum.* Ens necessarium est ens absolute perfectissimum (§. praec.); sed ens absolute perfectissimum non potest esse nisi unicum. Sint enim vero duo, pollebunt ea et liberrima, et efficacissima voluntate: igitur posunt velle contradictoria; igitur etiam fieri poterit, ut vel duo contradictorie sint simul vera, vel ut alterutrum, id, quod efficacissime vult, non obtineat: quo te cumque vertas, nodo te implicas insolubili: igitur manifestum est, ens necessarium non posse esse nisi unicum.

Schol. Hujus demonstrationis laqueo te non explicabis dicendo, numquam fore, ut duo entia perfectissima in volendo dissentiant; non enim id agitur: esto: idem semper velint, velent tamen liberrime: poterunt igitur dissentire, poterit unum velle, mundus existat; alterum, ut mundus non existat; ac proinde poterit quoque vel mundus simul existere, et simul non existere, vel alterutrius voluntas in irritum cadere.

Aliud ad stabiliendam hanc veritatem momentum adfert ipsa necessitas absoluta, qua ens necessarium existit, si existat: haec nimirum necessitas absoluta uti ad nullum tempus, vel locum (§§. 99. 100.); ita neque ad nullum numerum restringi potest, quin hoc ipso cesset esse absoluta, et in hypotheticam transeat: inde vero consequens est, ut, si detur quaedam necessitas absoluta ad existendum, ea sit vel in uno tantum ente, vel in omnibus possibilibus; quem enim cumque numerum ponas, cum quivis alter numerus sit aeque possibilis jam necessaria foret quaedam hypothesis eam necessitatem absolutam ad hunc determinatum entium numerum restringens. Jam vero in omnibus possibilibus entibus inesse necessitatem absolutam ad existendum apertissime cum ratione pugnat. Restat igitur, ut si quaedam sit, ea sit in uno solum. Sed jam satis de ente necessario, et contingente: si cuiquam hac in re aequo longior fuisse videar, eum ad theologiam remitto: ibi enim horum omnium fructus amplissimus patebit.

CAPUT II.

De Ente Immutabili, et Mutabili.

QUID MUTABILE, ET IMMUTABILE?

CXV. *Mutatum* esse dico, quod non amplius idem est, seu quod amplius sibi substitui nequit (§. 62.): inde colliges, quid *mutabile* sit, *et immutabile*: illud nempe potest, hoc non potest mutari; *sic lapis prius calidus, nunc frigidus sibi amplius substitui nequit, est ergo mutatus.*

NECESSARIUM IMMUTABILE; CONTINGENS MUTABILE EST.

CXVI. *Quo respectu aliquid est necessarium, eo respectu est quoque immutabile; et quo respectu aliquid contingens est, eo quoque respectu est mutabile.* Quo respectu aliquid est necessarium, eo respectu ejus oppositum est impossibile; et quo respectu aliquid contingens, eo oppositum est possibile (§. 95.); sed id, cujus oppositum est impossibile, non potest, et id, cujus oppositum est possibile, potest mutari: illud enim debet, hoc non debet semper manere idem: ergo quo respectu aliquid est necessarium, eo respectu est quoque immutabile, et quo respectu aliquid est contingens, eo respectu est mutabile.

Coroll. 1. Ergo quidquid est vel absolute, vel hypothetice, vel metaphysice, vel physice moraliter necessarium (§.96.), illud eadem ratione est immutabile. Idem ab opposito valet de contingente.

Coroll. 2. Inde ulterius essentiae rerum cum attributis (§. 102 cor. 1. et 2.), et existentia entis necessarii (§. 104.) sunt absolute immutabiles.

Coroll. 3. Contra modis tam proprii, quam analogici cum relationibus (§. 102 cor. 2 et 3.), et existentia entis contingentis (§.104.), sunt absolute mutabiles.

Coroll. 4. A mutabilitate absoluta ad hypotheticam non rite concluditur; potest igitur aliquid, quod absolute mutabile, hipothetice tamen esse mutabile.

MODI ANALOGICI IN ENTE NECESSARIO NON MUTANTUR.

CXVII. *Siqui modi analogici in ente necessario insunt, ii in eodem sunt immutabiles.* Ponamus inesse in ente necessario modos analogicos, eosque mutari, mutarentur certe ab ipso ente necessario (§§. 56. et 106. cor. 1.); sed ens necessarium suos modos analogicos si quo habet, mutare non potest; haec enim mutatio non posset proficisci, nisi vel ab ignorantia alicujus rei, vel a quadam animi inconstantia et levitate, quae pugnant cum absoluta perfectione ipsi competente (§. 113. coroll.): ergo siqui modi analogici insunt in ente necessario, ii in eodem sunt immutabiles.

Coroll. Haec igitur immutabilitas est immediate hypothetica, sub hypothesi nimirum, quod ens necessarium debeat esse absolute

perfectissimum: quia tamen hypothesis ista tolli absolute non potest, ea aequiparatur absolutae (§. 98. schol.).

QUID MUTATIO ENTIS INTERNA, ET EXTERNA?

CXVIII. Modi tam proprii, quam analogici ad statum entis internum; relationes ad externum pertinet (§. 61. cor.): cum illis igitur internus, cum his externus entis status mutatur. Mutatio status interni est *interna*, et *propria* entis mutatio: mutatio status externi est *externa*, *et impropria* entis mutatio: relationes enim, cum sint totae externae, in ente nihil ponunt: quare cum mutantur, mutantur solum respectu entis ad alia.

QUID ENS IMMUTABILE, ET MUTABILE?

CXIX. *Ens immutabile* voco illud ens, cujus status internus absolute nequit mutari; contra *ens mutabile*, cujus status internus mutari absolute potest.

Coroll. Omnes ens vel est ens immutabile, vel ens mutabile.

ENS NECESSARIUM EST ENS IMMUTABILE?

CXX. *Ens necessarium est ens immutabile.* Determinationes, quarum collectio internum entis necessarii statum constituunt (§. 61.), sunt essentialia attributa, et siqui adsunt, modi analogici (§. 58.), modi enim proprii inesse nulli possunt (§. 106. cor 2.), sed essentialia cum attributis sunt absolute immutabilia (§. 116. cor. 2.), et hiypothetica modorum analogicorum immutabilitas aequiparatur absolutae (§. 117. coroll.): ergo internus entis necessarii status mutari absolute non potest; sed ens, cujus status internus absolute nequit mutari, est ens immutabile (§. praec.): ergo ens necessarium est ens immutabile.

Coroll. Ergo etiam ab opposito: ens necessarium non est ens mutabile: ac proinde etiam inverse: ens mutabile non est ens necessarium.

ENS CONTINGENS EST ENS MUTABILE.

CXXI. *Omne ens contingens est ens mutabile.* Omne ens contingens habet existentiam mutabilem (§. 116. cor 3.), et alios praeterea admittit modos proprios (§. 107. cor.), qui sunt absolute mutabiles (§. 116. coroll. 3.): ergo illius status internus absolute mutari potest; sed illud, cujus status internus absolute mutari potest, ens est mutabile (§. 119); ergo omne ens contingens est ens mutabile.

Coroll. Ergo etiam ab opposito: nullum ens contingens est ens immutabile, ac proinde etiam inverse; ens immutabile non est ens contingens.

ENS IMMUTABILE EST ENS NECESSARIUM.

CXXII. *Ens immutabile est ens necessarium.* Ens immutabile vel est ens necessarium, vel contingens (§. 104.), sed ens immutabile non est ens contingens (§. praec. cor.): ergo ens immutabile est ens necessarium.

ENS MUTABILE EST ENS CONTINGENS.

CXXIII. *Omne ens mutabile est ens contingens.* Omne ens mutabile vel est ens contingens, vel ens necessarium (§. 104.): sed nullum ens mutabile est ens necessarium (§. 120. cor.): ergo omne ens mutabile est ens contingens.

QUID VARIATIO, ET QUOTUPLEX?

CXXIV. *Variatio* contingit cum determinatio una aliqua in locum a se diversum in ente succedit, estque vel *interna*, vel *externa*, prout de determinationibus internis, vel externis agitur. Ens, in quo variatio possibilis est, *variabile* dicitur.

Coroll. 1. Facta variatione ens amplius sibi substitui non potest: igitur facta est mutatio (§. 115.); omnis proinde variatio cum mutatione conjungitur, et quo respectu aliquid est variabile, eo etiam est mutabile, et vicissim.

Coroll. 2. Quidquid variari potest, contingens sit, necesse est; quia porro soli modi et proprii, et analogici in ente contingentes sunt, ii etiam soli in ente variari possunt.

QUID MODIFICATIO?

Schol. Inde est, cur Philosophi generatim omnem variationem internam, quae sola propria est entis variatio (conf. §. 118.), *modificationem* entis; ens autem illud, cui in se spectato variatio modorum seu proprie, seu analogice sic doctorum non repugnant, *subjectum modificabile* compellent. Quia porro successio modorum tempore aliquo eget, necesse est, ut subjectum, quod sit modificabile, simul aliquandiu in existendo perseveret, seu, ut ajunt, sit *perdurabile.* Atque sic devolvimur ad notiones substantiae, et accidentis distincte explicandas.

CAPUT III.

De substantia, accidente, et vi.

QUID SUBSTANTIA, ET ACCIDENS?

CXXV. Ens, quatenus spectatur ut habens essentiam, et praeterea affectionum capax, subjectum dixi (§. 49.): istud subjectum jam posthac *substantiam* vocabo, *accidentia* vero affectiones omnes, quae ipsi insunt, vel inesse possunt. Est enim substantia ex communi philosophorum sententia illud, quod *per se existit*, id est, in existendo non pendet ab alio tamquam subjecto; et accidens, *quod existit in alio* tamquam subjecto, cui inhaeret.

Coroll. 1. Quidquid existit, substantia est, vel accidens.

Coroll. 2. Si inter affectiones locum habeant modi, erit substantia *subjectum perdurabile, et modificabile*, quae est definitio Wolfii.

Coroll. 3. Accidentia extra substantiam existere nequaquam possunt, et determinationes, quae ipsis tribuuntur, sunt reapse determinationes substantiae, cui inhaerent: *Sic libertas tribuitur voluntati, est autem revera determinatio animae, quae vult.*

Schol. Leibnitius substantiam definivit per ens, *quod principium mutationum in se continet* (*Act. erud. an.* 1694. *p.* 110.); at vero non videtur ita sine probatione sumi posse in quavis substantia inesse suarum mutationum principium. Qui autem substantiam per modum receptaculi vacui, in quo omnes determinationes, essentialia videlicet, attributa, et modi inhaereant, concipiunt, ii ideam solum imaginariam (§. 152. sch. log.) animo informant, atque inde mirum non est, quod de summa ideae hujus obscuritate cum Lokio vehementer conquerantur; cum enim a subjecto illo omnia mente abstrahant, et in accidentium numero reponant, nihil in ipsa substantia relinquunt, quod intelligere, ac discernere possint. Est certo absurdum, omnia quae in ente insunt, referre inter accidentia, et tamen velle, ut praeterea supersint, quae in eo cogitentur. Quod ad impiam substantiae definitionem a Spinoza allatam attinet, dicam uberius pro rei gravitate, sed alio loco.

QUID ACTIO, ET EFFECTUS?

CXXVI. Ens *agit*, cum efficit, ut aliquid ad actualitatem, sive existentiam perveniat: abstractum *τὸ agere* vocatur *actio*, estque in se nihil aliud, quam determinatio, seu efficientia actualitatis cujusdam: id vero, quod existens fit, seu agitur, *effectus* cognominatur.

QUID ACTIONIS SUBJECTUM, ET TERMINUS? — ITEM ACTIO IMMANENS, ET TRANSIENS?

CXXVII. Porro ipsum agens saepius *actionis subjectum* audit, tum vero effectus dicitur *terminus actionis*: quia vero terminus hic vel in ipso subjecto agente, vel extra ipsum esse potest, inde duplex oritur actionis species; in priori nimirum casu actio est *immanens*, in posteriori *transiens*. Inde intelligitur, quando ens *immanenter*, quando *transitive* agat.

QUID PASSIO?

CXXVIII. Actioni opponitur *passio*, quae est abstractum *τὸ pati*; patitur vero ens, in quo per alterius actionem aliquid sit existens; unde *passio* est quaedam entis mutatio, cujus ratio sufficiens in actione alterius continetur.

QUID ACTIO IN ALTERUM, ET QUOTUPLEX?

CXXIX. Cum unum ens ab altero patitur, alterum in hocce agit: igitur *agere in alterum* est efficere, ut alteri aliquid actuale competat. Id quod efficit ut alteri aliquid actuale competat, vel id in altero efficit vera sua actione, vel solum actione sua aliquid, quod obstabat, ne illud actuale fiat, removet; in primo *actio in alterum* est *propria*; in secundo *impropria*, seu *remotiva*.

QUID FACULTAS AGENDI, ET PATIENDI?

CXXX. Ens, quo agit, etiam agere, et quod patitur, pati potest (§. 50.). Quatenus ens agere potest, eatenus illi tribuitur *facultas activa*, seu *agendi potentia*, quae proinde aliud non est, quam pos-

sibilitas actionis concipienda, atque intelligenda per ea, quae in ente insunt: quatenus vero ens pati potest, eatenus ei *facultas passiva*, seu *potentia patiendi* competit, quae rursus nihil est aliud, quam possibilitas passionis concipienda per ea quae in ente insunt. *Sic anima habet facultatem volendi, ignis urendi, lapis ut calefiat.*

QUID VIS, EJUSQUE ACTUS 1.MUS ET 2.DUS?

CXXXI. Quatenus ens agere duntaxat potest, eatenus nondum agit, neque umquam ex sola actionis possibilitate, seu potentia activa ipsa actionis actualis sequitur (§. 50.); necesse igitur est, ut si actio existat, adsit aliquid quod efficiat, ut actio existat potius, quam non. Id, quod efficit, ut actio existat, vocatur *vis*; estque vel *in actu secundo*, cum actu exercetur, et efficit, ut actio existat, vel *in actu primo*, cum nondum exercetur.

Coroll. 1. Posita vi in actu secundo ponitur actio: non item posita vi in actu primo: effectus igitur pendet a vi in actu secundo, seu haec ut in actu secundo constituta continet rationem sufficientem effectus.

Coroll. 2. Vis in actu primo media est inter facultatem activam, et vim in actu secundo; haec porro rursus medium tenet locum inter vim in actu primo, et affectum; actio vero in ipso illius exercitio consistere videtur.

QUOD IMPEDIMENTUM, ET RESISTENTIA?

CXXXII. *Impedimentum* est id, quod continet rationem, cur rationatum, cujus ratio sufficiens jam erat posita, non ponatur, sive quod efficit, ut ratio de se sufficiens fiat insufficiens (§. 18.); nominatim vocatur *resistentia*, si referatur ad actionem.

Coroll. 1. Ut igitur ratio sufficiens talis perseveret, requiritur remotio impedimenti, quae *ratio removens*, vel potius, *conditio, sine qua non* dici consuevit.

Coroll. 2. Cum posita vi in actu secundo ponatur actio (§. praec. coroll. 1.), posita resistentia nequit poni vis in actu secundo.

Schol. Vis remota omni resistentia determinatur ad actum secundum vel ex natura sua, vel ab ipso subjecto agente, cui ea inest, inde oritur partitio in *liberam*, et *necessariam*, de quo alias.

QUOD AGIT, SUBSTANTIA EST.

CXXXIII. *Omne, quod agit, est substantia.* Quod agit, vel substantia est, vel accidens (§. 125. cor. 1.): si primum, habetur propositum; si alterum: tum quaedam determinatio, nimirum actio, tribuitur accidenti; sed determinatio, quae tribuitur accidenti, est determinatio substantiae, in qua ipsum inhaeret (§. cit. coroll. 3.); igitur rursus actio non est accidentis, sed substantiae; ergo omne, quod agit, substantia est.

Coroll. Quod agit, pollet vi (§. 131.): ergo et vis non est, nisi in substantia.

Schol. Probare hic quidem aliorum exemplo oporteret, cuivis sub-

stantiae insitam esse vim agendi, sed ea res nondum matura est: quare ad quam toto hoc capite viam stravi, doctrinam de principiis, et caussis dilucide explanandam aggrediar, ubi tamen ante notiones subsistentiae, suppositi, et personae cum idea substantiae copulatas exposuero.

QUID SUBSISTENTIA, ET QUOTUPLEX?

CXXXIV. *Subsistentia* generatim est quipam substantiae modus, isque duplex: unus omni substantiae essentialis, quod ipsam in *esse* substantiae constituit, estque ipsa independentia a subjecto *inhaesionis*, quam olim *perseitatem* vocarunt; huic opponitur dependentia a subjecto inhaesionis, quae est essentialis cuivis accidenti (§. 125.), et *inhaerentia* dicitur. Alter, graecis ὑπόστασις, veteribus *suppositalitas*, quo substantia singularis redditur sui juris, et incommunicabilis alteri; intelligiturque per se, et complete existere. Vid. quoque Dariesius (*Ontolog.* §. 35. *et seqq.*).

QUID SUPPOSITUM, ET QUOTUPLEX?

CXXXV. *Suppositum*, ὑφιστάμενον est omnis substantia substinens, ac proinde substantia singularis ultimo completa sui juris effecta: subsistentia igitur cum substantia conjuncta constituit suppositum. Suppositum porro vel est rationis particeps, vel non: si hoc, dicitur absolute *suppositum, ut arbor, lapis*; si illud, vocatur *persona*; ac definitur a Boethio *esse naturae rationalis individua substantia* (*Lib. de pers. et nat. c.* 3.).

Coroll 1. Suppositum consideratur a philosophis per modum concreti, cujus subjectum est substantia individua, forma generatim subsistentia, et speciatim in rationalibus personalitas, in ratione destitutis suppositalitas.

Coroll. 1. Inde intelligitur quoque illud apud philosophos usitatissimum: *actiones sunt suppositorum*; substantiae nimirum completae, et suis juris effectae actio imputari debet.

Schol. Exemplo ab homine petito rem totam illustrat Chauvinus (*Lexic. rat. W. pers. subs. suppos.*): *sic homo, licet duabus rebus maxime differentibus, corpore scilicet, et spiritu constet; non tamen duplici constat aut supposito, aut persona, sed unica est persona. Non sane duplici constat aut supposito, aut persona; quia neutra hominis pars sui est juris, sive integrum agendi principium; quandoquidem corpus ab animo humano, ut animus humanus a corpore humano, quoad durat homo, pendet. At unica est persona, quia homo ex corpore, et spiritu constans ita sui juris est, sive integrum agendi Principium, ut non existat in alio tamquam perfectiori (quemadmodum per Socratis existit in Socrate, aut gutta aquae existit in oceano), nec alio nisi divino praesidio indigeat, ut ad existendum, sic ad agendum.* Sed quaerunt etiam, quid et qualis sit ille subsistendi modus: qua in re communior opinio est, esse eum pure negativum, ac proinde entis creati subsistentiam in sola negatione unio-

nis perfectivae cum alio ente consistere: hac quippe solum posita jam substantia creata redditur ultimo completa, sui juris, ac incommunicabilis alteri tamquam supposito, necnon adaequatum suarum operationum principium.

CAPUT IV.

De Principiis, et Caussis.

QUID PRINCIPIUM, ET PRINCIPIATUM?

CXXXVI. *Principium* generatim omne illud dicitur, quod continet rationem alterius, hoc alterum *principiatum* audit: *sic pondus est principium motus in horologio.*

Coroll. 1. Principium, et principiatum connectuntur, hocque ab illo dependet (§. 60.).

Coroll. 2. Quidquid non agnoscit rationem sufficientem, nec habet principium, et quidquid rationem sufficientem postulat, principiatum est.

QUID PRINCIPIUM MATERIALITER ET FORMALITER SPECTATUM?

CXXXVII. Cum de principio agimus, consideramus vel illud, quod est principium, vel quatenus est principium: in priori casu *materialiter*, in altero *formaliter* spectari dicitur. Idem de principiato obtinet.

Schol. Per principium sine addito semper intelligam principium formaliter sumtum.

PRINCIPIUM PRIUS EST PRINCIPIATO, -- NON TAMEN TEMPORE, -- SED NATURA.

CXXXVIII. *Principium est prius principiato.* Id, quod nondum posito, alterum poni nequit, est prius altero; sed nondum posito principio principiatum poni nequit: secus poneretur aliquid sine ratione sufficiente (§. 136.): ergo principium prius est principiato.

CXXXIX. *Principium non est prius tempore principiato.* Ponamus principium esse prius tempore principiato: existet ergo aliquo temporis momento principium absque principiato; et quia principium non est, nisi quatenus habet principiatum, sive ut ajunt, quatenus principiat, simul non existet. Quare cum hoc repugnet, sequitur principium non esse tempore prius principiato.

Coroll. Si igitur sola temporis ratio habeatur, principium, et principiatum simul sunt.

Schol. Per se evidens est, non repugnare, ut principium materialiter spectatum sit prius tempore suo principiato; *sic pater, ut homo est, prius utique tempore existit, ac filius.*

CXL. *Principium est prius natura principiato.* Principium est prius principiato (§. 138.); sed non est prius tempore (§. praec.); ergo natura. Siquidem prius natura altero dicitur a philosophis, quod, licet tempore simul sit cum altero, ad illud tamen efficiendum per sese requiritur.

Schol. De hac naturae prioritate nonnulla, quae plus utilitatis habere videntur, ex philosophorum scriptis paullo post adnotabo.

QUOTUPLEX PRINCIPIUM?

CXLI. Principium continet rationem alterius (§. 136.): sed ratio est multiplex (§§. 18. 19.); ergo et principium. Est igitur principium *sufficiens*, vel *insufficiens*: illud rursus vel *cognitionis*, vel *possibilitatis*, vel *actualitatis*, *internum* denique, aut *externum*. *Sic principium cognitionis est principium contradictionis; essentia est principium possibilitatis modorum* (§. 57.), *vel compositio divisibilitatis: Deus est principium actualitatis mundi.*

QUID CAUSSA ET CAUSSATUM?

CXLII. Principium actualitatis nominatur *caussa*, ejus vero principiatum appellatur *caussatum*. Caussa igitur illud est, quod rationem existentiae alterius continet, ex quo proinde intelligi debet, cur alterum vel absolute, vel saltem tale existat.

Coroll. Generatim adhuc de principio dicta cum proportione ad caussam applicandi sunt.

QUID CAUSSAE MATERIALE, ET FORMALE?

CXLIII. Caussa continet rationem existentiae alterius (§. praec.): cogitari itaque ut potest subjectum, in quo ratio ea insit, sicque haec ab illo distingui. Cum subjectum solum spectamus, *materiale* caussae, cum rationem eam contemplamur, *formale* caussae, seu *caussalitatem* consideramus; *sic caussalitas in artifice sunt actiones mentis, quibus idem operis animo concipit, et externe, quibus idem construit.*

QUAE CAUSSARUM DISTRIBUTIO?

Schol. Cum ratio, cur aliquid vel absolute, vel tale existat, variis omnino modis in entibus quibusdam contineri possit, diversa inde constituunt caussarum genera philosophi; et imprimis quidem secundum quinque modo maxime generales statuunt caussas *efficientem, finalem, materialem, formalem, et exemplarem.* Deinde, quia rursus in generalibus hisce modis specialiores discerni possunt, in quovis genere diversos caussarum ordines distinguunt. Denique omnes caussas, qualescumquae eae sint, quae simul ad alicujus actualitatem concurrunt, *concaussas* vocant. Sunt igitur concaussae vel diversi generis, *ut architectus, et materia aedificii; vel ejusdem generis*, quae ulterius aut sunt in *eodem ordine*, *ut duo equi currum trahentes;* aut in *diverso ordine, ut architectus, et opera.*

QUID CAUSSA EFFICIENS ET EFFECTUS?

CXLIV. Caussa *efficiens* est, cujus caussalitas in actione consistit, sive quae actione sua continet rationem sufficientem, cur aliquid existentiam obtineat; ejus caussatum *effectus* appellatur.

Coroll. 1. Cum caussa efficiens agat, vi polleat, necesse est (§. 123.);

quod autem vim habet substantia est (§. 133. cor.): igitur omnis caussa efficiens substantia est.

Coroll. 2. Quod agit, etiam potentia agendi gaudet (§. 130.): igitur omnis caussa efficiens potentiam agendi habet, et ens, quod potentia agendi instructum est, fit caussa efficiens, cum eam potentiam exercet, sive agit. Inde

QUID EJUS ACTUS PRIMUS, ET SECUNDUS?

CXLV. Caussa efficiens duplici modo considerari potest, vel ut actu agens, vel ut potens agere: ut actu agens dicitur esse in *actu secundo*, qui reapse est ipsa caussae actio; *sic anima volens est in actu secundo.* Ut potens agere est *in actu primo.* Porro cum caussa est in actu primo; vel habet jam omnia omnino requisita ad actionem ponendam, vel non; si illud: adest *actus primus proximus*, seu *potentia proxima*; sic *anima habens repraesentationem boni est in actu primo proximo ad illum volendum*; si hoc: habetur solum *actus primus remotus*, seu *potentia remota, ut si anima non cognoscat bonitatem objecti propositi, ignis non applicetur ad stuppam.*

Coroll. Actus igitur primus proximus per collectionem omnium requisitorum, quae ad actum ponendum absolute necessaria sunt, constituitur.

QUID REQUISITA, ET QUOTUPLICIA?

Schol. 1. Inde *requisita* haec vulgo constitutiva actus primi proximi dicuntur, et natura praecedunt actum secundum. Sunt vero ea duplicis generis: nimirum vel *comprincipia*, aut *caussae sociae*, seu *auxiliares*, quae simul efficiunt caussae sufficientiam, viresque illius deficientes supplent; *sic milites belli ducem in fundendo hoste, sociis Cajum in elevando pondere juvant*; vel *conditiones*, sine quibus caussa ceteroquin sufficiens effectum tamen praestare nequit. Atque harum rursus aliae sunt *positivae, ut cognitio bonitatis in objecto ad illud volendum*; *praesentia hostis ad caedendum*; *conveniens ignis applicatio ad materiam comburendam*: aliae *negativae*, quae universim consistunt in remotione omnium impedimentorum, quae quoquomodo actionem vel ex toto, vel ex parte impedire possent. Ex his porro luculenter patet discrimen inter comprincipium, et conditionem, illi enim vis, aut saltem agendi potentia aliqua competit, huic nulla: quare permodica solum attentione opus est, ut dignoscatur, utrum requisitum obvium inter comprincipia, utrum inter conditiones reponendum sit.

QUID NATURA PRIUS?

Schol. 2. Dixi, requisita actus primi proximi natura praecedere actum secundum; ut hoc rite intelligatur, necesse est, ut philosophorum doctrinam de prioritate naturae paucis exponam, quemadmodum superius (§. 130. sch.) promiseram. *Natura* igitur

prius esse dicitur, quod ut aliunde existens complet actum primum proximum caussae, eamque proxime ad agendum expeditam reddit. Inde vero intelligitur 1.) quodvis constitutivum actus primi proximi, seu comprincipium, seu pura sit conditio, esse natura prius actu secundo; 2.) quod natura prius est altero, non posse sub ea ratione ab altero pendere, quamvis sub alio respectu possit: sic dum valetudinis caussa ambulo, pendet ea quidem ab ambulatione, ut effectus, est tamen simul natura prior ut in mente existens, sic enim fit caussa finalis ut dicemus; 3.) prioritatem naturae non obstare, quo minus ea, quorum unum prius, alterum posterius est, uno individuo momento simul existant.

QUID SIGNA NATURAE?

Quia vero plura eodem temporis momento existere possunt, inter quae nulla relatio prioritatis, aut posterioritatis intercedit, excogitarunt philosophi *signa*, ut ajunt, *naturae*, seu *rationis*, ut breviter, ordinate tamen, de ejusmodi rebus disserere possint. In quovis nimirum individuo momento concipiunt duo *signa*, per quae non partes reales momenti ipsius, utpote quae nullae sunt, sed ordinem, et mutuam rerum eo momento existentium relationem denotant. Inde in *signo naturae priori*, dicunt existere actum primum proximum, et singula ejus requisita; *in signo* vero *naturae posteriori* actum secundum, et quae ex iis fluunt; illa autem, quae tametsi simul existant, nullam tamen ad sese relationem habent, in *signis naturae disparatis* ponunt. Quodsi plura, et diversa ab eodem actu primo proximo procedant, *in eodem naturae signo* existunt, et *effectus simultanei* audiunt. Ex his porro sequitur: 1.) potest aliquid cum altero simul reapse existere, nec tamen esse in signo priori, aut posteriori, unde si quidpiam negetur esse in signo priori, vel posteriori, non continuo negatur eo momento existere? 2.) ex eo, quod res quaepiam non sit in signo priori respectu alterius, nequaquam concludendum est, ejus rei negationem esse in eodem signo priori; si enim, quod fieri potest, nec res ipsa, nec ejus negatio constituat actum primum proximum, neutrum altero natura prius erit; certe nihil est in priore signo ad seipsum, an propterea negotio illius erit natura prior? Quod si hoc fieri posset, essent duo contradictoria in eodem momento reali, unumque alterius caussa. Sed satis de his.

QUAE CAUSSA LIBERA ET NECESSARIA?

CXLVI. Caussa efficiens *libera* est, quae habitis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere, *ut anima nostra in volendo*: *necessaria* vero, quae habitis omnibus ad agendum requisitis actionem omittere amplius nequit; *ut ignis ad stuppam applicatus*.

Coroll. 1. Actus primum proximus caussae liberae est de se indifferens ad actum secundum, potestque absolute spectatus conjungi vel cum actu, vel cum omissione actus.

Coroll. 2. Si ergo actus primus proximus necessario connectatur cum actu secundo, caussa est necessaria; proinde si caussa debeat esse libera, nullum constitutivum necessario connexum cum actu secundo ejus actum primum proximum ingredi potest.

Schol. Non ignoro notionem caussae liberae a me constitutam a multis in controversiam vocari; verum quod hoc loco asserui, gravissimis argumentis in psycologia demonstratum ibo.

QUID CAUSSA PRINCIPALIS, ET ISTRUMENTALIS?

CXLVII. Caussa efficiens dicitur *principalis*, quae propria sua vi agit, estque vel *prima*, seu *princeps*, quae, quod vim a se habeat, nullo prorsus pacto ab alia pendet, qualis est solus Deus, vel *secunda*, aut *secundaria*, quae vim a prima participat, proptereaque in agendo ab ea pendet, qualia sunt entia creata. *Instrumentalis* vero vocatur, quae vi aliena, caussae nimirum principalis agit, effectumque producit.

Coroll. 1. Caussa principalis tam potentia, quam vi agendi pollet; instrumentalis contra, etsi potentia agendi praedita sit, vi destituitur; quare illius potentia per vim caussae principalis ad actum determinari debet.

Coroll. 2. Cum actio pendeat a vi (§. 131.), ubi unica vis est, ibi pariter unica est actio: quare unica est actio caussae principalis, et instrumentalis; constituunt proinde simul unam caussam, et effectus tribuitur principali, quae instrumento usa est.

Coroll. 3. Quia tamen talis effectus sine instrumento non poneretur, ratio cur *talis* effectus existat, ab instrumento petenda est: instrumentum igitur modificando actionem caussae principalis ad effectum concurrit, ideoque vero sensu nomen caussae meretur (§. 142.).

QUID CAUSSA ADMINISTRA, -- ET OCCASIONALIS?

Schol. 1.) Fit nonnumquam, ut ens propria quidem vi praeditum instrumenti tamen vices agat, tum vero *caussa administra*, a nonnullis *instrumentum vivum* appellatur. Id evenit, cum ens vim suam ad nutum, et directionem alterius exercere cogitur: *ita equus in exercenda sua vi a nutu equitis, miles ab imperio belli ducis pendet, quare etiam una censetur esse actio equi, et equitis, militum, ac ducis.* Caeterum in constituenda caussae instrumentalis notione pervulgatum philosophorum morem secutus sum, neque hoc loco definio, utrum revera extet: verisimile istud non esse in sequentibus, ac praecipue in cosmologia apparebit.

Schol. 2. Addunt his nonnulli caussas *occasionales*, quae nec vim, potentia agendi, saltem comparate ad eum effectum, ad quem referuntur, continent: sed solum occasionem praebent alicui caussae principali, ut actionem quampiam ponat; quomodo Josue dici potest pronunciando ea verba; *sta sol*, occasionem praebuisse, ut Deus ipse solis cursum sisteret. Sed facile patet nomen caussae ipsis sensu proprio nequaquam competere; sunt tamen, quod mireris, philosophorum aliqui, qui omnes generatim caussas secun-

Digitized by Google

das, seu creatas ad occasionales referunt, solamque primam, sive Deum vero sensu agere propugnant.

QUOD CONTROVERSIAE CAPUT?

Cartesianorum haec est opinatio, docent quippe nihil in rerum natura ab entibus creatis vere effici, sed occasionem solum ab ipsis subministrari, quibus positis Deus secundum leges generales a se constitutas ipse omnia, et solus operetur; ita ajunt, non anima suum, quocum conjungitur, corpus, non globus incurrens alium sibi obstantem movet; sed anima volendo, globus incurrendo occasionem praebent caussae primae, ut ipsa sola secundum sta'as leges et in corpore, et in globo motum producat. Utrum hi a duce suo Cartesio hanc opinionem acceperint, dubitari merito potest: nusquam certe in ipsius scriptis ea clare reperitur; quin, dum illi ideo rebus creatis veram efficientiam adimunt, quod vis movendi corpora, ipsorum opinione infinita, in solum Deum cadat, ipse contrarium asseruit in epistola ad Henricum Morum, ita scribens (*Epist. t. 1. c. 72.*): *Vis autem movens potest esse ipsius Dei conservantis tantundem translationis in materia, quantum a primo creationis momento in ea posuit, vel etiam substantiae creatae, ut mentis nostrae, vel cujusvis alterius rei, cui vim dederit corpus movendi.* Verius haec sententia Malebranchio (*La recherche de la verité l. 6. p. 2. ch. 3.*) tribuitur, qui in ea exornanda eo processit, ut animam nostram adempta omni agendi vi, et libertate expoliaverit, et quovis stipite inertiorem effecerit; quamquam alias (*Eclairciss. sur le ch. 3. p. 2. livr. 6. réponse à la 6. preuve.*) secum minime consentiens liberas volitiones rursus animae tribuerit. Paucos hac in re, non tamen nullos nactus est sectatores: certe ea quae recentissime D. Diderot *Encyclopedie art.* (*evidences*) *de forma constitutiva hominis moralis* protulit, non longe ab his erroribus distare videtur. Sed de his alias viderimus: nunc ii solum ex Cartesiana familia impugnandi veniunt, qui ea utuntur moderatione, ut relicta in spiritibus volendi, judicandique vi vere activa reliquos effectus, qui in hoc mundo eveniunt, quique motione quadam indigent, a solo Deo velut caussa unica, et immediata provenire docent.

CAUSSAE CREATAE VERE AGUNT.

CXLVIII. *Longe probabilissimum est caussas creatas esse effectuum suorum vere effectrices, et non solum occasionales.* Illud certe longe probabilissimum est quod communi omnium non modo philosophorum, sed aliorum quoque hominum persuasione nititur, nec ab ea nisi fortioribus rationibus in contrariam partem adductis, ex legum criticarum praescripto recedendum est; sed caussas creatas esse effectuum suorum vere effectrices, et non solum occasionales, opinio est, quae communi omnium non modo philosophorum, sed aliorum quoque hominum persuasioni nititur, neque in contrariam partem fortiores adhuc rationes allatae sunt: ergo longe probabilissi-

mum est caussas creatas esse effectuum suorum vere effectrices, et non solum occasionales.

Schol. 1. Profecto assumtae propositionis veritas nemini obscura esse potest, modo ad communia hominum judicia animum advertat: quis enimunquam, solis fortasse Cartesianis exceptis, si tamen serio agant, dubitavit; homines, cum ambulant, opus quodam faciunt, aedificium extruunt: Equos, cum currum trahunt; canes, cum lupum a grege pellunt, vere ac proprie agere? qui negat artificem sui esse artefacti caussam revera efficientem? an dum opus cujuspiam laude, ac praemio dignum pronunciamus, solum illud bonam voluntatem respicimus? an ideo alicujus fortitudinem, continentiam, et quae similia sunt, extollimus, quia is cupit esse fortis, continens? et nonne denique omne vulnus homini inflictum lapidi ex alto decidenti murorum ruinam globo ex tormento ejecto: motum corpori alteri majori celeritate incurrenti concordi prorsus judicio tribuimus? ut adeo de communi omnium hominum persuasione nullum queat dubium superesse. Sed nec, quae in contrariam partem adferuntur, multum habent ponderis.

RESPONDETUR OBJECTIS.

Schol. 2. Ajunt 1.) Deus omnia agit: ergo caussae creatae vere, ac proprie non agunt. *Ant. p.* Deus est caussa perfectissima: ergó omnia, et quidem solus agit: secus plane sequeretur Deum cum creaturis quasi cum caussis sociis agere, quod infinitae Dei perfectioni repugnare videtur.

℟. *d. ant.* Deus omnia agit, ut *caussa primaria, c ant.* ut *caussa unica n. ant.* Ad prob. *rursus d. ant.* Deus est caussa perfectissima hoc sensu: *quod ipse et vi non aliunde accepta, et modo infinite excellentiori agat, quam res creatae, c ant.* hoc sensu: *quod ipse solus omnem vim agendi habeat, et nullum prorsus res creatae, n. ant. et con.* Id ipsum est quod volumus. Deum nempe esse caussam quidem primariam omnium effectuum, cum ipse in agendo a nullo pendeat, et omnibus creatis vim agendi tribuerit, ac ad eorum actiones concurrat: non tamen caussam esse unicam, quasi Ipse solus per sese omnia efficeret. Neque vero id divinis perfectionibus quidpiam officit: si enim rebus creatis potuit communicari existentia, spiritibus quoque vis volendi, cur non et vis activa iisdem communicari, salva Dei perfectione, possit? Deinde Deus non eo titulo caussa est perfectissima, quod solus omnia efficiat; immo hoc nec fieri posse videtur, cum perfectissimam esse caussam dicat relationem ad caussas minus perfectas, sed tamen veras, quae superari possint; igitur eam ob rationem solum Deus caussa perfectissima dici debet quod nec in actione ab ullo pendeat, quodque illius agendi modus infinite excellentior sit, ac cujusvis rei creatae. Similiter, id quod additur, distinctione dissolvendum est; nimirum Deus agit cum creaturis velut cum caussis sociis *quas ex libera sua bonitate in consortium*

agendi assumptis, non autem, *ut ab iis in operando adjuvetur.* Neque dicas: perfectus est posse agere sine caussis sociis quocumque titulo assumptis: igitur etiam perfectius erit actu agere sine caussis sociis quocumque titulo assumptis. ℟. *c. ant. n. cons.* In priori enim casu arguitur imbecillitas virium, non vero in altero. Non ergo ex nostra sententia in Deum imperfectio redundat; non enim dicimus Deum cum caussis creatis agere ob aliquam virium inopiam, aut ab iis saltem ad facilius operandum juvari; sed asserimus Deum ex infinita, et liberrima sua bonitate res creatas, sicut in consortium existendi, ita et in consortium agendi assumsisse, illisque cum existentia vim quoque agendi contulisse, quo fieret, ut in sua potestate haberet entia vere activa, sibique efficienter servientia, qua res perfectiones suas longe magis manifestavit. Ceterum argumenta haec nihil prorsus probare vel ex eo patet, quod iis quoque vis volendi animae a Cartesianis admissa impugnaretur; quare in ipsos semper retorqueri possunt.

2.) Vis agendi vel est, vel saltem includit movendi corpora, sed vis movendi corpora est infinita, ideoque entibus creatis competere nequit; ergo *m. p.* movere corpus nihil est aliud, quam illud conservare in diversis successive locis: hoc ipso enim, quod corpus moveatur, etiam conservatur in diversis successive locis, sed vis conservandi corpus in diversis successive locis est omnino infinita: ergo vis movendi corpora est infinita.

℟. *c. M. n. m.* Ad prob. *n. M.* A vero omnino abhorret id, quod Purchotius cum reliquis Cartesianis sine probatione ut verum sumit; nam conservatio corporis habetur per decretum voluntatis, quia ipsum Deus in rerum natura existere vult, quamdiu sibi placuerit: movere autem corpus est illud jam conservatum ad diversa successive loca occupanda determinare. Unde rationem adjectam *d.* hoc ipso quod corpus moveatur, etiam conservatur in diversis successive locis *per eamdem actionem, qua movetur, n. per actionem distinctam, c.* Licet ad hoc, ut corpus successive de loco in locum transeat, necesse sit, ut illud pluribus temporis momentis existat, atque adeo in rerum natura conservetur, non tamen requiritur, ut utrumque per eamdem actionem fiat. Conservatio nimirum corporis provenit a decreto, quo Deus vult hoc corpus potius perseverare in rerum natura, quam perire; translatio vero ejusdem corporis jam ad perseverandum in rerum natura, vi illius decreti, determinati habetur per actualem motionem, quae etiam a caussa creata proficisci potest. Motio igitur non est ipsa corporis conservatio, sed eam solum ante exigit, ac proinde etiam non postulat vim infinitam.

3.) His non contenti ulterius argumentum continuant: si Deus vult aliquod corpus conservare in diversis successive locis, vult etiam hoc ipso, ut illud moveatur: ergo per eamdem actionem corpus conservatur, qua movetur. Addunt, si ens creatum posset movere corpus, quod a Deo debet conservari, tum ens creatum posset Deum

determinare ad illud conservandum: sed hoc videtur dici non posse: ergo ens creatum nullo pacto corpus movere potest. Deinde, ajunt, si Deus velit aliquod corpus conservari in diversis successive locis, seu jam per eamdem, seu per diversam actionem; itemque, seu id ut unicum, seu duplicem effectum respiciat, jam consequens est, ut illud corpus moveatur positis iis conditionibus: igitur res creatae nihil ad motum corporum conferre possunt, nisi ut sint conditiones.

℟. *d. ant.* si Deus vult etc. istudque vult *ut duplicem effectum realiter distinctum*, *c. ant.* istudque vult *ut unicum effectum*, *n. ant. et con.* Conservare corpus in diversis successive locis, tametsi in Deo fieri possit per unicum voluntatis decretum, duos, tamen effectus reapse diversos indicat; nimirum ut corpus et in rerum natura perseveret, et sic perseverans successive in alia, et alia loca transferatur: illud velle est corpus *tantum* conservare; hoc velle est illud *etiam* movere. Cum igitur Deus vult, ut velle potest, corpus quoddam in diversis successive locis conservare, non unum, aut alterum, sed utrumque simul vult; eadem videlicet voluntate, non quidem realiter sed tamen ratione nostra distincta, vult duos effectus realiter diversos, neque hoc ipso tamen conservat corpus in diversis successive locis, quod illud moveat, aut vicissim; sed conservat per actionem formaliter diversam, et praerequisitam ad hoc, ut corpus moveri posset. Nequaquam igitur in se idem est movere corpus, et illud in diversis successive locis conservare, licet Deus utrumque per simplicissimum voluntatis suae actum efficere possit: sed neque Deus id ordinarie praestare solet; nam stante hoc naturae cursu vult Deus corpus tantummodo conservare: ejus vero translatione de loco in locum committit caussis creatis, quas hac vi, sicut aliis quoque longe nobilioribus proprietatibus, ex infinita sua bonitate exornavit. Quantum ad id, quod adjicitur, pertinet, entia creata nequeunt corpus movere *absolute* et *antecedenter* ad decretum Dei conservativum, sed *conditionate* duntaxat, et *consequenter* ad hoc ipsum decretum; corpus enim moveri non potest, nisi quod per plura temporis momenta existit, adeoque conservatur. Ut igitur caussa creata possit corpus movere, nequaquam necesse est, ut ipsa Deum determinet ad corpus illud conservandum, sed solum in Deo hanc voluntatem praerequirit. Ultimo denique verissimum quidem est, quod in antecedente asseritur; sed nimirum sub iis ipsis conditionibus continentur actiones caussarum creatarum: ubi enim Deus caussis creatis vim agendi contulit, non vult secundum communes naturae leges sub alia conditione conservare aliquod corpus in diversis successive locis, nisi sub hac, ut illud ab iis moveatur.

4.) Spiritus in suo conceptu non includit facultatem corporum motricem: igitur corpus movere non potest. Quod si eo non obstante tamen putes posse a spiritu corpus moveri, deberet id volendo effici; istud autem prorsus intelligi nequit, cum inter volitionem spiritus, et motionem corporis nulla appareat connexio.

Digitized by Google

℟. Spiritus in suo conceptu *inadaequato* non includit facultatem movendi corpora, *c. ant.* in suo conceptu *adaequato*, *n. ant.* et *cons.* Omnis definitio rerum essentialis dici potest conceptus inadaequatus, comparate nimirum ad reliquas earum proprietates, quae in illa non enumerantur; unde patet conceptum adaequatum fore eam rerum descriptionem, in qua omnes earumdem proprietates clare exprimerentur, qualis aut numquam, aut certo rarissime haberi potest. Jam vero certum est plures rebus competere proprietates praeter eas, quae in definitione essentiali adducuntur, quo efficitur, ut jure concludi nequeat proprietatem quamdam in rem non convenire, propterea quod ea in conceptu illius inadaequato aperte non contineatur. Cum igitur quaeritur quae praeter proprietates essentiales in definitione ponendas rei cuidam competant; aliae rationes in subsidium vocandae sunt, atque sic ex communi omnium hominum persuasione probabilissime judicamus inter alias spiritus proprietates etiam facultatem corporum motricem habere locum, tametsi ille per ens vi cogitandi, vel ut alii volunt, intellectu, et voluntate instructus definiatur. Confidenter igitur asserimus, in conceptu adaequato spiritus, si is formari posset, probabilissime etiam facultatem movendi corpora reponendam esse. Cum autem ajo a spiritu posse corpus moveri, non intelligo id effici posse *per ipsum voluntatis actum*, *sed per facultatem locomotivam*, quam spiritus ad nutum, et voluntatem suam exercet; sicut nempe spiritui tribuimus facultatem intelligendi, volendi etc., ita probabilissime etiam tribuenda est facultas movendi corpora, quam, cum vult, exercet, cumque exercet, actu corpus movet. Ex his porro patet, quae sit connexio inter volitionem spiritus, et motionem corporis; non est ea quidem *immediata*, quia motio haec non ab ipsa volitione efficitur, sed *mediata*, quia ad volitionem facultas loco-motiva exercetur, motusque corporis efficitur: unde motio corporis mediante facultatis loco-motivae exercitio cum voluntate connectitur, quod sufficit. Sed quaerunt, qui fieri possit, ut spiritus, qui natura sua penetrabilis est, corpus movere queat, cum tamen non videatur corpus posse movere alterum, nisi utrumque foret naturaliter impenetrabile: verum prona est solutio: corpus ab eadem vi habet, quod et impenetrabile sit, et alterum ad motum determinare possit, a vi nimirum repulsiva, ut physici hodie docent: contra fieri potest, ut spiritus possit determinare corpus ad motum, etiam tum, quando cum illo compenetratum est; certe in tali facultate generatim accepta nulla ostendi potest repugnantia: secus enim nec Deus, qui omnia intime penetrat, per suam omnipotentiam corpora movere posset, neque ulla est ratio, cur id ipsum non etiam finitae potentiae competere queat. Deinde id genus potentia est naturae spirituum prorsus congrua, ut adeo eadem ratione, qua probatur in spiritibus inesse vis vere agendi, et movendi corpora, simul probetur hanc vim ejus esse naturae, ut non obstante naturali spiritus penetrabilitate in corpora exerceri possit. Ceterum non

inficior modum, quo determinate spiritus corpus moveat, nobis ignotum esse; id tamen assertioni nequaquam obest: plurima sunt, quae *quoad substantiam* nota *quoad modum* ignorantur; scimus animam cum corpore uniri eamdem pollere vi judicandi, volendi; mundum ex nihilo esse conditum, et plura similia; at in quo ea unio consistat, quo modo anima vim volendi, et judicandi exerceat, quo modo aliquid ex nihilo prodire possit, nemo unus est, qui divinare sciat. In ejusmodi rebus tenendum est illud S. Augustini effatum: *numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est?*

QUID CAUSSA PHYSICA, MORALIS, PER SE, ET PER ACCIDENS?

CXLIX. Rursus caussa efficiens vel *physica* est, vel *moralis*: illa actione propria effectum producit, *ut artifex statuam*: haec alieno ministerio ad effectum ponendum utitur, ita tamen, ut ei in genere morum, seu, ut ajunt, in aestimatione morali effectus tribuatur, *ut Cajus mandans famulo, ut Titium occidat.* Item caussa *per se*: quae id agit, quod vel animo designavit, vel cui efficiendo natura sua destinatur, *ut Cajus consulto occidens Titium.* Caussa *per accidens*: cum effectus praeter animi intentionem, aut naturae destinationem sequitur, *ut cum quis ferae loco hominem inopinate caedit.*

Schol. Modi, quibus quis caussa moralis efficitur, praecipui sunt mandare, consulere, ratum habere, laudare, approbare, non impedire, cum quis possit, et debeat: haec ad philosophiam moralem pertinent.

QUID CAUSSAE COORDINATAE, ET SUBORDINATAE.

CL. Fieri potest, ut plures caussae efficientes ad ejusdem effectus productionem concurrant; tum vero vel una ab altera pendet, vel non: si hoc, dicuntur *coordinatae*, et nominatim *sociae*, vel *auxiliares*, si a singulis pars effectus procedat; si illud: *subordinatae*, et quidem vel *accidentaliter*, cum solum materialiter, et quoad existentiam spectatae; vel *essentialiter*, cum formaliter, et quoad actionem consideratae a se pendet. Plures caussae subordinatae constituunt *seriem* caussarum connexam, in qua illa caussa principalis (instrumentalis enim non tollit continuitatem effectus cum caussa), a qua proxime effectus proficiscuntur, *proxima*, seu *immediata*; reliquae *remotae*, sive *mediatae*; illa denique, quae nulli amplius subordinatur, *prima* compellatur.

Coroll. 1. In serie caussarum essentialiter subordinatarum actio caussae proxime pendet ab actione caussae remotae, ut hujus actio rursus ab actione remotioris, et sic porro regrediendo usque ad caussam ea in serie primam: quare cum effectus pendeat ab actione caussae proximae, patet eum quoque pendere ab actionibus omnium mediatarum, et ipsius primae.

Coroll. 2. Inde vero ulterius perspicuum sit in serie caussarum subordinatarum, in qua non esset caussa prima, nullam fore caussam plene, et adaequate sufficientem effectus ultimi.

Digitized by Google

Coroll. 3. Cum in serie caussarum accidentaliter subordinatarum caussa proxima solum quoad existentiam, non vero quoad actionem ab alia remota pendet, nulla remotarum continet rationem, cur proxima agat, ac proinde neque rationem, cur effectus existat: igitur ejus caussae dici vero sensu nequeunt (§. 142.).

Schol. Atque inde patet, quid sibi velint haec philosophorum axiomata: *caussa caussae est etiam caussa caussati*: *efficiens efficientis est etiam efficiens effectus*: nempe vera sunt, si caussae sunt essentialiter subordinatae, non item, si accidentaliter, sic avus non efficitur reus culpae a nepote admissae.

QUID PROGRESSUS IN INFINITUM?

CLI. Si detur series caussarum essentialiter, aut accidentaliter subordinatarum, potest in ea quantitas, sive magnitudo concipi (§ 68.); cum porro omnis quantitas finita sit vel infinita (§. 69.), erit quoque series caussarum subordinatarum aut finita, aut infinita: illa terminos habet, haec non. *Progressus in infinitum* dicitur series caussarum subordinatarum absque caussa prima; cum nimirum regrediendo a caussa quadam determinata numquam perveniri potest ad ultimam in eadem serie.

Schol. Duplicem fingunt id genus progressum; *circularem*, cum ad terminum, a quo inchoatur progressio, iterum reditur, ut si dicas gallinam ex ovo, et ovum ex gallina esse: *rectilineum* deinde, cum numquam ad eumdem terminum reditur, ut si ab homine quocumque ad ejus parentem, tum ad avum, et sic ulterius sine fine progrediaris. Quae contra hunc progressum pugnant, in cosmologia, cum de origine mundi agam, uberius persequar.

NIHIL SE IPSUM PRODUCERE POTEST, — NEC DUO ENTIA SE MUTUO.

CLII. *Nihil potest esse caussa efficiens sui ipsius.* Dum aliquid est caussa efficiens, agit (§.144.), et quod agit, jam existit: igitur dum aliquid est caussa efficiens, jam existit. Item, dum caussa efficiens agit, producit effectum: igitur eo momento, vel signo, quo caussa efficiens agit, incipit effectus existere, nec antea existit. Pone jam aliquid esse sui ipsius caussam efficientem, atque adeo sui simul ipsius effectum: incipiet igitur existere, dum jam existit, et momento, vel signo antecedente existet simul, et non existet: quod cum absurdum sit, sequitur nihil posse esse caussam efficientem sui ipsius.

CLIII. *Nequeunt duo entia sibi mutuo esse caussae efficientes.* Sit primo ens *a* caussa efficiens entis *b*: igitur dum ens *a* jam existit, ens *b* primum existere incipit, ac proinde ens *a* prius existit, quam ens *b*. Sit deinde ens *b* caussa efficiens entis *a*; igitur rursus dum ens *b* jam existit, ens *a* primum existere incipit, ac proinde ens *b* prius existit, quam ens *a*: ergo posita hac hypothesi ens *a* prius, et posterius existit ante *b*, et ens *b* pariter prius, et posterius existit ante *a*; sed haec omnino absurda sunt: ergo duo entia sibi mutuo caussae efficientes esse nequeunt.

Digitized by Google

ENS NECESSARIUM NON HABET CAUSSAM EFFICIENTEM, -- HABET AUTEM OMNE ENS CONTINGENS.

CLIV. *Ens necessarium non habet caussam efficientem.* Quod habet caussam efficientem, illud ab ea quoad existentiam pendet (§§. 143. 146. cor. 1.); sed ens necessarium quoad existentiam a nullo pendet (§. 104.): ergo ens necessarium non habet caussam efficientem.

Coroll. Ergo etiam quod habet caussam efficientem, non est ens necessarium.

CLV. *Omne ens contingens habet caussam efficientem.* Omne ens contingens quoad existentiam ab alio pendet (§. 107.): ergo illud aliud efficit, ut ens contingens existat, atque adeo etiam, ut ens contingens ad existentiam perveniat; quare, cum efficere, ut aliquid ad existentiam perveniat, sit agere (§. 126.), illud alterum agit, et actione sua actionem continet, ut ens contingens existentiam obtineat; sed id est esse caussam efficientem (§. 144.): ergo illud est caussa efficiens, ac ens contingens effectus, id est omne ens contingens habet caussam efficientem.

Coroll. Cum existentia entis contingentis pendeat ab ente necessario (§. 108.) quidem existente (§. 109.), evidens est ipsum ens necessarium esse caussam efficientem entis contingentis: atque inde nova rursus ratione patet existere ens necessarium, si existat ens contingens (conf. §. cit. cor.).

ET OMNE ENS, QUOD HABET CAUSSAM EFFICIENTEM EST CONTINGENS.

CLVI. *Omne ens existens, quod habet caussam efficientem, est ens contingens.* Ens existens, quod habet caussam efficientem, non est ens necessarium (§. 154. coroll.): quare cum omne ens existens vel necessarium sit, vel contingens (§. 104. coroll. 1.), ens existens, quod habet caussam efficientem, est ens contingens.

NON POTEST ESSE PLUS IN EFFECTU, QUAM IN CAUSSA.

CLVII. *Nequit plus esse in effectu, quam sit in caussa.* Sit aliquid in effectu, quod non est in caussa: illud vel pendebit a caussa, vel non; si primum: jam eatenus est in caussa, quatenus haec ejus rationem sufficientem continet: si alterum: tum illud vel est a seipso, vel ab alia quapiam caussa: non illud (§. 157.): ergo istud; quodsi vero ita, tum effectus quoad hoc ad aliam caussam referri debet, sicque non erit plus in effectu, ac sit in caussa: igitur generatim nequit plus esse in effectu, quam sit in caussa.

Schol. Patet inde sensus axiomatis: *nemo dat, quod non habet*; ita nullum posset esse ens intelligens in mundo, si prima caussa, a qua omnia pendent, intelligentia non polleret. De reliquo non est necesse, ut effectus *formaliter* sit in caussa, sed satis omnino est, ut contineatur *eminenter.* Dicitur nempe *formaliter* inesse alteri, quod ita inest, ut est in se, ita nigrities atramenti chartae illita formaliter est in atramento, quemadmodum postea in charta apparet; cujus vero tota existendi sufficientia in altero continetur,

illud *eminenter* inest. Est et alius horum vocabulorum sensus: qua de re infra dicam. Et haec de caussa efficiente; nunc ad finalem progrediamur.

QUID FINIS, ET QUOTUPLEX.

CLVIII. *Finis* est id, propter quod caussa efficiens agit; seu quod per actionem suam obtinere cupit; *sic victoria pugnantium, eruditio studientium finis est.* Est vero vel *proximus*, qui nullo alio interposito, vel *remotus*, qui alio, vel aliis interpositis; vel *ultimus*, qui denique ultimo ab agente intenditur, atque ad quem omnes medii, qui eam ob rem *subordinati* audiunt, referuntur; *sic emo librum, ut mihi doctrinam comparem, doctrinam quaero, ut reipublicae serviam, istud ad gloriam Dei propagandam dirigo.* Alius item finis est *principalis*, seu *primarius*, qui in consortione aliorum ita intenditur, ut tametsi omnes reliqui abessent, actio tamen propter eumdem poneretur; alius *minus principalis*, sive *secundarius*, quo solo praesente caussa non ageret; *ita uterque finis concurrit, cum valetudinis conservandae, et amici visendi caussa deambulamus.*

FINIS EST CAUSSA, — ET MOVENDO AGIT.

CLIX. *Finis vero sensu caussa dici potest.* Cum finis sit id, propter quod caussa efficiens agit (§. praec.), finis continet aliquam rationem, cur effectus existat; sed id, quod aliquam rationem continet, cur effectus existat, vero sensu caussa dici potest (§. 142.): ergo finis vero sensu caussa dici potest; inde Seneca: *an non putas inter caussas facti operis numerandum, quo remoto factum non esset?*

CLX. *Caussalitas caussae finalis in movendo, seu alliciendo consistit.* Cum finis sit illud, quod caussa efficiens obtinere cupit (§. 158.), nihil vero cupiamus, nisi quod nobis bonum videtur, quod in psychologia docebimus, caussa finalis eatenus solum rationem effectus continet, quatenus bonitate repraesentata nos ad eum ponendum allicit; sed in hac ratione caussalitas consistit (§. 143.): ergo caussalitas caussae finalis in alliciendo consistit.

Coroll. 1. Finis est semper consecutio boni cujuspiam vel veri, vel saltem apparentis, quae per actionem speratur.

Coroll. 2. Caussa finalis non agit, prout realiter existit, sed prout a caussa efficiente cognoscitur, et appetitur: sufficit ergo existentia illius idealis, seu logica.

Coroll. 3. Caussa igitur, quae propter finem agat, cognoscendi facultate polleat, necesse est, secus enim moveri, et allici haud poterit. Inde etiam *ignoti nulla cupido.*

Schol. Id, ex quo motiva ad agendum sumuntur, *caussa impulsiva* dicitur, accurate a finali discernenda. Discrimen in eo ponitur: finis movet sua bonitate: quae ipsius consecutione apparet, et quidem ad hoc, ut efficiatur; caussa vero impulsiva nec bonitate sua, nec ad id, ut efficiatur, movet, sed alioquin existens efficit, ut ma-

jor in fine bonitas reluceat, utque propterea caussa efficiens magis propendat ad actionem, qua finis existens fiat.

FINIS POTEST ESSE SIMUL EFFECTUS.

CLXI. *Fieri potest, ut idem sit caussa finalis simul et effectus.* Fieri certe potest, ut caussa efficiens duntaxat propterea agat, ut effectum consequatur; sed hoc casu finis est simul effectus: ergo fieri potest, ut idem sit caussa finalis simul, et effectus.

Schol. Si qua hic videtur repugnantia adesse, ea omnis diversitate statuum tollitur; finis enim in statu ideali, quatenus nempe intelligentia caussae efficientis comprehenditur, caussa est, effectus vero, quatenus in statu actuali constituitur. Unde, tametsi sit, prior, et posterior semetipso, quia tamen id pro diverso statu contingit, nihil absurdi sequitur: ita sanitas ut intellectu apprehensa est finis utentis medicamentis, et eadem sanitas in statu reali est ejusdem effectus. Quare non est, quod moremur Spinozam inscite pronunciantem (*Eth. p. 1. append. ad prop. 36.*) *Omnes caussas finales nihil nisi humana esse figmenta: hanc de fine doctrinam naturam omnem evertere, nam id, quod revera caussa est, ut effectum considerat, et contra: deinde id, quod natura prius est, facit posterius*: aut eum, qui recentius eadem recoxit. Neque vero etiam Cartesius universim contra eos, qui finem creatorum entium investigant, recte statuit: *nullum nos posse cognoscere finem Dei in creatione naturarum corporearum, nisi Deus ipse eum revelaverit* (*Pensées sur l'interpret. de la nat. p.*). Errarunt procul dubio illi ex philosophis, qui in finem Dei non ex operibus inquisiverunt, sed ex hypothesi cujusdam finis temere assumta ipsam operis constitutionem deducere voluerunt: ut cum, solem stellasque tam errantes, quam inerrantes propter tellurem, quam incolimus, conditas statuerunt, indeque concluserunt, ea omnia circa tellurem tamquam suum centrum circumagi. Verum nullum generatim Dei finem a nobis cognosci posse, prorsus a vero abhorret; cum enim Deus infinita polleat intelligentia, cumque praeterea talia ab eo condita videamus, quae et ad determinatos effectus edendos aptissima sunt, et eos naturae quoque ordinatione necessario efficiunt, dubitare haud possumus eosdem reapse esse fines entibus illis a supremo suo conditore constitutos. Ita oculi summa arte constructi sunt, partesque eorum etiam minutissimae eo tendunt, ut imagines objectorum distincte depingantur; quis igitur dubitet hunc usum tamquam finem, intentum fuisse a Deo, dum ipse corpus humanum oculis instruxit?

QUID ET QUOTUPLEX MEDIUM?

CLXII. *Medium* dicitur omne id, quod aliquam in se rationem continet, ut finis existentiam consequatur, estque vel *necessarium*, vel *accommodum*, quod per se intelligitur.

Coroll. 1. Fines subordinati sunt aliqua ratione media ad finem ultimum consequendum.

Coroll. 2. Finis sine mediis necessariis existere nequit (conf. §. 21.),

QUI VULT FINEM DEBET VELLE MEDIA.

CLXIII. *Qui serio vult finem, etiam velle debet media necessaria.* Qui serio vult finem, etiam velle debet ea, sine quibus finis existere non potest; sed sine mediis necessariis finis existere non potest (§. praec. cor. 2.): ergo qui serio vult finem, velle etiam debet media necessaria.

Schol. 2. Intellige, nisi certo praevadeat media esse alioquin ponenda; tum enim sufficit, ut ille, qui finem cupit, non impediat, quo minus ea ab aliis ponantur, et nulla in eo positiva volitio requiritur. Ita venditio Josephi ex fratrum invidentia profecta medinm fuit, ut is in Ægyptum perveniret, ibique ad summam dignitatem eveheretur; Deus tamen, qui hunc finem intendit, medium non positive voluit, sed tantummodo permisit.

Schol. 3. Qui media appetit, appetit ea propter finem, ac proinde media prius existant, quam finis, necesse est. Item qui mediis utitur ad finem quempiam consequendum, jam ante de fine cogitavit. Inde patefit potestas axiomatum in philosophia usitatorum: *finis est primus in intentione, ultimus in executione: finis dat mediis amabilitatem, bonitatem, mensuram, ordinem.* Sequuntur jam caussae materialis, formalis, et exemplaris.

QUID MATERIA, FORMA, ET EXEMPLAR?

CLXIV. *Materia*, physice accepta, est ea per compositi, quae variatas in se determinationes recipit, *ut marmor respectu* statuae. Ipsae eae determinationes, quae faciunt, ut res in certa entium classe constituatur, *forma* sunt *in figura marmori inducta. Esemplar* denique illud est, quod caussa efficiens, dum agit intuetur, ut opus illi simile efficiat, *ut idea animo architecti informata, vel delineata, aut typo effícta.*

HAE SUNT VERAE CAUSSAE.

CLXV. *Omnibus his tribus vero sensu nomen causae competit.* Materia enim recipiendo determinationes; forma determinando ens ad certam classem; exemplar dirigendo caussam efficientem, continent rationem, cur effectus talis existat; sed hoc est proprium caussae (§. 142.); ergo iis omnibus nomen caussae proprie convenit.

Schol. 1. In tria vulgo genera materiam tribuunt; *in qua, circa quam, ex qua*: illa subjectum inhaesionis appellatur, altera objectum est, circa quod caussa efficiens operando versatur, de ultima hic agitur. Sed neque magni haec partitio momenti est; in eamdem quippe rem suo diverso respectu consideratam omnia cadunt ita marmor materia est, *ex qua* statua efficitur; *in qua* figura inhaeret; *circa quam* artifex occupatur.

Schol. 2. In sensu metaphysico materia est ipsum illud subjectum, in quo praeter essentiam variae determinationes, seu affectiones insunt (§. 49.), sed monente Wolfio ab hoc vocabuli usu absti-

nendum videtur, ne, dum spiritibus quoque in sensu metaphysico materiam tribuimus, id a nonnullis sinistram in partem accipiatur. Inde vero etiam formam in sensu metaphysico constituunt determinationes essentiales, ita ut essentia, et forma inter se non differant, nisi sub diverso respectu: eaedem nempe determinationes, quatenus primo in ente concipiuntur, et ceterarum rationem continent, *essentia* dicuntur: quatenus vero efficiunt, ut ens sit hoc potius, quam aliud, hujusque potius generis, vel speciei quam alterius, *forma* nuncupantur. Atque hinc illa veterum affata ortum habent *forma dat esse rei*, *datque distingui*; item *forma dat rei operari*, quia nempe attributa, in quibus agendi potentia continetur, in essentia rationem sufficientem agnoscunt. De caussis pro scopo satis dixi, nunc gradum faciam ad tertiam entium speciem (§. 94.) compositi nimirum, et simplicis explanandam, sed necesse habeo, ut ante de toto, et parte breviter agam.

CAPUT V.

De Ente composito, et simplice.

QUID TOTUM, ET PARS?

CLXVI. Quae sint multa, dixi (§. 47.). Unum constans multi seu reipsa, seu cogitatione solum nostra distinctis, atque idem cum iis simul sumtis *totum* vocatur. *Pars* est quodvis eorum, ex quibus unum constat.

QUOTUPLEX TOTUM?

CLXVII. Totum aliud est *essentiale*, quod constat partibus ita necessario requisitis, ut vel una solum ablata ipsum totum pereat, cumque essentia sit vel physica vel metaphysica (§. 46. sch.), etiam totum istud vel *physicum* est, vel *metaphysicum*, *sic homo constans corpore, et animo est totum physicum*; *animal ratione praeditum, seu quidquid constat ex genere, et differentia specifica, est totum metaphysicum.* Aliud *integrale*, cujus partes solum ad integritatem pertinent, ut adeo sublata una vel altera totum tamen maneat. Porro partes hae vel habent eamdem essentiam, vel non; in primo casu oritur totum *homogeneum*, seu *similare*, *ut moneta aurea*: in altero *heterogeneum*, seu *dissimiliare*, *ut corpus humanum.*

Schol. Addunt etiam totum *logicum*, seu *univesale*, *et potestativum*; illud est quaevis nota abstracta pluribus conveniens ut genus, vel species: hoc habetur, cum in ente plures potentiae, seu facultates activae insunt, quo sensu anima nostra dici potest totum potestativum.

QUOTUPLES PARTES?

CLXVIII. Partes quoque diversae sunt. Pars *aliquota* dicitur, quae aliquoties sumta totum exaequat, *ut binarius in denario*: ali-

quanta, quae saepius repetita vel totum excedit, vel ab eo deficit, *ut ternarius in eodem denario.* Rursus pars est *actualis*, quae, propriis suis terminis constringitur, *ut sunt partes in horologio*: alia *possibilis*, cui termini, quos proprios non habet, pro arbitrio constitui possunt, *quales videntur esse in tabula vitrea, vel marmorea.*

QUAE TOTA AEQUALIS, ET INEQUALIS?

CLXIX. Cum duo tota inter se comparantur, vel ratione quantitatis sibi mutuo substitui possunt, vel non; si primum, eaqualia sunt; si alterum, inaequalia (§. 73.). In hoc porro casu necesse erit, ut unum sit majus, alterum minus. *Majus* est altero, cujus pars alteri toti; *minus* vero, quod parti alterius totius aequatur.

Coroll. 1. Cum idem pro se ipso substitui possit, etiam omnes partes simul sumtae pro toto, et vicissim, substitui possunt; igitur totum est aequale omnibus partibus simul sumtis.

Coroll. 2. Totum majus est qualibet sua parte, et quaevis pars minor est suo toto, nec non pars partis est pars totius. Consulatur etiam §. 66. sch.

QUID ENS COMPOSITUM ET SIMPLEX?

CLXX. *Compisitum* generatim voco, quidquid quo demus cumque modo in varia resolvi potest; et *simplex*, quod huic directe opponitur. Speciatim vero *ens compositum* dico ens, quo in plura entia, ex quibus certa quadam ratione conjunctis coalescit, resolvi potest, quodque sic resolvi nequit ens *simplex* vocabo.

Coroll. 1. Omne ens vel est ens simplex, vel ens compositum: inde, etsi praedicata communia entis utpote generis superioris enti tam composito, quam simplici conveniant, praedicata tamen specifica, quae cuivis ut tali competunt, sunt contradictorie opposita: igitur quae de ente composito ut composito affirmantur, negari debent de ente simplice, quia simplice.

Coroll. 2. Omne ens compositum habet partes realiter distinctas, quae sunt ipsa illa entia in quae resolvi potest; at vero ens simplex id genus partibus omnino destituitur.

Coroll. 3. Omne ens compositum est quoddam totum, non autem omne totum est ens compositum; possunt siquidem in toto esse partes ratione solum nostra distinctae (§. 166.).

Schol. Est et aliud inter totum, et ens compositum discrimen: idea totius repraesentat unum, quatenus idem est cum pluribus simul sumtis, ac proinde sola haec identitas in considerationem venit, cum agitur de toto: idea vero entis compositi exhibet conjunctionem plurium reapse distinctorum: neque enim sine tali nexu concipi potest, quomodo plura distincta unum constituant compositum.

ESSENTIA ENTIS COMPOSITI SITA EST IN MODO COMPOSITIONIS, AC PROINDE IN MERIS ACCIDENTIBUS — SED CONTINGENS.

CLXXI. *Essentia entis compositi consistit in certa certarum partium conjugatione.* Illud essentiam entis constituit, per quod

unum quodque ens possibile esse intelligitur (§. 46. sch.); sed si tales partes, talisque earum conjugatio possibilis est, ens compositum possibile esse intelligitur; ergo essentia entis compositi consistit in certa certarum partium conjugatione. Adde quod, modus quo tales partes inter se conjugantur, efficiat, ut sit hoc potius ens quam quodvis aliud; compositum potius, quam simplex; ac hujus potius quam alterius speciei compositum. Exempla pete *ab aedificio, mola, horologio, oculo.*

CLXXII. *Essentia entis compositi meris constat accidentibus* Cum essentia entis compositi in certa certarum partium conjugatione consistat (§. praec.) ipsam nihil ingreditur, quam qualitates partium; figura item, magnitudo, ac determinatum conjunctionis modus; sed haec omnia mera sunt accidentia (§. 125.); ergo essentia entis compositi meris constat accidentibus.

CLXXIII. *Nullum ens compositum est ens necessarium.* Sit quoddam ens compositum ens quoque necessarium; cum existentia entis necessarii sit absolute necessaria: necesse erit, ut in hac hypothesi vel singulae partes seorsum acceptae, vel sola earum conjugatio, vel utrumque simul absolute necessario existat; atqui primum esse nequit, tot enim forent entia necessaria, quot partes, quod pugnat cum §. 114: sed nec alterum, conjugatio quippe haec, tametsi sit essentia entis compositi qua talis (§. 171.), tamen comparate ad partes contingenter existentes est solum modum quidam, aut inter plura relatio, quod utrumque contingens est (§. 102. cor. 2. 3.); ex his porro liquet nec ultimum fieri posse: ergo nullum ens compositum est ens necessarium. Idem quoque ex immutabilitate entis necessarii (§. 120.) facile demonstrari posset.

Coroll. Cum igitur omne ens vel ens necessarium sit, vel ens contingens (§. 104. cor. 1.), evidens est omne ens compositum esse ens contingens.

NEQUE ENS NECESSARIUM EST ENS COMPOSITUM.

CLXXIV. *Ens necessarium non est ens compositum.* Ens necessarium non est ens contingens (§. 104); sed omne ens compositum est ens contingens (§. praec. cor. 1.): ergo ens necessarium non est ens compositum.

Coroll. Cum rursus omne ens vel sit ens compositum, vel ens simplex (§. 170. cor. 1.), patet ens necessarium esse ens simplex.

CLXXV. *Cuivis enti simplici vim quamdam competere simillimum vero est.* Imprimis in iis entibus simplicibus, quae spiritus vocamus, vim aliquam inesse certum est: deinde, ut in cosmologia patebit, ea quoque entia simplicia, ex quibus corpora coalescunt, vi quadam pollere, probabilissimum, si non certum est; praeter haec autem nulla novimus, et si fortasse quaedam extent, argumento ab analogia ducto locus erit. Accedit, quod praecipuum discrimen inter ens simplex et punctum mathematicum in una hac vi constitui posse videatur: his expensis est sane simillimum vero, cuivis enti simplici vim quampiam competere.

Digitized by Google

ENS SIMPLEX VIM HABERE, — EAMQUE EJUS ESSENTIAM CONSTITUERE VIDETUR.

CLXXVI. *In hac vi essentia entis simplicis constituenda videtur.* Si vis quaedam enti simplici competat, ut verisimillimum est (§. praec.), ea vel inest in ipso subjecto, vel inter affectiones locum habet (§. 49.); sed istud fieri nequit, quod enim vi pollet, agere potest (§§. 130. 131.); affectiones vero, cum sint accidentia (§. 225.), agere non possunt (§. cit. cor. 3.): igitur vis ea inest in ipso subjecto; atqui in subjecto praeter essentiam nihil inest (§. 49.): ergo vis entis simplicis ad essentiam pertinet, id est, essentia entis simplicis in vi quapiam constituenda videtur.

Coroll. Pro diversitate igitur virium diversae entium simplicium species constitui possunt.

Schol. Si ex ideis, quas habemus, philosophari, ut decet, velimus: vires entium differre possunt vel ratione quantitatis, vel ratione actionum per ipsas possibilium. Actionum genera duo solum nobis nota sunt, *cogitatio*, in qua volitio includitur, et *motus*; oritur inde primo *vis cogitandi*, et entia, quae eadem pollent, *spiritualia* dicimus, quo tamen innuere nolumus, non posse a spiritibus quoque motam effici; eadem quippe eis, quae cogitationem efficit, et inde tamquam a nobiliori effectu *vis cogitandi* denominatur, potest etiam ad motum efficiendum sufficere. Oritur inde secundo *vis motrix*, quae duntaxat conatus est mutandi locum, et actualem loci mutationem vel effectum unicum sortiri potest: entia simplicia, quae hac vi instruuntur, vi cogitandi carent, et *materialia* dicuntur, propterea quod materiam praebent, ex qua corpora mundana coalescunt, ut in cosmologia pluribus ostendam. Si vero quantitas virium spectetur, erit vis alia infinita, alia finita, itaque ratione quantitatis, quae vi cogitandi competit, erit spiritus infinitus, et spirituum finitorum diversae omnino species. Nec quidem obstat, quominus ob diversas virium motricium quantitates possibiles diversae entium materialium classes extare queant. Ad extremum denique, cum vis essentiam entis simplicis constituat, palam est, in uno id genus ente unam solam vim inesse posse; quod si igitur plures actiones ab eodem ente efficiantur, inerunt in eo plures quidem agendi facultates (§. 130.), una tamen vis, quae omnes eas facultates in actum reducit.

ENS SIMPLEX EXISTIT, SI EXISTAT ENS COMPOSITUM?

CLXXVII. *Si existunt entia composita, existunt etiam entia simplicia.* Si existit ens compositum, existit ens in plura entia realiter distincta resolubile (§. 170.); entia illa plura vel iterum sunt composita, vel non. Atqui primum esse nequit; quodlibet enim eorum plurium entium, quae sunt partes totius compositi, qua pars, non est illud ipsum compositum, cujus est pars; ergo ens compositum ex aliis, quam quae ipsum sunt, coalescit. Cumque haec consecutio semper redeat, omnia entia composita ex aliis entibus, quam quae ipsa sunt, coalescunt; sed entia, quae ab omnibus compositis diversa sunt,

non sunt entia composita, verum simplicia (§. cit. cor. 1.); igitur entia illa, in quae ens compositum resolubile est, non sunt rursus entia composita, sed simplicia, ac proinde si existunt entia composita, existunt quoque entia simplicia.

Schol. Profecto quemadmodum repugnat, ut detur effectus sine caussa, ita quoque repugnat, ut extet ens compositum sine simplice: sicut enim effectus eget caussa, a qua efficiatur, ita compositum eget componentibus, e quibus constituatur: sunt quippe componentia natura priora ipsis compositis, ac propterea haec sine illis esse omnino nequeunt. Jam vero si in composito semper haereas in partibus compositis, et numquam ad simplicia pervenias, habebis quidem semper composita, at numquam componentia. Quodsi a progressu in infinitum subsidium petas, non propterea laqueo te explicabis; nam permisso etiam absurdo hoc progressu profiteri cogeris extare infinita composita sine ullis componentibus, quod aliud non est, quam unam absurditatem infinities multiplicare. Sed hac de re uberior disserendi campus redibit in cosmologia.

SUBSTANTIA EST ENS SIMPLEX.

CLXXVIII. *Omnis substantia est ens simplex.* Fingamus *unam* substantiam esse ens compositum; habebit igitur partes realiter distinctas (§. 170. cor. 2.), ex quarum conjugatione ipsa oriatur: jam quaero, partes istae realiter distinctae suntne substantiae, vel non? si ita: tum substantia non est *una*, quod hypothesis ponit; si non: tam partes illae realiter distinctae vel sunt accidentia, vel nullitates, seu nihila, aliud enim cogitabile non est, atque utrumque manifeste absurdum est; si enim primum; tum sola collectio accidentium, quae sine substantia existere nequeunt (§. 125. cor. 3.) constituit substantiam; si alterum, tum nihilorum conjugatio substantiam efficit. Quare cum haec argumentatio de omni substantia valeat, sequitur omnem substantiam esse ens simplex, nec cogitari posse unam aliquam, quae sit ens compositum.

Coroll. 1. Ens compositum proprie substantia dici nequit, sed aggregatum, sive collectio substantiarum vocandum est.

Coroll. 2. Atque inde nova ratione patet, omne ens compositum ex simplicibus coalescere, secus enim ens compositum foret merum aggregatum accidentium sine substantiis, quod fieri omnino non potest.

Coroll. 3. Cum omni enti simplici vis competat (§. 175.), etiam quaevis substantia sua vi gaudet: enti vero composito, qua tali, nulla vis convenit, cum in ipso praeter entia simplicia nihil substantiale insit.

Coroll. 4. Quia tamen ens compositum est aggregatum substantiarum, etiam virium, quae in his insunt, collectio eidem competat, necesse est.

Schol. Opinio haec, quae singulis substantiis vim activam tribuit, ad veritatem quam maxime propendet; hac una certe ratione

omnes effectus, qui in mundo hoc aspectabili eveniunt, congrue explicari possunt: qui enim in omnibus continuo ad Deum tamquam caussam primam confugiunt, ii et a communi persuasione, nulla caussa urgente, recedunt, et philosophiae, quae in effectibus naturalibus caussas quoque naturales quaerendas esse docet, valedicunt; qui vero substantiam quamdam universalem, et naturam genitricem, quae sola, et ubique agat, statuunt, illi talia proferunt, quae ipsi non intelligunt, quemadmodum alias videbimus. Quare non possum non vehementer probare ea, quae Leibnitius de substantiis docuit, quamvis in natura vis substantiis insitae determinanda ab eo admodum dissentiam. *Agere*, ita ille, *est character substantiarum, hancque agendi virtutem omni substantiae inesse ajo, semperque aliquam ex ea actionem nasci, adeoque neo ipsam substantiam corporum ab agendo cessare umquam, quod illi non satis percepisse videntur, qui essentiam ejus in sola extensione, vel etiam in impenetrabilitate collocarunt, et corpus omnimode quiescens concipere sibi vi sunt* (*Act. Leips. anno* 1695. *pag.* 145.). Et *atque hinc judicari potest debere in corporea substantia reperiri entelechiam primam, tamquam* πρωτο Δικτικον *activitatis, vim scilicet motricem primitivam, quae praeter extensionem, et molem superaddita semper quidem agit, sed tamen varie ex corporum concursibus per conatus impetusque modificatur. Atque hoc ipsum substantiale principium est, quod in viventibus anima, in aliis forma substantialis appellatur* (*Ibid. anno* 1698. *pag.* 436.). Addit (*Ibid. pag.* 424.) denique huic opinioni momentum non leve, quod hac via confusae illae veterum peripateticorum notiones de materia prima, et forma substantiali ad distinctas facillime reducantur; erat nempe ipsi materia prima subjectum quoddam passivum capax recipiendi formam substantialem velut unicum principium activum. Haec duo statuerunt omnium rerum naturalium principia generalia; ea tamen clarius definire, aut dilucidare omnino ignorabant: cum enim in materia praeter dictam capacitatem nihil conciperent, eam aliter explicare non valebant, quam removendo ab ea omnes qualitates; unde Aristoteli dicta fuit *nec quidem, nec quantum, nec quale.* Jam vero si substantiam vi activa praeditam ponamus, concipere licebit in ea quidpiam per modum subjecti, in quo ea vis inhaereat, quamquam realis inter ipsa distinctio non extet: tumque illud ipsum subjectum materiae primae, vis vero activa formae substantialis vices implebit. Sed cum in subjecto sic per cogitationem abstracto nihil prorsus relinquatur, nihil etiam erit, quod pro definitione illius, aut declaratione adferatur (conf. §. 125. schol. 165. schol. 2.).

ENS SIMPLEX EST SUBSTANTIA.

CLXXIX. *Omne ens simplex est substantia.* Omne ens simplex vel substantia est, vel accidens (§. 125.); sed nullum ens simplex

potest esse accidens, quod per se manifestum est: restat igitur, ut omne ens simplex substantia sit.

Coroll. Igitur substantia quoque recte distribuitur in spiritualem, et materialem, quemadmodum de ente simplice dictum est (§. 176. schol.).

Schol. Dixi adhuc, et pro scopo quidem satis de ente composito et simplice, his nonnulla de utriusque ortu, et interitu adjicienda sunt. In sequentibus vero duobus capitibus notionem extensi, ac continui cum aliis affinibus examinabo.

QUID ET QUOTUPLEX ORTUS ET INTERITUS ENTIUM?

CLXXX. Ens oritur, cum ex non existente fit existens, sive, quod idem est, cum ex statu nudae possibilitatis transfertur ad statum actualem. Porro cum ens non existit, vel ejus constitutiva jam existunt, vel non: cum ens sit existens, cujus constitutiva jam extiterunt, *oritur* illud *ex aliquo, ut horologium per conjunctionem partium jam existentium*; cum ens fit existens, cujus nulla constitutiva ante extiterunt, *oritur ex nihilo*; actio qua illud obtinetur, *productio* vel *affectio*, ac interdum *generatio*; quo hoc: *creatio* cognominatur. Ab opposito ens *interit*, cum ex existente fit non existens, et hic interitus similiter duplex est: *simplex* cum adhuc constitutiva entis remanent; *compositus*, cum nihil ipsius remanet existens; ille interitus *corruptione*, hic *annihilatione* perficitur.

ENS NECESSARIUM NEC ORIRI, NEC INTERIRE POTEST, — POTEST AUTEM ENS CONTINGENS.

CLXXXI. *Ens necessarium nec oriri, nec interire potest.* Quod numquam potest esse in statu nudae possibilitatis, illud nec oriri, nec interire potest (§. praec.): sed ens necessarium numquam potest esse in statu nudae possibilitatis (§. 104. cor. 2.); ergo ens necessarium nec oriri, nec interire potest.

Coroll. 1. Quod nec oritur, nec interit, aeternum est: igitur nova ratione patet, ens necessarium esse aeternum (conf. §. 110.).

Coroll. 2. Omne ens, quod aut oriri, aut interire potest, contingens est, et quia omne ens contingens in statu nudae possibilitatis esse potest (§. 104. cor. 3.), omne ens contingens oriri, et interire potest.

Coroll. 3. Quia porro omne ens compositum ens contingens est (§. 173. cor.), evidens est omne ens compositum et oriri, et interire posse, atque adeo nullum ens compositum aeternum esse.

ENS COMPOSITUM PRODUCI ET CORRUMPI POTEST.

CLXXXII. *Omne ens compositum et oriri ex aliquo et interire interitu simplici potest.* Cum essentia entis compositi sita sit in certa certarum partium conjugatione (§. 171.), ensque tum oriri, aut interire dicendum sit, cum ipsius essentia aut oritur, aut interit, manifestum est, ens compositum oriri, cum partes ipsius jam existentes certo modo conjunguntur, ac interire, cum earumdem partium

consociatio dissolvitur: sed hoc est oriri ex alio, et interire interitu simplici (§. 180.): ergo omne ens compositum et oriri ex aliquo et interire potest interitu simplici. *Patet id in horologio, aedificio etc.*

Coroll. Conjugatio partium substantia non est, sed merum accidens: igitur omne ens compositum et oriri, et interire potest, quin quaepiam substantia aut oriatur, aut intereat.

Schol. Hunc modum natura sibi relicta sequitur; in mutationibus enim naturalibus nulla perit substantia, nihilque annihilatur; sed dum unum corpus corrumpitur, aliud generatur: et eaedem prorsus substantiae jam hoc jam illud corpus, prout varie componuntur, constituunt. Interea tamen, quod probe notari velim, hoc theoremate non negamus fieri posse, ut etiam ens compositum creetur, aut annihiletur.

ENS SIMPLEX NON POTEST ORIRI EX ENTE COMPOSITO -- NEQUE EX ENTE SIMPLICI--AC PROINDE CUM ORITUR, CREATUR--ET CUM INTERIT, ANNIHILATUR.

CLXXXIII. *Ens simplex nequit oriri ex ente composito.* Ut ex ente composito ens novum oriatur, necesse est, ut id fiat vel accessione novarum, vel recessione pristinarum partium, vel permutata earumdem conjugatione; sed id, quod accessione, aut nova pristinarum partium conjugatione oritur, est ens compositum, non simplex; et si fiat recessio partium, tum residuum vel est compositum ex partibus, vel non; si illud: non est ens simplex; si hoc: adest quidem ens simplex, at non nunc ortum, verum quod jam antea existit: patet igitur, ens simplex ex ente composito oriri nequaquam posse.

CLXXXIV. *Ens simplex nequit oriri ex alio ente simplice.* Si ens simplex oriretur ex alio ente simplice, id fieret vel per distractionem, vel per trasformationem, sed neutrum omnino fieri potest; non primum: non enim in ente simplice partes sunt, quae distrahi, aut avelli possent: non alterum; nam haec transformatio efficeretur vel sublatis, vel remanentibus essentialibus, quorum rursus utrumque repugnat; si enim in ente *a* tollerentur essentialia, ut ipsum transformaretur in ens *b*, ipsum ens *a* tolleretur, et illius loco ens novum *b* substitueretur, quod non est transformari: si autem in ente *a* remanent essentialia, remanebunt etiam attributa (§. 46. cor. 2.), et modi solum aliqui mutabuntur (§. cit. cor. 1.), ac proinde ens *a* permanebit ens *a*, nec transformabitur in ens *b*: ergo generatim ens simplex ex alio ente simplice oriri nequit.

Coroll. Ens simplex unius speciei nequit effici ens simplex alterius speciei, ita ex ente materiali nequit fieri spirituale: aut vicissim.

CLXXXV. *Ens simplex cum oritur, oritur ex nihilo.* Cum ens simplex oritur, vel oritur ex nihilo, vel ex aliquo (§. 180.); sed non oritur ex aliquo, istud enim vel esset ens compositum, vel ens simplex; atqui ens simplex nec oritur ex composito (§. 183.), nec ex simplici (§. praec.): restat igitur, ut ens simplex, cum oritur, oriatur ex nihilo.

Coroll. Igitur per creationem solum ens simplex existentiam obtinere potest.

CLXXXVI. *Ens simplex, cum interit, in nihilum abit.* Cum ens simplex interit, nihil illius remanet; remaneat enim vero quidpiam, erit illud vel pars ejus, quod periit, vel aliud, in quod illud prius transformatum est: sed utrumque contradictionem involvit (§§. 170. cor. 2. 184.): ergo ens simplex, cum interit, in nihilum abit.

Coroll. Opus igitur est annihilatione, si vel una substantia in mundo interire debeat.

QUID ORTUS, ET INTERITUS MOMENTANEUS, AUT TEMPORANEUS?

CLXXXVII. Ortus, et interitus dicitur *momentaneus*, cum plura successiva in ipso distinguere non licet; in casu opposito *temporaneus*. Patet autem per se, illum necessario competere entibus simplicibus, non item compositis; tametsi enim entia quoque composita momento individuo oriri, et interire absolute possint, id tamen necesse non est, cum ex partibus vario modo conjunctis constent.

Coroll. Igitur in ortu, et interitu entium simplicium varia discerni nequeunt, ac proinde illius ideam solum confusam (§. 35. log.) habere possumus.

CAPUT VI.

De Extenso, Continuo, et Spatio.

QUID EXTENSUM, AC EXTENSIO?

CLXXXVIII. *Extensum* dicitur unum, quod ex partibus extra sese positis, ac vel reapse, vel sensuum saltem judicio unitis constat, ut *tabula vitrea, vel marmorea.* Hujus abstractum vocatur *extensio*, quae proinde aliud non est, quam positio partium unitarum extra partes.

Coroll. 1. Omne ens extensum est ens compositum, et vicissim quoque omne ens compositum est ens extensum.

Coroll. 2. Ens simplex, ac proinde etiam substantia extensa esse nequit.

Coroll. 3. Ex his ulterius liquet in quovis ente extenso dari entia inextensa (conf. §. 177.).

EXTENSIO CUM SIMPLICITATE, PUGNAT.

Schol. Notionem extensi continere notionem compositionis, jam olim a Pythagoraeis traditum fuisse scribit Gerdillus (*Introd. allo studio della relig. pag.* 274.), interea tamen sunt philosophorum non pauci, qui in contrariam partem abeunt, putantque enti quoque simplici extensionem competere posse. Concipiunt hi in ente simplici partes quasdam, non quidem reales, verum, ut ajunt, *virtuales*; quin figuras quoque diversas, angolos, cuspides Epicuri, Gassendique exemplo addunt: quare extensionem generatim definiunt *esse occupationem spatii divisibilis*, docentque posse ab ente, seu illud ex partibus realibus constet, seu reapse iisdem destituatur, spatium in plures partes divisum occupari. Ipsorum igi-

tur opinione potest ens simplex unicum totum spatium occupare, in quo duo vel plura alia simul existere possent, et ratione magnitudinis spatio occupato competentis dicitur unum majus, vel minus altero. Quod si ex illis quaeras, qui id fieri queat, cum ens simplex omni parte careat? Respondent totum ens in toto spatio, et totum in quavis spatii parte existere; sic animam hominis in toto corpore, et in quavis corporis parte totam; sic quoque ipsum Deum et in toto mundo, et in qualibet illius parte totum praesentem esse. At vero a Dei, utpote entis infiniti, existentia argumentum peti posse non putem; est ea certe mysterium, quod omnes cujuscumque intelligentiae finitae limites exuperat; unde nec Deum vel virtualiter extensum umquam dicimus, nec ipsius immensitatem per modum alicujus extensionis concipere licet, qua in re consentientes habeo omnes theologiae peritos. Quod autem de anima humana asseritur, id eodem, quo affirmatur, jure negari potest, quin et debet; generatim enim notio extensionis absolute pugnat cum notione simplicitatis: illa quippe superficies et medium aliquod intercedens repraesentat; haec, quae similia sunt, et absque partibus realibus consistere nequeunt, prorsus excludit. Sed nempe id in *virtuali* extensione non obtinet. Ita quidem illi: at ego contendo ipsos id genus extensionis ideam habere nullam, esse proinde hunc terminum inanem (§. 77. log.) qui nodum nequaquam solvat. Sit enimvero ens simplex *a*, occupetque spatium in triginta partes divisibile; jam quaero: illud, quod in parte spatii trigesima existit, estne aliquid, vel nihil? Non hoc certe; igitur primum; porro istud aliquid, quod in parte spatii trigesima existit, vel est realiter illud ipsum, quod in parte prima ejusdem spatii existit, vel non? Si hoc, jam adest pars realis: igitur ens simplex *a* simul non est ens simplex; si illud, tum ens *a* existit simul, et eodem tempore in triginta partibus spatii, seu quod idem est in triginta spatiis minoribus, atque adeo ens *a* simplex est naturaliter replicatum in totidem spatiis, quod unanimi philosophorum consensione fieri nequit. Deinde si dari potest ens simplex, quod magnitudinem duorum, vel trium, et sic, porro, aequare potest, nihil obstabit, quominus existere possit ens simplex, quod magnitudine Caucasum exsuperet, quod quidem sententiae hujus fautoribus nullo pacto absurdum videtur. Existat jam per hypothesin ens simplex hujus magnitudinis, insideatque eidem, quidem enim vetat? ad orientem musca *a*, ad occidentem musca *b*; quaero igitur rursus; id, cui insidet musca *a*, estne realiter illud ipsum, cui insidet, musca *b*, vel non? Si neges, ponis in ente simplice partes reales, si ajas, statuis muscas naturaliter compenetrari, erunt enim in eodem loco: ita, quo te cumque vertes, te ipsum jugulas.

QUOTUPLEX EXTENSIO?

CLXXXIX. Extensum vel *in concreto*, nimirum cum materia subjecta, vel *in abstracto* spectatur, cum sola extensio abstrahendo ab

omni materia, in qua eadem insit, consideratur. Extensio rursus vel in longum tantum, et *lineam*; vel simul in latum, et *superficiem*; vel denique in profundum quoque protenditur, et *corpus* mathematicum constituit: illius vero limes *figuram* efficit, unde geometrarum figurae oriuntur.

Coroll. 1. Cum omne ens compositum extensum sit (§. praec. cor. 1.), nec infinitum esse possit, ut deinceps demonstrabitur, necesse quoque est, ut omne ens compositum figuram habeat.

Coroll. 2. Figura entis compositi mutatur mutatis limitibus, id vero fit vel accessione, vel ablatione, vel transpositione partium extimarum.

Coroll. 3. Ens simplex, cum extensum non sit (§. praec. cor. 2.) nec habere figuram, nec vero sensu magnum, aut parvum dici potest.

QUID INTENSIO?

Schol. Quia tamen enti simplici vis competit (§. 155.), quam aliae quoque qualitates comitari possunt, convenit eidem quantitas qualitatis sive gradus (§. 72.); unde si finitum sit; habebit gradum ultimum, sive limitem, atque adeo defectum ulterioris *intensionis* in vi reliquisque qualitatibus: poterit igitur ens simplex dici magnum, et parvum *intensive*. *Intensio* nimirum, sive *intensitas* aliud non est, quam graduum multiplicatio, concipimus enim gradum, qui qualitatis quantitatem constituit, ex minoribus gradibus veluti totidem partibus coalescere; ita cum calorem unius corporis cum calore alterius comparamus, qui sit illius duplus, primum pro gradu uno assumimus, et alterum duobus gradibus constare, ac quo plures deinde gradus sic mente accumulamus, eo magis calorem *intendi* dicimus: hujus rei ratio in eo sita est, quo omnis quantitas, quae pro unitate assumitur ad aliam se habeat, ut linea recta ad aliam; linea vero minor est ad majorem ut pars ad totum. Accommodate Wolfius (*Ont. p.* 2. 5. 2. c. 2. §§. 758. 759. *sch.*): Intendi *dicitur id, cujus gradus fit major:* remitti, *cujus gradus fit minor.— Ut adeo intensitas sive intensio sit quasi graduum multitudo, quemadmodum magnitudo partium multitudo. Nimirum sicuti pars rectae etiam recta est; ita pars gradus itidem gradus est. Et quemadmodum magnitudo rectae lineae resultat ex multitudine partium toti homogenearum; ita etiam intensitas resultat ex multitudine graduum toti gradui homogeneorum Porro quemadmodum in recta partes non nisi possibiles sunt, atque continuae; ita quoque in gradu ceteri minores non nisi possibiles sunt, nequaquam autem actu divisi, atque adeo quamdam quasi continuitatem mentiuntur. Quemadmodum vero partes, in quas actu resolvi potest linea, in eadem coexistunt, ità quoque plures gradus minores, quibus simul sumtis alius quidam aequipollere deprehenditur, in eodem coexistunt, ita ut perinde sit, ac gradus isti singuli extra se invicem existentes adessent. In eo tamen differentia inter*

rectae linae magnitudinem et gradus intensitatem intercedit, quo partes linae rectae actu extra se invicem existant, et extensum continuum forment; in gradu autem minores, ex quibus veluti compositus concipitur, cum partes tantummodo imaginariae sint, extra se invicem non existant, neque adeo extensum efficiant.

QUID CONTINUUM, INTERRUPTUM, AC CONTIGUUM.

CXC. *Continuum* dicimus unum, quod ex variis ita inter se adstrictis, et unitis, ut alia diversa nullo modo interponi possint, consurgit, *ita tabula marmorea vulgo continua putatur*: oppositum vocatur *interruptum, quale est cribrum. Contiguum* est alteri, quod ita eidem in loco proxime vicino coexistit, ut iis immotis nihil interponi possit, tametsi queat illis remotis, *ut liber libro impositus.*

Coroll. 1. Omne extensum vel continuum est, vel interruptum.

Coroll. 2. Continuitas excludit etiam possibilem partis diversae intermediae existentiam.

Coroll. 3. Interruptio ponit existentiam vel actualem, vel possibilem partis diversae inter duas datas.

Coroll. 4. Continguitas excludit existentiam partis diversae intermediae inter duas datas vel actualem, vel illis immotis possibilem.

Coroll. 5. In continuo partes sunt possibiles, in contiguo actuales (§. 168.).

QUID DISTANTIA?

CXCI. Entia *distare* dicuntur, quae ita existunt, ut iis suis in locis immotis aliquid vel actu interpositum sit, vel saltem interponi possit: ejus abstractum *distantiam* metitur linea brevissima, quae inter ea duci posse concipitur, quaeque semper est recta, ut norunt mathematici.

Schol. Satis manifestum esse arbitror *contiguitatem et distantiam* ad relationes pertinere, quarum ratio fundandi sit certus quidam, ac determinatus entium ad se relatorum coexistendi modus: videlicet, si duo entia eo modo, qui oritur ex eo, quod nihil inter ea immota interponi possit, sibi mutuo coexistunt, modus hic fundamentum praebet, ut denominentur *contigua*; modus vero coexistendi, qui tum datur, cum aliquid interponi potest, quique a priori omnino diversus est, rationem continet, ut entia dicantur *distantia*: relatio igitur distantiae nititur in modo coexistendi, qui ponit solam possibilitatem interpositionis alterius, quique adeo ea possibilitate permanente permanet, seu actu quid sit interpositum, seu non.

ENS SIMPLEX ALIUD CONTINGERE NEQUIT.

CXCII. *Ens simplex alteri enti simplici numquam potest esse contiguum.* Sit ens simplex *a* contiguum enti simplici *b*: existit igitur utrumque in puncto contractus, vel non; si hoc, tum se non contingunt, cum enim nullam prorsus partem autem extensionem (§. 188.

cor. 2. et sch.) habeant, necesse est, ut ibi se non contingant, ubi non existunt. Si vero utrumque existat in puncto contactus, tum in idem spatii punctum congruunt, atque ideo compenetrata sunt; nam ob absolutam suam simplicitatem nequeunt nisi unicum spatii punctum occupare; atqui, quae compenetrata sunt, non dicuntur contigua (§. 190.): igitur ens simplex alteri numquam potest esse contiguum.

Coroll. Si igitur duo, vel plura entia simplicia coexistant, ea vel loco congruunt, et compenetrata sunt, vel a sese distant.

Schol. Qui imaginationi nimis indulgent, eamque pro mensura intelligibilium assumunt, illi veritatem hujus theorematis omnino non assequuntur; assueti enim ideis rerum sensibilium quas ab ipsa infantia ope sensuum, ac praecipue tactus in utero materno sibi compararunt, nihil intelligi posse putant, nisi quod extensum sit quodque imagine quadam phantastica repraesentari queat, ac propterea nullam se entis simplicis, et inextensi ideam habere palam, fatentur. His quidem, si doceri velint, id subsidii Boscovichius subministrat (*Theor. phil. nat. p. 1. §. 135.*): praecipit nempe, ut tabulam quampiam planam per medium sectam ita secundo secent, ut posterior sectio priori sit perfecte contigua, id quod fieri nequaquam posse statim experientur; quidcumque enim tentent, aut posterior sectio congruet cum priori, aut ita ab illa distabit, ut etiam quidpiam interponatur, neutro autem casu duae eae sectiones contiguae erunt. Quod si deinde transversa fiat sectio punctum concursus modum suppeditabit, quo idea entis simplicis concipiatur; simplicitas enim utrobique est eadem, ac discrimen in eo solum ponitur, quod ens simplex vi activa polleat, et aliquid reale sit; illud solum imaginarium: quare hoc punctum mathematicum; illud physicum appellari solet. Qui vero cum Leibnitianis ad essentialem entium simplicium, seu, ut ajunt, monadum impenetrabilitatem confungiunt, iis cum laudato auctore haec dicta sint. (*Dissert. de nat. divers. n. 13. not.*) *Qui dicunt monades non compenetrari, quia natura sua impenetrabiles sunt, ii difficultatem nequaquam amovent; nam si et natura sua impenetrabiles sunt, et continuum debent componere, adeoque continua esse; compenetrabunt simul, et non compenetrabuntur, quod ad absurdum deducit, et ejusmodi entium impossibilitatem evincit. Ex omnimodae inextensionis, et contiguitatis notione evincitur compenetrari debere, argumento contra Zenonistas instituto per tot saecula, et cui numquam satis responsum est. Ex natura, quae in iis supponitur, ipsa compenetratio excluditur, adeoque habetur contradictio, et absurdum.* Quid denique illis faciemus, qui in verbulo saltem quaerunt? Ajunt: entia simplicia, cum se contingunt, nec compenetrantur, nec distant; quid igitur? *distare incipiunt*: en arcem, an potius specum in quam sese abdunt. Sic arguo: entia, quae distare incipiunt, vel reapse a se distant vel non distant; tertium certe per contradictoriorum legem excluditur. Si distant, teneo, quod volo; ipsi vero

sibi contradicunt: si non distant, redit superior argumentatio; neque vocula illa *incipiunt*, difficultatem sustulit. Profecto nisi quis putet entia simplicia esse quosdam globulos, qui extremitates habeant, et medium; impossibile est, ut se secundum unam partem contingant, secundum aliam distent, aut distare incipiant.

QUID CONTINUUM PHYSICE, ET METAPHYSICE?

CXCIII. Continuum spectatur *physice*, cum repraesentationis a sensibus factae duntaxat ratio habetur; *ita tabulam marmoream revera continuam putamus, quod minimae distantiae sensibus subducuntur*: *metaphysice*, vel etiam *mathematice*, cum attenditur ad id, quod in se, ac reipsa est; unde *continuum* est *metaphysice* tale, cum partes in se reipsa ita continuantur, ut nihil diversi interseri possit.

CONTINUUM METAPHYSICE TALE NON EXTAT.

CXCIV. *Continuum metaphysice tale in rerum natura non extat.* Omne ens extensum ex entibus non extensis (§. 188. cor. 3.), seu omne ens compositum ex entibus simplicibus coalescit (§. 177.): igitur nequit ens esse continuum metaphysice tale, nisi entis simplicia sibi mutuo sint contigua; sed entia simplicia sibi numquam contigua esse possunt (§. 192.): ergo nec extat, nec extare potest in rerum natura continuum metaphysice tale.

Coroll. Verum igitur continuum est solum abstractum, in quo examinando geometria occupatur: quae nos vulgo in continuis habemus, ea solum comparate ad nostros sensus talia sunt.

Schol. Certe sensus nostros idoneos perfectae continuitatis testes non esse ex usu microscopiorum, aliisque experimentis innumeris satis hodie notum est; consuli potest Boscovichius (*Loc. cit.* §. 158.). Nihil igitur agunt, qui apparentia sensuum delusi veritatem hujus assertionis ob contrariam experientiam in dubium vocare volunt. Quid? quod, tametsi entia simplicia se contingerent, nondum tamen continuum metaphysice tale efficerent; ista quippe entia forent partes actuales quibus in hujusmodi continuo locus non est (§. 190. cor. 5.).

QUID SIMULTANEA, ET SUCCESSIVA?

CXCV. *Simultanea* sunt, quae eodem tempore simul existunt, *ut sol, luna, tellus*; *successiva*, quae, tametsi non coexistant, ita tamen inter se conjunguntur, ut, dum unum desinit, alterum incipiat existere, *ut dies, mensis, annus.* Inde ens vocatur *permanens*, cujus essentiales determinationes sunt simultanae, *ut horologium*: *successivum* vero, cujus determinationes essentiales sunt successivae, *ut tempus, motus.*

Coroll. Omne continuum vel est permanens, vel successivum.

QUAE IDEA VULGARIS SPATII?

CXCVI. Ubi advertimus locari posse aliquod ens compositum, quod in cosmologia corpus vocatur, ibi *spatium* adesse dicimus; ne-

gamus contra dari *spatium*, cum nihil amplius locari posse cogitamus: *sic dicimus non superesse in templo spatium, cum illud hominibus jam confertum est.* Res ad usum loquendi attento per se manifesta est: igitur ratione idae vulgaris habita *spatium* recte dicitur locandorum corporum possibilitas.

QUAE CUJUS SPATII PROPRIETATES?

Schol. Hoc porro spatium vulgo concipimus tamquam receptaculum ab omnibus rebus vacuum, in quo reponi potest, quidquid lubet, seu ut aliquod trine extensum, continuum, similiare, et a corporibus in eo existentibus penetrabile. His ratiocinando adjicimus extensionem interminatam, divisibilitatem in infinitum, aeternitatem cum necessitate, ac immobilitatem, quae breviter demonstranda sunt. Tribuitur igitur spatio.

1.) *Interminata extensio;* numquam enim cogitando eo pervenire licet, ubi concipiatur non esse amplius possibile, ut corpus quoddam locetur: nimirum ubicumque extra mundum cogitatio nostra divagetur, ibi locatio alicujus corporis possibilis intelligitur: igitur extentio hujus spatii nullis terminis concluditur.

2.) *Divisibilitas in infinitum*: quod enim cumque intervallum, quantumvis minimum videatur, in hoc spatio assumptum semper in duas partes aequales dividi potest; unde in ejus divisione numquam ad finem pervenitur. Quod ut accuratius pervideas, pone duo entia simplicia *a*, et *b* intervallo quovis distantia, ajo: inter *a*, et *b* potest poni tertium *c* aequaliter ab utroque distans, quin alterutrum contingat; nam si ens *c* ita in medio positum contingeret ens *a*, contingeret hoc ipso etiam ens *b*, cum ponatur ipsum *c* in medio aequaliter ab *a*, et *b* distans; sed si ens *c* contingit ens *a*, cum illo compenetratur (§. 192.): ergo etiam si ens *c* contingit ens *a*, ens *c* compenetratur cum ente *b*, id est, si medium *c* alterutrum seu *a*, seu *b* contingeret, ipsum esset cum utroque, tam *a*, quam *b* compenetratum; atqui si ens *c* esset cum utroque compenetratum, etiam illa duo forent inter se compenetrata, quod absurdum est; ponuntur enim haec duo *a*, et *b* ex hypothesi distare, cum autem compenetrantur, non distant: igitur si ens *c* in medio positum inter *a*, et *b* alterutrum contingeret, illa duo *a*, et *b* distarent simul, et non distarent, quod cum fieri nequeat, evidens est inter quaevis entia simplicia *a*, et *b* quocumque intervallo distantia semper posse poni medium *c*, sicque illud intervallum in duas partes aequales dividi. Dico id de *quocumque* intervallo; nam hoc argumentum semper, et infinitum redit. Vid. Boscovich.

4.) *Æternitas cum necessitate*: omnis enim rerum possibilitas aeterna est, ac necessaria; nec initium aut finem habere potest: igitur idem de possibilitate locandorum corporum affirmari debet.

5.) *Immobilitas*, quia nulla spatii hujus pars ne cogitando quidem alio tranferri potest; sume enim partem aliquam *b* inter *a*, et *c*, eamque alio cogitatione tua transfer; jam quaero, quid facta hac

translatione inter *a*, et *c* concipis; potestne ibi locari corpus? nihil sane est, quod impediat: igitur spatium ibi est, ubi illud abstulisti, ac proinde nihil transtulisti.

SPATIUM ISTUD NON EST REALE.

CXCVII. *Spatium adhuc expositum non est quidpiam reale.* Imprimis enim generatim possibilitas entium non est aliquid reale: igitur neque possibilitas locandi corpora, in hoc spatium constituitur (§. praec.). Deinde quidquid existit, vel substantia est, vel accidens (§. 125. cor. 1.): atqui spatium istud nequit esse substantia: repugnat quippe substantia infinite extensa, et divisibilis (§. 178.), item aeterna, ac necessaria praeter Deum (§. 114.): nequit esse accidens; accidens enim non existit extra substantiam (§. 125. cor. 3), spatium vero hoc debuisse existere; antequam substantiae crearentur. Denique non intelligitur accidens infinite extensum, et divisibile: ergo spatium adhuc expositum non est existens, seu reale.

Coroll. Omnibus igitur entibus sublatis nullum reale spatium remanet.

Schol. 1. Atque inde spatium istud *imaginarium*, *abstractum*, aut *vacuum*, de quo postea, dicunt; item *absolutum*, cum a rebus actu locatis nequaquam pendeat; possibilitas enim locandi corporis absque actualis locatione optime subsistit. Quare spatium *absolutum*, reale non est. Neque, quae opponuntur, multum habent ponderis; ajunt nempe:

SATISFIT OBIECTIS.

1.) Spatium, quod sublatis omnibus entibus remanet, est mensurabile; sed quod est mensurabile, est quoque reale: ergo spatium quod sublatis omnibus entibus remanet, est reale. Quid? quod spatium istud dicatur magnum, parvum, quantum etc. sequitur proinde existere spatium quoddam quod absolutum sit ac reale.

℟. *d. M.* est mensurabile *terminis alienis c. M. terminis propriis n. M.* sic *d. m. n. cons.* Eatenus solum spatium illud, quod sublatis rebus omnibus superesse intelligitur, dici potest mensurabile, quatenus ordo, quem res, si ibi locarentur, constituerent, per determinatam mensuram explicari potest; non vero; quasi illud haberet partes realiter extantes, quibus mensura applicari posset. Ordinem nempe entium coexistentium, qui vel actu datur, vel dari saltem posse concipitur, per distantias explicamus, quae distantiae mensurabiles sunt: quod cum facimus, designamus mente terminos, quos ab ipsis entibus locatis, vel locandis abstrahimus, enunciamusque tot, exempli caussa, orgyas, palmos, pedes, interponi posse, atque sic alienis terminis spatium illud mensuramus, propriis certe metiri ipsum nequaquam possumus, cum enim non sit aliquid reale, nec habet partes reales, nec etiam terminis propriis concluditur. Cum deinde dicitur quantum, magnum, parvum, verum id est, si haec in *abstracto* et *mathematice*, non item si in *concreto*, et *realiter* intelligantur. Nimirum mensurabile, quan-

tum, magnum; parvum tam in concreto prout denotant in recto subjectum reale, in obliquo vero ipsam mensurabilitatem quantitatem, magnitudinem, parvitatem; quam in abstracto accipi possunt, cum aliud non significent, quam ordinem, qui per distantias exprimi possit: quemadmodum esse numerabile de quovis numero concreto aeque, ac abstracto verissime affirmatur. Sic igitur quantitas mathematica est vera quantitas, et vere mensurabilis, tametsi realis non sit; ita quoque hoc spatium, licet reapse non extet, est tamen vero aliquo sensu mensurabile, magnum, parvum, non quidem quasi veros, ac reales haberet terminos, sed quod tales concipi possint.

2.) Deus potest alium adhuc mundum a nostro penitus distinctum condere; ergo necesse est, ut extra hunc mundum actu detur spatium, in quo nimirum is locari possit.

℞. Spatium, quod extra mundum hunc aspectabilem datur, imaginarium duntaxat est, non reale, non enim alter mundus in spatio reali locari deberet, secus istud ipsum quoque spatium alio reali, et istud rursus alio, atque sic infinitum, egeret: sed Deus, si conderet eum in spatio imaginario et condendo mundum simul conderet novum spatium reale, quod nempe in reali simultaneorum ordine consistit, ut infra dicam. Probe igitur sciendum: reale spatium cum mundo praesente initium habuit, et sic quoque aliud spatium reale inciperet existere, si alius mundus crearetur; interea tamen spatium imaginarium jam ante datur, quatenus nempe concipimus possibilem esse ordinem rerum ipsis nondum procreatis; sicut possumus cogitare rotunditatem absque corpore rotundo, aut numerum sine rebus numeratis: verum ut talis rotunditas, vel numerus non est realiter existens, ita spatium illud non est reale; sed imaginarium, ac mera possibilitas recipiendi corpora locata.

3.) Potest Deus totum hunc mundum alio transferre: igitur extra hunc mundum videtur actu esse spatium reale; translatio enim entis fieri nequit nisi ex una parte spatii realis in aliam.

℞. Nego id, quod in consequente infertur una cum sua ratione addita. Pone, quod captu facillimus est, duo solum corpora, vel duos homines, nihilque praeterea condi: poterunt certe duo haec corpora ad se mutuo a Deo propelli, poterunt duo illi homines ad sese vel accedere, vel contra recedere, in utroque vero hoc casu fieret translatio corporis ex una parte spatii imaginarii in aliam, neque tamen ulla hac in re repugnantia ostendi potest. Fatendum tamen, *mundum posse alio tranferri*, locutionem esse non satis propriam, nonquidem quod motus verus, ac proprius in vacuo haberi nequeat, sed quod non adesset mutatio quaedam distantiae realis, quae cum motu proprie sumpto alias semper conjungitur, cum enim nullum ens reale extra mundum totum existat, a quo is realiter distet, nulla quoque realis distantia, posita hac translatione, mutaretur. Praeterea cum in spatio illo imaginario non adsint partes reales, nullam quoque in eo partem designare possu-

mus, nisi quatenus aliquod corpus locari posse cogitamus: inde, quia possibile est, ut Deus alium mundum praeter nostrum condat et quia, si id reapse fieret, illi responderet pars spatii imaginarii alia ab ea, quae nostro nunc mundo respondet amoto per cogitationem novo illo mundo, nostrum illuc transferri a Deo posse concipimus, ex quibus omnibus nequaquam sequitur, jam nunc extra mundum spatium reale extare. Universim denique voculae hae: *hic*, *ibi*, *alibi*, in usu vulgari fere ad spatium reale solum applicantur, unde vero sensu dici nequit: mundum potuisse *hic*, *ibi*, *alibi* condi, nisi clare addatur pars spatii imaginarii per possibilem alicujus corporis locationem designata.

Schol. 2. Sunt praeterea nonnulli, qui dum spatio huic veram tribuunt actualitatem, illud simul attributum Dei esse, ac in ipsius immensitate consistere affirmant, ne nimirum praeter Deum aliam quampiam substantiam increatam, ac infinitam admittere cogantur. Raphsonis, Mori Newtoni Clarkii, aliorumque nobiliorum Angliae philosophorum haec est opinio, de qua acris olim Clarkium inter Leibinitium concertatio existit (*Recueil de divers. piec. tom* 1.). Verum multa sunt, quae eam refellunt opinationem; ergo quaedam attingam. 1.) Possibilitas entium generatim non est formaliter ipsa Dei omnipotentia (§. 36. cor. 1.): igitur neque possibilitas locandi corpora est ipsa ejus immensitas. 2.) Spatium concipitur per modum extensi continui (§. 196. sch.) partesque illius diversae diversis corporibus in iisdem locatis commensurantur; immensitas autem Dei est simplicissima, neque ullo pacto in ea quamdam extensionem cogitare licet: vide Moniglia (*Dissert. con in material. tom.* 2. *p.*3. 5. 1. §. 9.). 3.) Tempus non est aeternitas Dei, secus res, quae sunt in tempore, forent in aeternitate Dei: ergo neque spatium est immensitas Dei: aeque enim absurdum est, ut entia, quae sunt in spatio, sint revera in ipsa substantia divina. 4.) Deus vi immensitatis suae est essentialiter determinatus, ut omni spatio reali quod extiterit, praesens adsit, ut in theologia dicam: sicut vi aeternitatis suae determinatur, ut omni tempori, quod fuerit, coexistat: si igitur spatium foret ipsa immensitas, Deus vi suae immensitatis determinaretur, ut suae immensitatis praesens adsit, quod risu dignum est. Sed jam ad notionem spatii realis evolvendam transeamus.

CXCVIII. *Ut intelligamus actu dari spatium reale, non aliud requiritur, quam ut intelligamus actu dari aliquod extensum continuum, in quo corpora actu recipiantur, et certa inter se ordine disponantnr, ac connectantur.* Ut intelligamus actu dari spatium reale, non aliud requiritur, quam ut per res existentes ea in nobis idea excitetur, quam vulgo de spatio habemus; sed cum intelligimus actu dari aliquod extensum continuum, in quo corpora actu recipiantur, certoque ordine inter se disponantur, ac connectantur, tum per res existentes ea in nobis idea excitantur, quam vulgo de spatio habemus (§. 196. sch.): ergo ut intelligamus actu dari

spatium reale, non aliud requiritur quam ut intelligamus actu dari aliquod extensum continuum, quo corpora actu recipiantur, et certo inter se ordine disponantur, ac connectantur.

Coroll. Igitur etiam si non intelligimus actu dari aliquod continuum extensum, in quo corpora actu recipiantur, et certo inter se ordine disponantur, ac connectantur, non intelligimus actu dari spatium reale.

CXCIX. *Posito duntaxat ordine simultaneorum quatenus in serie physice continua coexistunt; intelligitur actu dari spatium reale.* Ut intelligamus actu dari spatium reale, non aliud requiritur, quam ut intelligamus actu dari aliquod extensum continuum, in quo corpora actu recipiantur, et certo inter se ordine disponantur, ac connectantur (§. praec.): sed posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, intelligitur actu dari aliquod extensum continuum, in quo corpora actu recipiantur, et certo inter se ordine disponantur, ac connectantur: ipsa quippe corpora sic continue disposita hoc extensum efficiunt; ergo posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, intelligitur actu dari spatium reale.

CC. *Sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari spatium reale.* Sublato duntaxat ordine sumultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari extensum aliquod continuum, in quo corpora actu recipiantur, et certo ordine inter se disponantur, et connectantur (conf. §. praec.); sed si non intelligitur actu dari extensum quoddam continuum, in quo corpora actu recipiantur, et certo inter se ordine disponantur, ac connectantur, non intelligitur actu dari spatium reale (§. 198. cor.): ergo sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari spatium reale.

SPATIUM REALE EST ORDO SIMULTANEORUM.

CCI. *Spatium reale est ordo simultaneorum, quatenus coexistunt in serie physice continua.* Illud certe est spatium reale, quo duntaxat posito intelligitur actu dari spatium reale, et quo duntaxat sublato non intelligitur actu dari spatium reale: sed posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus coexistunt in serie physice continua, intelligitur actu dari spatium reale (§. 199.), et sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari spatium reale (§. praec.): ergo spatium reale est ordo simultaneorum, quatenus coexistunt in serie physice continua.

Coroll. 1. Spatium igitur reale pendet a coexistentibus simultaneis, ac proinde essentialiter *relativum* est iisque sublatis aufertur (conf. §. 197. cor.).

Coroll. 2. In quovis ente composito datur ordo quidam simultaneorum: non item in simplice; igitur illi, non huic, inest spatium reale.

Coroll. 3. Cum ens non habet alia in serie physice continua coexistentia, nequit esse in spatio reali: ita mundus, cum pro uno ente spectatur, non est in spatio reali: istud tamen in se continet.

QUID CIRCUMSCRIPTIVE, ET DEFINITIVE EXISTERE.

Schol. Ens, in quo spatium reale inest, dicitur implere spatium, seu *repletive*, vel ut veteribus placuit, *circumscriptive* existere in spatio: igitur omne ens compositum replet spatium, et circumscriptive existit, non autem ens simplex, cui propterea existentia *definitiva* tribuitur; *definitive* enim existere dicunt, quod ita existit, ut ipsius diversae partibus spatii imaginarii immensi: nempe cum ens replet spatium, tum in spatio imaginario concipimus partem immobilem ejusdem extensionis, quae ut integre enti respondet, ita singulae ejus partes singulis totius entis partibus correspondere, ac velut commensurari cogitantur. Jam vero istud in ens simplex, quod nullam partem realem admittit, convenire minime posse in aperto est.

QUID SPATIUM PLENUM, ET VACUUM?

CCII. Dixi de spatio imaginario (§§. 196. 197.), dixi etiam de spatio reali (§. praec.) hoc frequenter *plenum*; illud *vacuum*, vel *purum* compellatur, ab Epicuro autem, et Lucretio *inane* (*De rer. nat. l.* 1. *v.* 330. *seqq.*). Est tamen aliquod, licet permodicum, inter notionem spatii imaginarii, et notionem vacui, tametsi res sit eadem, discrimen: nimirum cum spatium imaginarium concipimus ut extensum infinitum; vacuum nobis repraesentamus, ut capacitatem recipiendi alicujus corporis vage, et indeterminate sumpti; id est: *vacuum* est spatium, in quo actu nullum est corpus, attamen quoddam esse potest.

VACUUM EST POSSIBILE, -- ET DATUR ACTU EXTRA MUNDUM, — QUIN ET IN HOC MUNDO.

CCIII. *Vacuum est possibile.* Imprimis enim potest Deus omnem corporum mundanorum motum impedire, eaque in perfectissima quiete constituere, atque ex iis unum vel alterum annihilare; atqui in hoc casu foret spatium aliquod sine corpore, adeoque vacuum; corpora enim circum quiescentia ingressioni omnis alterius corporis obstarent: ergo vacuum est possibile. Vide Gassendum (*Phys. sect.* 1. *l.* 2. *c.* 2.). Ponamus deinde sublata omni rerum universitate duo tantum corpora, vel duos homines solum a Deo procreati, ut jam supra innui, quaequae hypothesis nullam omnino contradictionem involvit: poterunt utique duo haec corpora vi quacumque impulsa ad se accedere, rursusque recedere; poterunt idem praestare duo illi homines; risu certe dignus foret, qui contenderet, duos hos homines ita arctissime cohaesuros esse, ut unus ab altero divelli nequeat. Jam vero hoc in casu inter duo corpora, vel inter duos homines vacuum interponeretur. Est denique quid prohibet, ut fingamus mundum hunc ante mille annos a Deo in nihilum redactum fuisse, et praesente hoc mo-

mento rursus condi? anne dices inter destructionem, et iteratam creationem nihil temporariae extensionis intercessisse, sed hanc illi prorsus contiguam esse? ita igitur quoque in vase quodam, destructo omni corpore interposito, daretur extensio vacua spatii; neque latera sese hoc ipso contingerent.

Schol. Idem probat Lockius (*Essai concern. l'entend. hum. liv. 2. ch. 13.*) ab idea clara, et distincta, quam de spatio ab omni corpore vacuo animo conformare valemus; certum quippe est, omne id possibile esse cujus idea clara, et distincta a nobis obtineri potest; cum omne idearum nostrarum objectum in possibile, et existens rectissime distribuatur (§. 51. cor. 2. log.).

CCIV. *Vacuum extra mundum actu datur.* Mundus non est extensionis infinitae, quemadmodum alias commonstrabo: ergo nihil prorsus vetat, quo minus Deus adjectis novis semper, et novis corporibus illius amplitudinem augeat: atqui si ita sit, datur extra mundum actu quaedam capacitas recipiendi corpora a Deo procreanda, quae ipsam notionem vacui constituit (§. 202.): igitur vacuum extra mundum actu datur.

Schol. Lochius (*Loc. cit.*) mihi jam saepe laudatus ex mundi limitatione ita argumentationem instruit: si homo vivens a Deo ad extremos mundi limites transferretur posset hic ibi constitutus manus suas in altum tollere, posset quoque earum digitos divaricare; jam quaeso, quid distantes inter digitos intercedet? Quo brachia extenta ponentur? Nonne apertissime vides, necesse, ut adsit spatium sine corpore? Vel si haec omnia fieri posse negaverit, edic quale futurum sit impedimentum, internumne in homine ipso, an externum? Et si hoc: utrum substantia, vel accidens, utrum aliquid vel nihil resistit? Vim hujus argumenti optime perspexit Cartesius acerrimus spatii vacui hostis, atque se ab ea tutum praestaret, admirabilem pontem excogitavit, dicendo: *extensionem mundi indefinitam esse* (*Princ. phil. p. 2. §. 21.*). At ludere hoc est, non item philosophari, quid enim? Vel extensio mundi comparate ad nos tantum, vel reapse, et in se indefinita est. Si primum: suis ipsa terminis, quos nos quidem assignare nequimus, constringitur, ac proinde argumentum toto suo pondere urget; si alterum: infinita est; cur igitur id aperte non fatetur? Cur dubio utitur vocabulo? Sed parcendum viro nuper adeo e peripateticorum schola egresso; apud ipsos siquidem in consuetudinem abierat ambiguis id genus responsionibus sese contra hostium incursiones armare.

CCV. *Vacuum actu datur in hoc mundo.* Cum omnia hujus mundi entia composita, sive corpora ex entibus simplicibus conflentur (§. 177.), haecque, nisi compenetrentur, quo casu corpus constituere non possent, in certa quadam distantia cohaerere debeant (§. 192. coroll. 2.), necesse est, ut inter duo quaevis entia simplicia vacuum quodpiam, tametsi exiguum, intercedat; atqui si ita, vacuum utique in hoc mundo datur; igitur assertioni sua constat veritas.

Schol. Non minoris roboris sunt rationes, quas physici ex impossi-

bilitate motus in spatio perfecte pleno; ex diversa corporum mundanorum gravitate, ac pondere; ex aequabili astrorum motu, et stupenda luminis a stellis fixis ad nos usque propagati celeritate petunt: in his tamen, ne in alienam messem falcem immisisse videar, non immorabor; sed Cartesii jam, quae mae partes sunt, aliorumque objectis, ut satisfaciam, operam dabo. Ajunt:

SATIS FIT OBJECTIS.

1.) Si spatium vacuum esset possibile, daretur illud in sphaera aliqua, in qua ponimus omne corpus a Deo annihilari; sed ita nequaquam est; nam dicta in hypothesi, ait Cartesius (*Princ. phil. p.* 2. §. 18.), "*respondendum est vasis latera sibi invicem fore contigua. Cum enim inter duo corpora nihil interjacet, necesse est, ut se mutuo tangant.*

℟. Cum inter duo corpora nihil interjacet, *nec iis immotis quidpiam interjacere* potest, fateor, necesse esse, ut se mutuo tangant: non vero, cum, etiamsi nihil interjaceat, *iis* tamen *immotis aliquid interjacere*, sive interponi potest (§§. 190. 191. cum sch.). Ad verum nempe, et realem corporum contactum satis non est, ut nullum corpus, seu spatium plenum intercedat, sed requiritur etiam, ut nullum adsit spatium vacuum, sive ut iis non motis nihil interponi possit. Certe sine temeritate negari nequit posse a Deo in sphaera omne corpus, persistente tamen ejus figura concava, destrui; nam ipse fatetur Cartesius (*Ibid.*), *nullam quidem esse connexionem inter vas, et hoc, vel illud corpus particulare, quod in eo continetur. Quod autem addit, maximam, ac omnino necessariam esse inter vasis figuram concavam, et extensionem in genere sumtam*, id quidem non inficior, siquidem extensio ea vel *vacua*, vel *plena* esse potest: neque enim ut ille falso putat, in extensione essentia corporis constituenda est; secus quippe aut mundus foret infinite extensus, aut extra mundum, id est, extra omnia corpora corpus extaret.

2.) *Manifeste repugnat (Ibid.), ut distent sive ut inter ipsa sit distantia, et tamen ut ista distantia sit nihil; quia omnis distantia est modus extensionis, et ideo sine substantia (intellige corpore) extensa esse non potest.*

℟. Distantia duplici ratione considerari potest: primo cum Lockio ea est ipsum spatium secundum solam longitudinem spectatum, ac proinde uti spatium vel plenum, et reale, vel vacuum, et abstractum est: ita quoque distantia alia erit vacua, alia plena, seu realis. In hac igitur hypothesi inter latera spherae non erit quidem distantia realis, id est, nihil reale interponetur, erit tamen distantia vacua, in qua aliquid reale poni posset, quo efficitur, ut ipsa vere distent. Secundo considerari debet distantia, ut est quaedam relatio duorum entium inter se, quae ex determinato coexistendi modo oritur (§. 119. schol.) a quo entia realiter distantia denominantur. Probe igitur advertendum, has duas enunciationes ne-

quaquam sibi opponi, ac propterea simul veras esse posse: *parietes hujus sphaerae realiter distant: inter parietes hujus spherae non intercedit distantia realis*: quod quamquam ex sch. cit. satis manifestum sit, tamen rursus illustrare juvat. Cum duo parietes coexistunt, necesse est, ut certo quodam, et reali modo sibi coexistant: hic modus realis alius est, quando inter ipsos nihil reale existit, nec existere potest; et alius, ac diversus, quando inter eos aliquid reale vel actu ponitur, vel saltem, iis nempe immotis, poni potest: prior efficit, ut denominentur contigui: posterior, ut distantes dicantur, et quia uterque modus realis est, parietes hi vel se realiter contingunt, vel a se realiter distant. Jam vero patet ex his, nihil referre admodum, qui efficit, ut parietes coexistentes dicantur distantes, seu actu aliquid inter ipsos interjaceat, seu non, modo aliquid interjacere iis immotis possit; semper enim manet idem modus realis, et omnino diversus ab illo, qui eos denominat contiguos: ex quo ulterius sequitur, posse parietes vere, ac realiter distare, tametsi eos inter non sit realis distantia, modo sit abstracta, seu vacua; nam idem modus coexistendi realis perseverat in parietibus annihilato omni corpore intermedio, qui ante fuit, quique eos distantes denominavit, ponitur quippe actio divina solum in corpora interposita, non autem in parietes tendere. Atque inde colliges, distantiam non esse modum extensionis', quo vocabulo Cartesius corpus intelligit; sed esse relationem oriundam ex modo duorum corporum, vel aliorum entium sibi coexistentium; ac proinde non posse quidem esse sine corporibus sibi coexistentibus, posse tamen esse sine corpore inter duo coexistentia actu interposito.

3.) Si dicta in hypothesi (*Ibid.*) sphaerae latera sibi non essent contigua, nihilum, quod intercederet, foret extensum; sed *nihili nulla est extensio*: ergo necesse est, ut in sphaera annihilato omni corpore medio latera coeant, et sibi contigua efficiantur.

℟. Nihil nullam esse extensionem *positivam* et propriis terminis constrictam, esse tamen extensionem *negativam*, et alienis terminis mensurandam. Nimirum in ejusmodi sphaera illud nihilum contentum eatenus foret extensum, quatenus aliquod extensum reale, sive ordo simultaneorum tantae magnitudinis illuc locari posset, et termini, quibus illud nihilum concluderetur, non essent proprii ipsius nihili, sed essent ipsa sphaerae latera. Pertinent huc ea, quae dicta sunt (§. 197. sch. 1. n. 1. et 2.). Sume paritatem ab umbra, quae nihil positivi est, et tamen extensa, magna, parva dicitur, comparate nimirum ad terminos alienos corporum circum positorum, quibus concluditur: vide Moniglia (*Dissert. contra material. t. 2. p. 3. s. 1. §. 8.*). Ceterum est aliquod inter nihilum, et vacuum discrimen, quod negligere haud oportet, cum *nihilum* cogitamus, nulla se res menti nostrae objicit, praeter absentiam omnis rei; at vero cum *vacuum* cogitamus, repraesentamus nobis et superficiem corporum eorum, inter quae illud intercedit, et pote-

Digitized by Google

statem mensura quadam spatium illud exprimendi, quae tamen mensura citra respectum ad corpus, quod ibidem locari potest, cogitari nequit: en spatii vacui ideam distinctam ab idea nihili.

4.) Solum extensum quodpiam inter duo entia intercedens efficit, ut ea distent: sed inter latera talis sphaerae nullum intercederet extensum: ergo. Et addunt: absolute impossibile est, ut illa entia a se non distent, inter quae actu intercedit extensum reale: ergo etiam ab opposito absolute impossibile est, ut illa a se eistent, inter quae actu non intercedit extensum reale.

℟. *d. M.* Solum extensum vel *concretum*, vel *abstractum* inter duo entia intercedens etc. *c. M.* solum extensum *concretum*, seu nempe reale, *n. M.* sic *d. m. n. con.* Ratio ex adhuc dictis satis est manifesta; nempe hoc in casu inter sphaerae parietes non intercederet extensum concretum, sive reale, quia nullum corpus actu interponeretur; intercederet tamen extensum abstractum, seu vacuum, cum possibile sit, ut parietibus immotis corpus quodpiam extensum interponatur. Ad id, quod additur, ratio dispar assignari potest: hoc ipso solum, quod extensum reale inter duo entia interponatur, jam satis impeditur, ne ea sibi contigua sint (§. 190.), unde necessario consequitur, ut eadem a se distent; contra ex eo, quod nullum extensum reale inter duo entia interjaceat, nondum concludi potest ea sibi esse contigua, adeoque a se non distare. Ejus rei ratio est, quod ad duorum entium contiguitatem duo requiruntur, nimirum ut nullum extensum reale actu interponatur, et neque iis immotis interponi possit: jam vero, cum duo ad rem quampiam constitutiva requiruntur, uno eorum posito res ipsa nondum ponitur, tametsi vel uno sublato res eadem quoque tollatur.

5.) Leibnitius putat vacuum cum idea mundi optimi pugnare (*Recueil de diver. piec. p. 1. écrit. 5. a M. Clarke.*), at vero imprimis mundum eo, quo ipse statuit sensu, nequaquam optimum esse alias demonstrabo: deinde ad mundum optimum pertinet utique corporum mundanorum motus: quare cum in spatio perfecte pleno nullus fieri motus, queat, vacuum cum notione mundi optimi adeo non pugnat, ut etiam in ea includatur.

Denique, ut summatim omnia complectar, ajo cum Fortunato a Brixia (*Phys. gener. p. 1. f. 3. §. 75.*), *spatium vacuum non esse aliquid* reale positivum; *sed quemadmodum olim dixerat S. Augustinus*, spatiosum nihil. *Reale tamen dici potest sumendo* reale *pro omni eo sive* positivo, *sive* negativo, *quod ab intellectu non dependet. Nullo quippe cogitante intellectu distant a se mutuo puncta* a, b ... Extensum *porro dicitur spatium*, mensurabile *etc. eodem plane sensu, quo* extensa et mensurabilis *vocatur umbra* ... Extensum *nempe, et* mensurae capax *dicitur spatium, quatenus extensum, et mensurabile corpus potest in ipso spatio locari ... Haec porro cum ita sunt, liquido apparet, frustra quaeri, num spatium* substantia *sit, vel accidens. Manifestum enim est, neutrum horum esse, aut censeri posse spatium,*

utpote nihil esse positivum, *quod dumtaxat in substantiam, et accidens potest jure distribui ... Nullatenus demum officit, spatium etiam ab iis, qui illud amittunt,* imaginarium, *nuncupari. Siquidem non ideo dicitur* imaginarium, *quod ab imaginatione dependeat; sed quod illius dimensiones, ut optime ait Cl. Gassendus (Sect. 1. phys. l. 2. c. 1.), instar corporearum, quae in sensus cadunt, dimensionum imaginemur.*

Videatur quoque Huetius (*Censur. phil. Cartes. c. 5. n. 3. seqq.*). Sed satis de spatio; nunc de loco, et situ, uti et de tempore, et motu nonnulla.

CAPUT VII.

De Loco, Tempore, et Motu.

OBSERVATIO PRAEVIA.

CCVI. Cum plura entia simultanea in serie physice continua coexistunt, atque sic ordinata spatium reale constituunt, quodvis ens modum quemdam realem, ac determinatum ceteris coexistendi habet, qui efficit, ut ens sit ibi, ubi est, quique fundamentum praebet realis relationis distantiae, prioritatis, aut posterioritatis, quae est inter duo quaevis entia; neque enim alia est ratio, quod duo entia determinatam illam a se distantiam nunc obtineant, quam quod eos determinatos sibi coexistendi modos habeant, quibus mutatis ipsa quoque mutabitur.

CCVII. *Per modum realem, ac determinatum, quo ens unum ceteris simultaneis in eadem serie physice continua coexistit, satisfit quaestioni: ubi ens sit.* Cum huic quaestioni respondendum est, teste experientia referimus ens, de quo quaeritur, ad alia proxime coexistentia, ejusque ab illis distantiam, prioritatem, posterioritatem, et alias similes relationes investigamus, ac determinamus; quin et locum entis, et permansionem illius in loco ex immutatis his relationibus dijudicamus, cumque haec praestitimus, quaerenti locum entis satisfactum est; sed hac ratione aliud non agimus, quum quod determinatum modum hujus entis ceteris coexistendi, qui nempe harum relationum fundamentum praebet (§. praec.), investigemus, ac determinemus: igitur per modum realem, ac determinatum, quo ens unum ceteris simultaneis in eadem serie physice continua coexistit, satis fit quaestioni, ubi ens sit.

Schol. Ita quaerenti, ubi sit liber *a* in serie librorum continua, satisfactio, cum dico librum *a* esse altero *b* priorem, altero *c* posteriorem, tantum a *d*, tantum ab *e* distare: idem patet ex modo, quo locus desideratus in mappa geographica designari solet.

LOCUS REALIS EST MODUS COEXISTENDI IN CONTINUIS.

CCVIII. *Locus realis est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris simultaneis in eadem serie physice continua.* Locus realis est id, per quod satisfit quaerenti, ubi ens sit, ut per se

omnino manifestum est; sed per modum realem, ac determinatum coexistendi ceteris simultaneis in eadem serie physice continua satisfit quaerenti, ubi ens sit (praec.): ergo locus realis est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris simultaneis in eadem serie physice continua.

Coroll. 1. Locus igitur realis cujuslibet entis pendet ab aliis proxime positis; quapropter essentialiter *relativus*, et *absolutus* non realis, verum imaginarius est, quemadmodum de spatio dixi (§§. 301. cor. 1. 197. sch.).

Coroll. 2. Locus cujusvis entis determinatur per distantias, adeoque per lineas rectas, quae ab aliis illud duci possunt (§. 191.), et ibi est, ubi rectae concurrunt.

Coroll. 3. Locus non habet internam cum ente connexionem, neque in eo quippiam mutare potest: est igitur externa solum entis determinatio (§. 58.), qua mutata ipsum proprie non mutatur (§. 118.).

Schol. Cum extremitates linearum, quae locum determinant, puncta sint, locus entis instar puncti consideratur; inde optime Cartesius observante Wolfio monuit, nos, cum de loco entis agimus, non tam figurae, et magnitudinis, quam positionis solius rationem habere; quo etiam fit, ut corpus unum in alterius locum succedere affirmemus, tametsi multo majus, aut minus sit, modo eundem coexistendi modum obtineat: id quod astronomis quoque perfamiliare est. Porro quae ratio est inter partem, et totum, ea quoque videtur inter locum, et spatium: concipimus enim spatium velut ex multis locis coalescens. Locus nimirum absolutus, et imaginarius est determinata pars spatii imaginarii, quae enti cuipiam respondet, quaeque ab eo, si compositum sit, repletur; locus autem realis est pars spatii realis: cum vero spatium reale sit ordo simultaneorum in serie physice continua coexistentium, non videtur in hoc ordine pars alia assignari, aut concipi posse, quam determinatus cujusvis entis ceteris coexistendi modus: ex his enim diversis, sed tamen pro quovis ente determinatis coexistendi modis oritur ille ordo, quem spatium reale dicimus. Deinde tametsi locum imaginarium absolutum dixerim, id tamen non ita accipiendum est, quasi ille sub nullo respectu relationem involvat. Nempe universim locus concipi nequit sine relatione ad puncta quaedam, vel entia, quae cogitatione saltem nostra fixa sint, et permanentia; jam vero entia haec fixa vel realia sunt, vel solum possibilia, quae intra, vel extra hoc universum poni posse cogitamus; si primum, adest relatio realis distantiae, atque adeo etiam locus realis; si alterum, non habetur relatio realis distantiae, cum non adsint entia, quae realiter distent, nec proinde locus realis, sed imaginarius solum, aliquo tamen respectu relativus ad entia, quae poni posse concipiuntur. Certo relatio ad mere possibilia ob terminum mere possibilem, non realis, sed solum possibilis dicenda est; cum enim omnis relatio constet subjecto, termino; et ratione fundandi, nequit ea vere realis

esse, nisi omnia haec tria pariter realia sint, alias posset quoque actus esse realiter consentaneus, vel dissentaneus legi, quae non reapse extat, sed solum possibilis est. Atque hinc toti universo, cum pro ente unico accipitur, vero sensu locus realis tribui nequit: competit ipsi tamen imaginarius, vel abstractus comparate ad entia extra ipsam possibilia, quibus, si producerentur, certo quodam, ac reali modo coexisteret. Denique cum loco adhuc explicato confundi non debet locus, a communi loquendi consuetudine *vulgaris* dictus, per quem determinata quaepiam rerum series indicatur, cui res aliqua extrinsecus solum praesens est, Ita videlicet, ut ad eam seriem tamquam pars non pertineat; ita dicimus Cajum in *templo, schola, horto*, esse.

SITUS MODUS COEXISTENDI IN INTERRUPTIS.

CCIX. *Situs est modus realis, ac determinatus caeteris simultaneis in serie interrupta coexistendi.* Cum de entibus remotis, ac distantibus agimus, iidem non locum, sed situm ad sese tribuere vulgo solemus: ita enim cujusvis stellae comparate ad tellurem situm aliquem determinamus: Igitur quod in entibus in serie physice continua coexistentibus locus est, id in entibus in serie interrupta positis situs vocatur; atque in illis locus est realis, ac determinatus modus coexistendi (§. praec.): ergo etiam situs est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris in serie interrupta positis.

Coroll. 1. Quae de loco dicta sunt, ad situm quoque pertinet; unde et situs per distantias, quas lineae rectae metiuntur, designandus est, et quae ab ente tertio eamdem habent distantiam, eumdem situm comparate ad illud obtinent.

Coroll. 2. Si ens unum aliquod in serie quadam continua positum ad alterum remotius ejusdem seriei referatur, ea pro interruptis haberi possunt: quare et iis situs congrue tribuitur. Inde vero patet in usu horum vocabulorum, loci, et situs, magno non esse opere laborandum.

OCCURRITUR DUBIIS.

Schol. Sunt quaedam, quae contra stabilitam loci realis definitionem pugnare videntur.

1.) Admissa hac definitione sequeretur ens, quod unicum existeret, non fore in loco reali; atqui hoc videtur absurdum esse, quod enim non est in loco reali, est nusquam, et quod nusquam est, non existit, unde ens tale existeret, et simul non existeret.

R. *c. M. n. m. et d.* rationem adjectam, quod non est in loco reali, est nusquam hoc sensu *quod determinato, ac reali modo simultaneis non coexistat. c.* hoc sensu: *quod absolute non existat, n.* Imprimis ens, quod unicum existeret, quale est mundus totus pro uno ente sumtus, esset in loco absoluto imaginario, cum illi pars spatii imaginarii ejusdem extensionis respondere concipiatur; esset quoque in loco respectivo ad alia entia possibilia, quibus, si ponerentur, hoc ipso certo modo coexisteret. Quia tamen neuter

Digitized by Google

horum locorum realis est, neque ens illud foret in loco reali. Deinde *esse nusquam* duplicem sensum continet; jam excludit determinatum, ac realem modum coexistendi simultaneis, jam vero ipsam actualem existentiam: illud in hoc casu verum foret: non item alterum. Neque vero mirum cuipiam videatur inter haec discrimen a nobis poni; ut enim jam Lockius advertit, existere duntaxat non habet necessariam connexionem cum loco reali, sed ea primum oritur ex hypothesi, quod plura simul existant: aliud nimirum est *existere*; aliud *coexistere*; sive, ut ille quidem est, *situari*, vel *locari*. Si igitur unicum ens a Deo procrearetur, illud quidem existeret per se, et in se, non tamen *situaretur*, vel *locaretur*, id est, non existeret in loco reali: cum non haberet realem modum coexistendi simultaneis, quae nulla forent. Exemplum sume a numero, si ens unicum existeret, nec existeret numerus realis, nec ens illud esset in numero reali: Ita quoque in hac hypothesi nec daretur locus realis, nec ens illud foret in loco reali.

2.) Si locus realis esset determinatus modus coexistendi, sequeretur nunquam dari posse locum realem absque ente; sed id a vero abhorret; possum quippe absque contradictione concipere locum realem, et tamen negare posse in illo esse ens.

℟. *c. M. n. m.* Possum quidem absque contradictione concipere locum realem, et negare posse in illo esse ens quoddam *determinatum*, at nequeo excludere aliquod ex omnibus *indeterminate* sumtum. Fieri nempe diversis ex caussis potest, ut corpus quoddam determinatum *a* in loco reali *b*, quem concipio, existere nequeat; ac fieri non potest, ut locus quidam realis sit possibilis, in quo nullum prorsus corpus ex omnibus possibilibus existere queat; nam dum pono locum realem *b* esse possibilem, pono *explicite* possibilem esse modum realem *a* coexistendi ceteris, et cum pono in loco reali *b* nullum posse corpus existere, pono *implicite*, nullum possibile esse corpus, vel quodcumque ens tali modo affectum, quod aeque repugnat, ac si, dum affirmarem dari posse numerum realem, negarem simul existere posse res numerandas.

3.) Fingamus, ajunt, Deum procreasse omnia possibilia, et posita hac hypothesi omnia versus unam plagam, dextram, aut laevam moveri: mutabunt igitur locum realem, et tamen nullus realis modus coexistendi mutabitur; neque enim inter se distantiam mutarent, cum omnia simul moveri ponantur, neque praeter omnia possibilia aliud possibile concipi posset, a quo distantia quaedam determinata foret; sequitur igitur, locum realem in reali coexistendi modo nequaquam constitui.

℟. Propitio Numine evenit, ut hypothesis haec multis ex capitibus secum ipsa pugnet; imprimis enim absolute fieri nequit, ut omnia possibilia a Deo procreentur, infinitum namque exhauriri nequit: deinde, qui ponit omnia possibilia actu simul existere, ponere simul debet omnia loca possibilia jam actu esse occupata; hoc vero posito omnis motionis impossibilitas inducitur. Sed demus nonni-

hil adversariis, et abstrahamus interea ab his repugnantiis, tum autem hypothesis fere coincidet cum ea, quam Clarkiusolim Leibnitio objecit: ponamus, ajebat is, Deum totum hoc universum vel ita creasse, vel ita nunc transferre, ut manente reliquo universi ordine sol noster eum in locum perveniat, quem nunc stella Sirius occupat; quid igitur, quaerit, nonne hoc in casu ordo modusque coexistendi entium mundanorum non mutaretur, mutaretur tamen locus et totius universi, et singulorum in eo entium? At vero cum universum non sit in loco reali, quemadmodum supra dixi, locus, qui dicta in hypothesi mutaretur, non realis, verum solum imaginarius foret, possetque is determinari ex mutatione distantiae a corpore quodam, quod extra totum universum immobiliter poni conciperetur.

4.) Determinatus modus coexistendi simultaneis non est immobilis; sed locus realis omnium consensione immobilis est; potest quippe ens unum occupare locum ab altero relictum: igitur determinatus modus coexistendi non est locus realis.

℞. *d. M.* hoc sensu: *quod remaneat amoto inde ente*, *c. M.* hoc sensu: *quod moveatur cum ente moto n. M. d.* sic *m. n. cons.* Locus realis nequit alio sensu dici, aut esse immobilis, quam hoc: quod cum ente moto non moveatur, quod optime in hac sententia salvatur; nam quamprimum ens quodpiam moveri incipit; perit ille determinatus modus coexistendi simultaneis, singulisque dein momentis ens illud novum semper, et novum acquirit, atque ideo de loco in locum transferri dicitur. Locum autem realem ita esse immobilem, ut amoto ente remaneat, vehementer nego; sequeretur enim inde locum realem esse absolutum, contra quem eaedem rationes pugnant, quibus supra spatium absolutum reale non esse evici (§. 197.). Neque vulgaris persuasio quidquam obstat; nam immobilitas ea, quae secundum vulgarem ideam loco tribui solet, non ad locum realem, sed ad imaginarium, id est, ad eam partem spatii imaginarii, quae enti respondere concipitur, pertinet: concipimus nempe idem punctum, vel eamdem partem spatii imaginarii, quae prius enti in loco *a* existenti respondebat, fixam, ac immobilem remanere, nuncque aliam ejusdem spatii partem eidem enti jam in loco *b* existenti respondere, neque id sine fundamento: possibile enim est, ut illuc statim aliud ens ponatur. Atque inde quoque patet, quo sensu possit ens locum ab alio relictum occupare. Ens nimirum eatenus in locum alterius succedit, quatenus similem modum coexistendi simultaneis obtinet, quo fit, ut illi idem punctum spatii imaginarii, quod antea alteri respondebat, jam respondere concipiamus: obtinet igitur ens locum imaginarium *eumdem numero*, et locum realem *eundem specie* cum eo, qui ab altero ente relictus est; neque enim idem numero modus ab uno ente ad alterum transire potest, cum accidens extra substantiam existere nequeat, sicut non possum rotunditatem ex uno marmore transferre ad aliud.

5.) Nullum ens potest locum realem mutare, quin moveatur; sed si locus realis foret determinatus modo coexistendi, fieri posset, ut ens locum realem mutet, nec tamen moveatur: fieri siquidem potest, ut circa ens *a* in quiete positum alia *b*, *c*, *d* moveantur, quo casu ens *a* semper acquiret alium determinatum modum coexistendi Ipsi *b*, *c*, *d*. Quin generatim nulla mutatio loci concipi potest sine motu: ergo.

℟. *d. M.* Nullum ens potest locum realem *active* mutare, quin moveatur, *c. M. passive n. M.* et sic *d. m. n. cons.* Ens *passive* locum realem mutat, quod ex se ad hanc mutationem nihil confert, sed aliorum duntaxat entium, quae moventur, occasione novum modum iisdem coexistendi acquirit: illud vero *active* locum realem mutat, quod, cum in se habeat ejus mutationis rationem sufficientem, ad eam reapse concurrit. Illud fieri posse lubens admitto, non item hoc; at enim generatim nulla mutatio loci concipi potest sine motu; ita sane; at sine motu, qui sit in aliquo ex pluribus entibus, non vero, qui determinate sit in eo ente, de cujus loci mutatione quaeritur. Cum primum situm plurium entium inter se mutatum fuisse observo, rite colligo motum aliquem in uno, vel altero horum entium contigisse, sed quod illud sit, nondum exinde constat: investigari igitur debet, in quo ente hujus mutationis ratio sufficiens contineatur, quo detecto constabit illud active, reliqua, passive locum realem mutasse. En itaque quodvis potest locum realem passive mutare, quin moveatur, non autem active. Ratio est, quia, cum motus sit continua loci mutatio cum ratione sufficiente in ente, ut infra dicam, omnis motus est activa loci mutatio; si igitur ens active locum realem mutaret, quin moveatur sequeretur illud moveri, et non moveri: contra nullum absurdum ex eo oritur, quod ens passive locum realem mutet, quin moveatur; immo id per se se consequitur; modus enim, quod ens *a* enti *b* coexistit, non solum ab ipso ente *a*, sed a positione quoque entis *b* pendet, unde sive ens *a*, sive ens *b* moveatur, ipse quoque mutatur. Neque vero hic etiam obest, quod idea vulgaris omnem loci mutationem cum motu conjunctam repraesentare videatur; ea enim rursus, ut supra de immobilitate dixi, non tam ad locum realem pertinet, quam ad imaginarium, qui omnino a nullo ente mutari potest, quin ipsum moveatur: satisfit illi praeterea per hoc, quod neque ulla loci realis mutatio fieri queat sine aliquo motu, qui sit vel in ente aliquo alio.

Dices fortasse: nequit ens locum imaginarium mutare, quin moveatur: igitur nequit etiam ens locum realem mutare, quin moveatur. Sed ratio dispar in eo est; quod locus imaginarius, cum absolutus sit, a nullo alio pendeat, quam ab hoc ente, a quo repletur; unde consequens est, ut ratio sufficiens, cur locus imaginarius mutetur, vel in ipso loco, vel in ente ibi collocato contineatur; jam vero primum esse nequit, cum locus imaginarius nihil sit reale, alterum autem, si sit, hoc ipso ens illud movetur, nam motus est mutatio loci, cujus ratio sufficiens est in ente: igitur in aperto est, omne ens

moveri, quod locum imaginarium mutat. Ab opposito locus realis hoc ipso, quod sit essentialiter relativus, non tantum ab hoc ente, sed etiam a vicinis coexistentibus pendet, ut jam saepius dictum est: quare ejus mutationis ratio vel in hoc ente, vel in quovis alio, quod relationis terminum constituit, contineri potest, quo fit, ut modus realis coexistendi alicujus entis etiam quiescentis toties mutetur, quoties alterum, ad quod istud refertur, moveri incipit. Ad extremum et istud adnotasse juverit, inter mutationem loci realis, et ejus amissionem magnum interesse discrimen; mutari nimirum locus realis nequit, nisi una alius acquiratur, quod ut fiat, necesse est, ut ex pluribus entibus coexistentibus unum saltem moveatur: sed amitti locus realis absolute potest absque omni motu; si enim uno ente persistente omnia reliqua annihilarentur, ens illud non foret amplius in loco reali, cum non haberet amplius quibus coexisteret.

IN SUCCESSIONE ENTIUM CONTINUA DATUR ORDO -- AC IN EO TEMPUS REALE CONSISTIT.

CCX. In continuo successivo (§. 183. cor.) plura entia in serie continua ita disponuntur, ut repugnet duo eorum simul existere, utque tamen semper uno desinente alterum existere incipiat. Secundum hanc igitur regulam omnium successivorum loca eodem modo determinantur, et haec determinatio similitudinem parit in modo, quo entia successiva se consequuntur; quare cum id genus similitudo sit ordo (§. 77.), in entibus continua serie succedentibus ordo quispiam extat.

CCXI. *Tempus reale est ordo successivorum in serie continua.* Id est tempus reale, ex quo petitur responsum, ut satisfiat quaestioni, quando, vel quamdiu res quaepiam extiterit, existat, aut extitura sit; sed id est ordo successivorum in serie continua: ex multitudine enim rerum succedentium judicamus longitudinem aut brevitatem temporis; et illi, qui ad nullam rerum successionem animum advertunt, quod contingit profunde dormientibus, aut quorum cogitatio in uno objecto cum voluptate defixa est, tempus etiam longius interea effluxisse non percipiunt; sic quoque actionem aliquam praeteritam ad tempus eo remotius relegamus, quo plures actiones successivas inter illam, et praesentem intercessisse, aut intercedere potuisse advertimus: ergo tempus reale est ordo successivorum in serie continua.

Coroll. 1. Quo plurium idearum succedentium intra idem intervallum ens quoddam sibi conscium est, eo longius judicat esse suum tempus; inde fieri potest, ut animalculum, quod per aliquot solum horas existit, ob velocitatem tamen idearum succedentium saeculum sibi vivere videatur.

Coroll. 2. Tempus numquam totum existit, sed pars solum aliqua, quae propterea tempus *praesens* vocatur; uti *praeteritum* diximus, quod ante existit, et *futurum*, quod postea existet.

Coroll. 3. Positis rebus in continua serie sibi succedentibus ponitur,

et iis sublatis tollitur tempus reale: ante mundum igitur conditum non fuit tempus reale, verum cum illo incepit.

QUID TEMPUS IMAGINARIUM?

Schol. Verum tametsi sublatis rebus successivis non extet tempus *reale*, sive *concretum*, datur tamen *abstractum*, vel *imaginarium*, quemadmodum dictum est de spatio, quocum tempus maximam analogiam habet; sicut nimirum ibi spatium concipimus, ubi, etsi non actu ponatur, poni tamen potest corpus quodpiam, ita quoque cogitamus tempus esse, cum possibilis est ordo rerum succedentium, licet is reapse non existat; unde tempus istud etiam ante ipsum mundi ortum ponimus, atque regrediendo nullum in eo initium deprehendimus, quemadmodum spatium quoque undequaque infinite extensum est. Concipimus porro tempus hoc imaginarium, vel ens compositum ex partibus successivis, continuis, nec interne differentibus, et a rebus successivis distinctum, cui tamen eaedem coexistant: atque adeo ut continuum quoddam secundum solam longitudinis mensuram extensum: quare ut spatium per corpus mathematicum trine extensum, ita tempus per lineam rectam continuam recte repraesentatus; cum enim puncti fluxu generatur linea, prodit totum quodpiam ex partibus continuis, et prorsus similibus compositum, in quo una solum pars praesens est; quae per vestigium actuale puncti fluentis designatur, dum interea huic puncto ita fluenti res successive coexistunt.

QUID DURATIO ET QUOTUPLEX?

CCXII. *Duratio* est continuata entis existentia, quae intelligitur vel ex eo, quod ens pluribus in serie continua sibi succedentibus coexistat, vel saltem de se aptum sit, ut ita coexistat, si successiva existerent: *ita meam durationem intelligo, quod per conscientiam novi me pluribus sibi continuo succedentibus ideis coexistere.* Duratio haec vel *interminata*, seu *infinita* est, et *aeternitas* audit; vel *terminata*, aut *finita*, et *simplex* dicitur, si utrinque terminis concludatur; *aevum* vero, si initium quidem habeat, fine tamen careat.

Schol. Non attinet partitionem aeternitatis in *formalem*, et *participatam* adferre, haec enim altera secum ipsa pugnat, quod alias viderimus. Restat igitur, ut una solum sit aeternitas, quae enti necessario, quod Deum alias dicemus, soli competit (§. 110.). De hac porro Dei aeternitate jam a Platonicorum inde tempore acris inter philosophos juxta ac theologos quaestio agitatur, utrum nimirum in ea successio quaedam admittenda sit. Videatur Antonius Genuensis (*Elem. metaph. l.* 1. *c.* 12. §. 100.). Mea quidem sententia lis haec facile componitur: imprimis enim certum est, non posse in Deo dari realem status successionem, propterea quod ens necessarium immutabile est (§. 120.): deinde tamen nihil vetat, ut ejus durationem ex ordine entium successivorum vel possibili, vel reali concipiamus. Plura hac de re in Thelogia.

Digitized by Google

CCXIII. *Duratio in se spectata non est tempus.* Duratio in se spectata est entis duntaxat continuata existentia (§. praec.), tempus autem in successivorum ordine consistit (§. 211.): sed continuata entis existentia in se spectata non est ordo successivorum: ergo duratio in se spectata tempus non est.

Coroll. Cum aeternitas sit duratio, ea tempus recte vocari nequit, tametsi addas infinitum.

CCXIV. *Duratio per tempus mensurari potest.* Per illud duratio mensurari potest, quod aptum est ad multitudinem momentorum, quae in continuata existentia concipi potest, indicandam (§. 68.); sed tempus, seu ordo plurium sibi in continua serie succedentium aptus est ad eam multitudinem indicandam: ergo duratio per tempus mensurari potest.

Schol. Si nempe mensurabilis sit: nam per se constat durationem infinitam, id est, aeternitattm esse immensam (§. 69.). Durationes igitur finitas solum successionibus rerum mensuramus, unde dicimus, res haec tanto tempore, tot diebus, annis, saeculis duravit; quemadmodum comparate ad spatium dicimus, corpus hoc tot palmas, pedes, orgyas longum, latum, vel profundum est. Quia porro nobis vigilantibus ingens in mente idearum copia datur, quarum aliae aliis continuo succedunt, haud dubie haec idearum successio ad mensurandam cujusvis entis durationem inservit, quin ipsa quasi mensura quaedam communis, et regula omnium aliarum successionum esse videatur. Unde si res quaedam multo citius, aut multo tardius sibi succedant, ac ideae nostrae, eam successionem nec persentiscimus: Ita globus ex tormento ejectus parietes etiam longius distantes uno nobis momento perfringere videtur, ubi contra motum indicis, aut umbrae in horologio nequaquam percipimus. At vero, ut optime advertit Clericus (*Ontolog. c. 6.*), si nulla alia ratio constans, et immutabilis, ac omnibus communis dimetiendae durationis foret, numquam inter homines de durationum, ipsiusque adeo temporis longitudine conveniret: infelices diutissime viverent; felicium contra brevissima foret vita; scilicet illud poetae obtineret: *o vita misero longa, felici brevis*; qui vehementi rei cujuspiam desiderio flagrarent, illud ipsum temporis spatium longissimum pronunciarent, quod aliis in suavi rei concupitae possessione brevissimum appareret, quae res necessario inter homines commercio summe foret noxia. Quare percommodum accidit, ut homines tacito quodam naturae sensu in communem quamdam, omnibusque vulgo notam durationis mensuram conspirarent. Revolutio haec est solis, ac lunae tum diurna, tum annua, quae uti ab ipsa mundi origine omnibus fuit cognita, ita longo temporis intervallo constans, et aequabilis videbatur: quia tamen decursu temporis observatum est celeritatem solis eclipticam percurrentis multas pati inaequalitates, astronomi solem quemdam fictum substinue-

runt, qui per aequatorrm progrediens periodum suam eodem tempore, quo sol verus, absolveret; haec deinceps res occasionem dedit, ut humana industria ulterius progressa artem longe utilissimam construendi horologia inveniret, in quibus aequabilis ficti solis motus motu indicis non minus constanti, ac aequabili, designaretur. Vide hic quoque Lockium (*Essai concer. l'ent. hum. liv. 2. ch. 14.*).

QUID MOTUS ET QUIES?

CCXV. *Motus* est activa, eaque continua loci mutatio cum ratione sufficiente in ente: *quies* contra est continua entis in eodem loco perseverantia: ens quod movetur, vel quatenus moveri potest, *mobile* audit. Cum partes cujusdam entis relate ad alias in eodem ente locum mutant, oritur motus *intestinus, ut fit in aqua bulliente.*

Coroll. 1. Motus intestinus in ente simplici locum non habet, neque adeo mutationes ipsius internae, velut cogitationes, per motum explicari possunt.

Coroll. 2. Fieri potest, ut res eadem comparate ad alias moveatur, dum aliarum respectu quiescit: ita homo sedens in navi communi navis motu quoque abripitur, interea tamen comparate ad partes navis, quiescit.

Coroll. 3. Continua loci mutatio exigit, ut existentiae entis in loco *a* succedat existentia ejusdem in loco *b*, et sic porro: cum igitur series successivorum sit tempus, omnis motus fit in tempore, numquam in momento, ipseque, si ut ens spectetur, est ens successivum.

Schol. Cum ens ut in motu constitutum sub ea duntaxat ratione spectandum sit, quod continuo locum mutet, eoque nihil conferat aut magnitudo ipsius, aut alia quaecumque qualitas, recte agunt philosophi, dum quodvis mobile ut punctum, praecisis reliquis omnibus, considerant; inde vero ratio petitur, cur spatium a mobili confectum per lineam ductum a puncto, ubi motus incipit usque ad illud, ubi is cessat, et per omnia puncta media transeuntem designetur; fluxu quippe puncti linea generatur. Eadem porro linea, cum spectatur, ut secundum eam mobile progredi nititur, *linea directionis* vocatur, estque recta, si directio aliquo tempore non mutetur, in casu vero opposito *curva*; ipsa tamen haec curva ex rectis infinite parvis pro quolibet momento datis coalescit, corpus enim, etsi per lineam curvam moveatur, singulis tamen momentis per rectam abire nititur, quare etiam geometrae curvam ut polygonum infinitorum laterum, id est linearum rectarum infinite parvarum considerant. Denique spatium idem, vel longiori, vel breviori tempore a mobili conficitur: inde notio *celeritatis* oritur; si enim duo sint mobilia, quorum unum longiori tempore, alterum breviori egeat ad idem spatium percurrendum, illud *tardius*, hoc *citius* moveri affirmamus. Est adeo *celeritas* aptitudo mobilis ad datum spatium dato tempore percurrendum, vel ipsa, ut nonnulli volunt, ratio temporis ad spatium: quae quidem verissima sunt, si de sola motus celeritate sermo sit. At Dariesius (*Ont.* §. 58. *ch.*) mo-

net celeritatis ideam magis universalem esse, eamque ipsis quoque cogitationibus, quae tamen veri motus non sunt, tribui, teste ipso loquendi usu: quare putat, ejusmodi definitionem seligendam esse, quae admittat, ut celeritas ad omnis generis operationes successivas applicari possit, quin etiam ex Canzio eadem profert dicendo, celeritatem esse *id, quo ens certo tempore certum operationi suae scopum attingit*, qua quidem probata illico sequitur omnem substantiam, quae successive agat, cum quadam celeritate agere.

ENS COMPOSITUM MUTATUR PER MOTUM.

CCXVI. *Omnis mutatio, quae fit in ente composito, fit per motum.* Cum ens compositum constet determinata certarum partium conjugatione (§. 171.), omnia, quae in ipso sunt, adeoque et ipsum idem, invariatumque permanet, quamdiu eaedem partes, eadem earum multitudo, idem denique conjunctionis modus, ac situs invariatus manet; ergo ut ens compositum mutetur, necesse est, ut partes aliquae vel addantur, vel demantur, vel transponantur, vel prioribus ablatis aliae substituantur; sed nihil horum fieri potest nisi per motum: ergo nulla mutatio in ente composito effici potest nisi per motum.

Coroll. Ponamus ens compositum cogitare; erit cogitatio vera illius mutatio, ac proinde in motu partium consistet, quod absurdem est. Sed de hoc alias.

Schol. Ita quoque praetereo alia, quae de motu a metaphysicis hodie doceri solent; mea enim opinione eorum in physica proprius est locus.

CAPUT VIII.

De Ente Infinito, et Finito.

QUID FINITUM ET INFINITUM?

CCXVII. Quid finitum sit, et infinitum, dixi (§. 40.): illud nimirum limitem, seu defectum ulterioris realitatis habet, hoc non. Clare autem inde patet id, quod defectu ulterioris realitatis laborat, non habere actu omnia, quae in ipso concipi possunt, ac proinde semper eo majus aliquid cogitari posse: igitur *finitum* est, quod non habet omnia actu, quae habere potest, et quovis *finito* majus alterum in eodem genere concipi potest; *infinitum* contra, quod habet omnia actu, quae habere potest, et quo majus aliud in eodem genere cogitari nequit.

Coroll. Nec minus perspicuae sunt propositiones inversae: quod non habet omnia actu, quae habere potest, vel quo majus aliud in eodem genere concipi potest, finitum est: et quod habet omnia actu, quae habere potest, vel quo majus in eodem genere cogitari nequit, illud infinitum est.

QUOD AUGERI POTEST, INFINITUM ESSE NEQUIT.

CCXVIII. *Quod sine fine augeri potest, infinitum esse non potest.* Quod sine fine augeri potest, tale est, ut eo majus sine fine con-

cipi possit; sed illud, quo majus sine fine concipi potest, sine fine finitum est (§. praec. coroll.): ergo quod sine fine augeri potest, sine fine finitum est: atqui quod sine fine finitum est, infinitum esse numquam potest; secus enim aliquando simul finitum, et infinitum foret: igitur quod sine fine augeri potest, infinitum esse non potest.

Coroll. Quod augeri nequit, infinitum est, et quod infinitum est, augeri amplius nequit.

NUMERUS REALIS INFINITUS REPUGNAT.

CCXIX. *Numerus actu infinitus repugnat.* Cum numerus aliud non sit, quam multitudo, quae oritur ex collectione earumdem unitatum, per essentiam numeri generatim accepti non determinatur, quot eum unitates ingrediantur; ergo salva numeri essentia cuivis addi potest unitas, atque hac adjecta rursum alia, et alia sine fine: atqui adjecta unitate numerus major efficitur, ac proinde augmentum obtinet: potest enim quivis numerus considerari ut unum, in quo unitates partium vices agunt: igitur quivis numerus sine fine augeri potest; quod autem tale est, infinitum esse nequit (§. praec.): ergo numerus actus infinitus repugnat.

Coroll. Quantitas igitur infinita numero exprimi nequit; potest autem omnis quantitas finita.

Schol. Frustra sunt, qui putant, vim argumenti declinari dicendo: numerum finitum quidem unitatis adjectione augeri; non item infinitum: velim enim, ut palam edicant, quam sibi de numero in genere spectato ideam conforment: certe, cum species ex definitione generis fluere debeat, necesse est, ut statuant quoddam numeri genus, quod in infinitum, et finitum tamquam suas species dispesci queat, quemadmodum exempli caussa ens in infinitum, et finitum; animal in hominem, et belluam distribuimus. Definiant igitur nobis genus istud, eamque adferant definitionem, quae in utramque speciem conveniat, quod nisi praestiterint, responsione sua nihil dixisse censendi sunt. Sane sicut omnipotentia sine absurdo nequit tribui in finitam, et infinitam, eo quod ipsa in conceptu essentiali infinitatem involvit: ita neque numerus in finitum, et infinitum dividi potest, quia in hujus essentiali conceptu finitas includitur. Consentientem hac in re habeo Clar. Moshemium celeberrimum commentatorem in Cudworthum (*System. intell. c. 5. sect. 1. §. 24. not. 2.*). *Sciunt omnes*, ita ille, *numerum in se nihil esse, sed ad res, et actiones referri: ex quo patet, cum de numeri infinitate ratio instituitur, hoc proprie quaeri: rerumne quarumdam, vel actionum tanta sit multitudo, ut omnis ab ea terminus, et finis absit? haec ipsa vero controversiae explicatio ostendit jam quodam modo, numero qui nihil dubitant infinitatem adjudicare, eos sine repugnantia id facere non posse. Multo vero clarius idem apparebit, si in notiones, et potestates, vocabulorum* numerus et numerare *accuratius inquisivero. Numerus nescio, quid sit aliud, quam multitudo rerum, vel*

Digitized by Google

actionum, quarum singulae finitae sunt, et modo suo terminatae. Numerare vero *significat explorare, quanta sit multitudo rerum, vel actionum quarumdam finitarum, quo cognitum fiat, quinam fines sint, vel termini hujus vel illius multitudinis ... Has qui cum notione nominis* infinitus *comparabit definitiones, is sine ullo confestim negotio sentiet, vocabulum* infinitus *sine manifesta repugnantia cum vocabulo* numerus *sociari non posse, atque bina haec vocabula ex eorum esse ordine, quae mutuo sese tollant et evertant, etc. etc.* Sed neque mathematicorum infinitum cuipiam scrupulum injiciat; illud enim tametsi ea in scientia usus et frequentissimi et ingenti cum commodo conjuncti sit, tamen solum imaginarium est, et circa extensionem, aut numerum imaginarium versatur, nec tam *actu*, quam *potentia* solum infinitum est.

FINITUM ADDITUM FINITO REMANET FINITUM.

CCXX. *Si finitum addatur finito, quoties libuerit, summa quoque finita est.* Cum finitum additur finito, additur aliquid, quod numero exprimi potest, alteri similiter constituto (§. praec. cor.), ac proinde numerus additur numero; sed si numerus, quotiescumque libuerit, numero addatur, numerus, qui inde oritur, semper est finitus (§. praec.): ergo si finitum addatur finito, quoties libuerit, aggregatum quoque semper manebit finitum. *Ita nunquam efficiens intellectum finitum ex collectis quotcumque intelligentiis finitis.*

Coroll. 1. Cum multiplicatio sit iterata additio, ut norunt arithmetici, etiam si finitum per finitum quotiescumque multiplicetur, factum semper finitum erit.

Coroll. 2. Infinitum est immensum, seu mensurari nequit (§. 69.), nec finitum potest esse pars aliquota infiniti (§. 266.); denique universim finiti ad infinitum nulla est proportio.

EXTENSUM REALE INFINITUM REPUGNAT.

CCXXI. *Extensum reale infinitum esse nequit.* Si extensum quoddam reale infinitum existeret, existeret numerus partium realium actu infinitus; sed hoc repugnat (§. 219.): ergo extensum reale infinitum esse nequit.

Coroll. 1. Cum spatium reale sit extensum reale, spatium reale infinitum repugnat.

Coroll. 2. Limes extensi est figura (§. 189.): igitur quodvis extensum reale figuram quamdam habeat, necesse est, quod item verum est de omni ente composito (conf. §. 01f. coroll. 1.).

Coroll. 3. Cum divisio partes non efficiat, sed praeexigat, divisio infinita ponit numerum partium realium actu infinitum: patet igitur nullum ens compositum esse in infinitum divisibile. En novum argumentum pro existentia entium simplicium.

Schol. Laudatus supra Moshemius (*Loc. cit.*) impossibilitatem extensi realis, seu, ut ille quidem ait, materiae infinitae, sic demon-

strat. *Non negabunt, qui materiam esse volunt infinitam a Deo conditam, passe Deum, qua est incredibili potentia, et virtute, huic infinitae materiae demere aliquid, et detrahere, aut partem ejus aliquam in nihilum redigere. — Hoc autem si Deus facere potest, nonne extremitas in illa sit materia, quam infinitam tantisper vocamus necesse est? unde enim pars quaedam demi, ac abradi potest, id extremum quoddam habeat, oportet: quo si careat, ne ipsa quidem infinita potentia auferre aliquid inde valet. Quod extremum autem aliquid habet, aut quod parte quadam extrema potest privari, id infinitum nemo dixerit. — Finge Deum partem illam, quam ademit materiae, reddere illi, et restituere: quid tum fiet? num materia, quae finita facta fuerat, postquam demta illi fuerat portio, infinita evadet iterum addita illa parte? — Finita est sine controversia illa portio; ergo si ad materiam, unde sublata est, adjiciatur denuo, finita quoque manebit. — Hoc vero si dederis, nonne ipsam materiam finitam esse statim simul largiendum erit? duo nempe habemus finita: partem finitam a toto suo secretam, et totum finitum, quod parte sui quadam privatum est. Haec duo finita conjunguntur, et sociantur a Deo. Hanc ergo duorum finitorum conjunctionem num putas infinitum efficere? materiam, quae finita fuerat, infinitam fieri adjectione particulae finitae arbitraris? etc. etc.*

NEC MINUS TEMPUS REALE.

CCXXII. *Tempus reale infinitum esse nequit.* Si tempus reale esset infinitum, infinita jam momenta actu transiissent, ac proinde daretur numerus eorum actu infinitus; sed hoc repugnat (§. 219.): ergo tempus reale infinitum esse nequit.

Schol. Ex eo, quod res in serie continua succedentes sine fine existere possint, infinitas temporis nequaquam fluit; nam ut illud sit vere infinitum, necesse est, ut tam initio, quam fine careat: at vero neutro caret tempus reale, non fine, quodsi enim momentum praesens terminat tempus praeterlapsum; non initio, nam secus momentorum elapsorum jam extaret numerus infinitus, et hic quidem per supervenientia momenta semper augendus, quod alterum est absurdum (§. 218. cor.).

QUID ENS INFINITUM, ET FINITUM?

CCXXIII. Quidquid est, vel finitum est, vel infinitum (§. 40. cor. 2.): igitur et essentia entis vel finita est, vel infinita. *Ens infinitum*, voco, quod habet essentiam infinitam: *ens finitum*, quod essentiam solum finitam habet.

Coroll. Omne ens vel est ens infinitum, vel ens finitum.

ENS INFINITUM GAUDET ATTRIBUTIS INFINITIS -- ET OMNIBUS REALITATIBUS POSSIBILIBUS -- AC PROINDE ABSOLUTE PERFECTISSIMUM EST.

CCXXIV. *Quodvis attributum entis infiniti est aeque infinitum.*

Quodvis attributum entis infiniti in essentia infinita rationem sufficientem agnoscit (§§. 56. et praec.); sed quod in essentia infinita rationem sufficientem agnoscit, est aeque infinitum; sicut enim posita ratione sufficiente ponitur rationatum (§. 22.); ita quoque poni debet rationatum ejus intensioni cui ratio ea sufficit, nisi arbitraria, ac libera sit, quod in casu praesente non obtinet; atqui ratio infinita sufficit infinitae intensioni: ergo quodvis attributum entis infiniti est aeque infinitum.

Coroll. 1. Igitur etiam ens, cujus vel unicum attributum agnoscitur esse infinitum, aeque infinitum est; et ab opposito, quod vel unicum attributum finitum habet, est ens finitum.

Coroll. 2. Ens in omni linea finitum, vel infinitum tale est in omni linea: inde veteres dixerunt: *finitum non est capax infiniti.*

CCXXV. *Omnes realitates possibiles illimitatae sunt attributa entis infiniti.* Ideo quodvis attributum entis infiniti est infinitum, quia ejus essentia infinita est ratio, quae sufficit infinitae intensioni cujusvis attributi (§. praec.); verum eadem essentia infinita, hoc ipso, quod sit infinita, est ratio, quae sufficit omnibus possibilibus attributis infinitis, quae aliud esse nequeunt, nisi realitates illimitatae (§. 40.): ergo si quodvis attributum entis infiniti est infinitum; etiam omnes possibiles realitates illimitatae sunt attributa entis infiniti; atqui illud est (§. praec.): igitur et hoc.

Schol. Ne quis temere a me dictum putet, attributa entis infiniti non posse esse nisi realitates illimitatae, non gravabor brevem asserti demonstrationem adjungere. Attributa generatim sunt affectiones entis (§. 56.); affectiones porro sunt determinationes entis (§. 49. cor.); et denique determinationes entis vel realitates sunt, vel defectus (§. 40. cor. 1.); igitur attributa entis infiniti forent defectus, si non essent realitates; atqui hoc vehementer cum ratione pugnat; neque enim defectus, qui in mera negatione consistit, infinitatis capax est, neque essentia infinita defectus infiniti, si quis detur, rationem sufficientem continere potest.

CCXXVI. *Ens infinitum est absolute perfectissimum.* Omnes possibiles realitates illimitatae sunt attributa entis infiniti (§. praec.): igitur ens infinitum pollet omnibus possibilibus realitatibus absolutis; sed id genus ens est absolute perfectissimum (§. 93. sch. n. 3.): ergo ens infinitum est absolute perfectissimum.

Coroll. 1. In ens infinitum nullus cadit defectus, nulla imperfectio seu contraria, seu remotiva (§. 85. sch.), quodque his laborat ens finitum est.

Coroll. 2. In ente infinito omnia actu insunt, quae inesse possunt; contrarium obtinet in ente finito; unde hoc semper aliud perfectius dari potest.

Schol. Patet igitur, quid de potestate vocabulorum *finitus*, et *infinitus* statuere oporteat. Moshemius in Codworthum duplicem ipsis significationem subesse docet, grammaticam alteram philosophicam (*Syst. intell. c. 5. t. 1. §. 24. n. 2. p. 773.*): eam ipsa verbo-

rum potestate, et notione; hanc explicatione illius naturae, cui eae voces sint propriae, constitui. Quod si igitur vocabula haec *infinitum, et finitum* grammatice spectentur, illud vim negantem hoc affirmantem habet; infinitum enim proprie notat id, quod finibus caret, finitum, quod finibus adstringitur. Philosophis vero infinitum idem sonat, quod natura perfectissima, ac numeris omnibus absoluta; ubi contra finita ab ipsis dicuntur, quae a perfectione summa distant, qua ratione *infinitum* sensum positivum; *finitum* autem negativum continet. Cum itaque posito ente infinito ponatur summa perfectio, quae possibilis est, evidens est, conceptum infiniti, quo philosophus ens infinitum cogitat, nequaquam negativum, sed omnino positivum esse.

PERFECTIONES FINITORUM INSUNT IN ENTE INFINITO -- ALIAE FORMALITER, ALIAE EMINENTER.

CCXXVII. *Omnis perfectio, quae enti cuicumque finito competit, enti infinito tribuenda est.* Omnis perfectio, quae enti cuicumque finito competit, est quaedam realitas (§. 87. cor.) limitata (§. 224. cor. 2.), et omnis realitas limitata possibilis quoque est ut illimitata (§. 24. cor. 2.); sed enti infinito omnis possibilis realitas illimitata tribuenda est (§. 225.): ergo omnis perfectio, quae enti cuicumque finito competit, enti infinito tribuenda est.

Coroll. Eaedem igitur perfectiones, quae entibus cum limite conveniunt, insunt in ente infinito sine limite.

Schol. Interea tamen discrimen quoddam inter perfectiones entium finitorum notandum venit, quo fit, ut aliae *formaliter*, aliae *eminenter* in ente infinito inesse dicantur, id quod verbis Boehmii illustrabo (*Ontol. sect. 2. c. 3. §. 290.*): *si cuidam realitati in finitis obviae ita inhaeret limes, ut his salvo illius conceptu formali, unde denominatur, abesse nequeat; tum realitas ista, quatenus eo nomine comprehenditur, infinito enti adscribi non potest. Quoniam tamen omnis realitas, quocumque sub limite nunc concipiatur, sine limite possibilis est, et ita infinito competit, illa realitas etiam seposito nomine sine limite possibili, et sine limite infinite inest, et haec ipsa dein realitas posterior illimitata, quae finito est, appellatur quidem adhuc illius realitatis prioris limitatae, quae finito inest, nomine, sed mutato tantum per omnitudinis in hac realitate pro limite substitutionem ejus significatu, et hinc cum addito* per eminentiam,,. Tum subjicit exemplum a facultate imaginandi petitum: denique addit: *istae perfectiones finitorum, quibus vi definitionis limes inest, sive quae enti infinito non formaliter, sed per eminentiam tribuendae, dicuntur stilo scolasticorum* secundum quid *tales, stilo recentiorum* respective: absolute *vero vel* simpliciter, *tales quarum conceptus non involvit limitem.*

ENS INFINITUM EST INDEPENDENS.

CCXXVIII. *Ens infinitum est prorsus independens ab omni*

alio. Cum omnis dependentia in impossibilitate determinationis sine alio consistat (§. 60): dependentiam generatim non est realitas, sed defectus; atqui in ente infinito nullus defectus locum habet (§. 226. cor.): ergo ens infinitum est absolute independens ab omni alio.

Coroll. Si igitur ens infinitum existat, illud quoad existentiam ab alio non pendet.

Schol. Intelligo dependentiam internam, quae a determinationibus internis proficiscitur, quaeque sola vero sensu dependentia est: non enim repugnat, ut infinito enti relationes competant.

ENS INFINITUM EST ENS NECESSARIUM.

CCXXIX. *Ens infinitum est ens necessarium.* Ens infinitum vel est ens necessarium, vel ens contingens (§. 104. cor. 1.); sed ens infinitum nequit esse ens contingens; omne quippe contingens pendet in existendo ab alio (§. 107.), infinitum autem a nullo (§. praec.); ergo ens infinitum est ens necessarium.

Coroll. 1. Nullum ens contingens est ens infinitum, ac proinde etiam omne ens contingens est ens finitum.

Coroll. 2. Ens infinitum est ens a se (§. 104. cor.).

ENS FINITUM EST ENS CONTINGENS.

CCXXX. *Omne ens finitum est ens contingens.* Omne ens finitum vel est contingens, vel ens necessarium (§. 104. cor. 1.), sed nullum ens finitum potest esse necessarium; necessitas quippe ad existendum est realitas absque defectu, sive illimitata (§. 40), ac proinde attributum infinitum, quale enti finito non competit (§. 224. cor. 1. et 2.): ergo omne ens finitum est ens contingens.

Coroll. Igitur ens necessarium non est ens finitum; hocque est ens ab alio (§. 104. cor. 1.).

ENS NECESSARIUM EST ENS INFINITUM.

CCXXXI *Ens necessarium est ens infinitum.* Ens necessarium vel est ens finitum, vel ens infinitum (§. 243. cor.); sed ens necessarium non est ens finitum (§. praec. cor.): ergo ens necessarium est ens infinitum.

Schol. Cum igitur omnes hae enunciationes: *ens infinitum est ens necessarium*: *ens necessarium est ens infinitum*; *omne ens finitum est ens contingens*; *omne ens contingens est ens finitum*, verae sint; evidens est omnia ea, quae supra de ente necessario, et contingente demonstrata fuerunt, ad ens quoque infinitum, et finitum pertinere: quare necesse non est ut in inquisitione proprietatum entis infiniti longior sim. Aliquas tamen nominatim ex notione entis infiniti adhuc explicata deducere haud parum proderit.

Digitized by Google

ENS INFINITUM CARET MODI. — EST ENS IMMUTABILE — AC SIMPLEX, ET POSSIBILE — QUIA ET ACTU EXISTIT — SED UNICUM.

CCXXXII. *Ens infinitum caret modis proprie dictis.* Quod interne ab alio non pendet, id caret omni determinatione interna, quae sine alio possibilis non est (§. 60.); sed quivis modus proprie dictus est determinatio interna, quae sine alio possibilis non est (§§. 56. 22.): ergo quod interne ab alio non pendet, caret modis proprie dictis; atqui ens infinitum interne ab alio non pendet (§. 228.): ergo ens infinitum caret modis proprie dictis.

Coroll. Quod igitur modus proprios admittit, est ens infinitum.

CCXXXIII. *Ens infinitum est ens immutabile.* Ens, quod omnia actu simul habet, quae in ipso inesse possunt, non potest quoad statum internum mutari, estque adeo ens immutabile (§. 119.); sed ens infinitum omnia actu simul habet, quae in ipso inesse possunt (§. 226. cor. 2.); ergo ens infinitum est ens immutabile.

Coroll. Cum in ente finito non omnia simul insint, quae in ipso inesse possunt, omne ens finitum est ens mutabile; quia porro soli modi in ente variari possunt (§. 124. cor. 2.), omne ens finitum modorum capax est.

CCXXXIV. *Infinitum est ens simplex.* Cum omne ens compositum sit extensum (§.188. cor.1.), etiam ens infinitum, si esset ens compositum, foret extensum, et quidem infinite, cum omnia attributa entis infiniti sint infinita (§. 224.), sed extensio infinita repugnat (§. 221.): ergo repugnat, ut ens infinitum sit ens compositum; necesse igitur est, ut sit ens simplex (§. 170. cor. 1.).

Coroll. Omne ens compositum, vel extensum est ens finitum.

CCXXXV. *Ens infinitum est possibile.* Attributa essentialia entis infiniti sunt omnes possibiles realitates illimitatae (§. 225.); sed omnes possibiles realitates illimitatae sibi non opponuntur (§. 43.) igitur attributa essentialia entis infiniti sibi non opponuntur; sed ens, cujus essentialia attributa sibi non opponuntur, est possibile (§. 29.): igitur ens infinitum est possibile.

CCXXXVI. *Ens infinitum actu existit.* Cum ens infinitum sit possibile (§. praec.), necesse est, ut sit vel actuale, vel nudum possibile (§. 50. cor. 1.); sed hoc esse nequit. Sit enim vero ens infinitum nudum possibile: poterit illud produci: igitur vel a se, vel ab alio; non primum: nihil enim producit se ipsum (§. 152.); non alterum: penderet enim in existendo ab allo, quod pugnat cum notione entis infiniti (§. 228. cor.): restat igitur, ut ens infinitum sit possibile actuale, seu quod idem sonat, ut ens infinitum actu existat.

Coroll. 1. Igitur ens infinitum numquam potest esse nude possibile: sed sola ipsius essentia possibilis determinat ejus existentiam actualem, seu ens infinitum existit hoc ipso, quod sit possibile: quemadmodum supra (§. 104. cor. 2.) de ente necessario dictum est.

Coroll. 2. Cum possibilitas entium nec finem, nec initium admittat,

atque adeo aeterna sit; sequitur existentiam quoque entis infiniti aeternam esse.

CCXXXVII. *Si duo entia infinita existunt, existunt hoc ipso entia infinita numero infinito.* Si duo entia infinita existunt hoc ipso, duo entia infinita possibilia sunt (§. 50.), sed si duo entia infinita possibilia sunt, sunt hoc ipso entia infinita numero infinito possibilia; nam natura, quae per binarium multiplicari potest, nihil in se continet, quod ejus multiplicationi obstet, ac proinde, per quemvis alium numerum sine fine multiplicari potest: ergo si duo entia infinita existunt, hoc ipso entia infinita numero infinito possibilia sunt atqui si entia infinita numero infinito possibilia sunt, hoc ipso entia infinita numero infinito existunt (§. praec. cor. 1.): igitur si duo entia infinita existunt, existunt hoc ipso entia infinita numero infinito.

CCXXXVIII. *Duo entia infinita existere nequeunt.* Existant enim vero duo entia infinita, existent itaque hoc ipso entia infinita numero infinito (§. praec.); atqui hoc vehementer absurdum est; praeterquam enim quod numerus realis infinitus repugnat (§. 219.), ne unus quidem maxime superstitiosorum idololatrarum eo insaniae pervenit, ut Deos, id est entia infinita numero infinito existere putaret: ergo duo entia infinita existere nequeunt (conf. §. 114. sch.).

Coroll. Existit igitur ens infinitum, necessarium, aeternum, independens, perfectissimum, ac unicum; Deus denique, cujus honori primus institutionum metaphysicarum liber dicatus sit.

Finis Ontologiae.

Digitized by Google

LIBER II.

COSMOLOGIAM.

PROLEGOMENON.

QUID COSMOLOGIAM?

I. *Cosmologia* notiones generales, quae huic, aliisque mundis possibilibus competunt; examinat (ont. §. 2.): recte igitur scientia mundi in genere appellatur. Notiones porro has a mundo hoc praesente abstrahendas esse per se manifestum est.

QUAE ILLIUS PARTES?

II. Quae huic mundo conveniunt, ac in metaphisica attentionem merentur, vel ad illius existentiam, vel ad perfectionem, vel ad naturam, ejusque leges pertinent. In tres igitur sectiones tota haec pertractatio congrue distribuitur.

Schol. Primus doctrinam de mundo in artis formam redegit, et systemati metaphysico inseruit Cristianus Wolfius; quam ob rem ipse se se in sua ad cosmologiam praefatione satis dilaudat. Quod autem ad utilitatem hac ex disciplina hauriendam attinet: ea omnium facile princeps est, quod per illam in claram potentissimi juxta, ac sapientissimi Conditoris cognitionem deducamur, qui omnis philosophiae finis est nobilissimus.

SECTIO I.

DE MUNDI EXISTENTIA.

QUAE HUJUS SECTIONIS SUMMA?

III. Cum de existentia mundi disserendum est, res ipsa postulat, ut primum nonnullis de ejus notione generatim praemissis, inquiramus, quanam ipse ratione existentiam obtinuerit: tum utrum fato cuidam subjiciatur cum ipse, tum res mundanae: denique cum praecipuas mundi, de quo agimus, partes corpora constituant, generales eorum proprietates, et ex quibus eadem coalescunt, elementa investiganda veniunt. Et totius sectionis summam.

Schol. De mundo nempe *corporeo* solum, sive *materiali* in haec metaphysices partes tractandum est: quod ad substantias spirituales quae mundum, ut ajunt, *intelligibilem* consistuunt, attinet, earum pertractatio proprium in psycologia locum habet.

CAPUT I.

De notione Mundi Generatim.

QUID NEXUS RATIONE SPATII, ET TEMPORIS?

IV. Si *a* contineat rationem, cur *b* ipsi vel coexistat, vel succedat, *b* continet determinationem sine *a* non possibilem; igitur *a*, et *b* connexa sunt (ont. §. 60.). Priori in casu nexum dicunt esse *ratione spatii*; est enim spatium ordo simultaneorum coexistentium in serie physice continua (ont. §. 201.); in posteriori vero *ratione temporis*, cum tempus sit ordo successivorum (ont. §. 211.). Si porro *b* continet rationem, cur *c* ipsi vel coexistat, vel succedat, erit similis nexus inter *b*, et *c*, et sic deinceps. Ex hoc autem sequitur *a* quoque cum *c* connexum esse; quae enim cum uno tertio connexa sunt, inter se quoque connecti manifestum est (conf. ont. §. 75.).

V. Ponamus existere serie entium connexorum, *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, erit *a* cum *b*, cum *c*, cum *d*, cum *e* cum *f*; et *b* cum *c*, cum *d*, cum *e*, cum *f*, item *d* cum *e*, cum *f*, connexum. In serie igitur entium connexorum quodlibet ens cum quovis alio in eadem serie connectitur.

Coroll. 1. Igitur et plures series, quae ex entibus inter se connexis constant, connexae esse possunt; si modo aliquod ens ex una serie cum aliquo ente alterius seriei connectatur.

Coroll. 2. Possibilis proinde est series, quae ex pluribus seriebus entium connexorum inter se connexis componatur.

QUID NEXUS PER CAUSSAS FINALES, ET EFFICIENTES?

VI. Si quae ratione spatii inter se connectuntur, ita constituta sint ut unum sit propter alterum, sive si ens intelligentia instructum unum ordinet, ad alterum, ea connectuntur per *caussas finales*; est enim finis, propter quod caussa efficiens agit (ont. §. 158.): Si connexorum ratione temporis alterum in actione praecedenti rationem suae existentiae agnoscat, ea connectuntur per *caussas efficientes*; est enim caussa efficiens, cujus caussalitas in actionem consistit (ont. §. 144.)

QUID MUNDUS?

VII. *Mundus*, seu *universum* est series composita ex pluribus seriebus entium per caussas tum finales, tum efficientes connexorum quae alterius seriei pars non est.

Coroll. Omnia igitur hujus mundi entia inter se connectuntur, itaque inter se locantur; ut unum contineat rationem, cur alterum eidem vel coexistat, vel succedat.

Schol. Definitio haec communis est, convenitque tam mundo huic existendi, ac sensibus nostris obvio, quem propterea *aspectabilem* dicimus, quam omnibus aliis possibilibus, quos dari certum est, cum id genus series connexae nequaquam repugnent. Conformatur autem abstractione proprietatum maxime generalium, quae nemini tantillam attentionem adhibenti non possunt non esse notae.

Digitized by Google

Profecto contemplantes universam hanc mundi machinam uno prope intuitu detegimus quam plurima entia simultanea, solem, terram, reliquosque planetas, ac stellas fixas, eaque inter se ita constituta, ut unum alteri inserviat, quemadmodum id elucet ex iis, quae sol telluri nostrae praestat eam illiminando, calorem impertiendo, arcendo frigus etc. Idem in telluris nostrae partibus non minus conspicuum est, ut adeo de nexu per caussas finales dubitari nequeat. Continua deinde entium successio, cui ignota esse potest? nonne series est haud interrupta generationum in plantis, belluis, hominibus? nonne experientia quotidiana docet, res omnes mutabiles, ac contingentes esse quae propterea caussa effectrice egeant (ont. §. 155.)? igitur nec minus palam est dari in mundo nexum per caussas efficientes. Quare non est, cur allatam mundi definitionem probare quis tenuat: neque vero ultima verba otiose adjecta sunt; ea enim notat seriem hic intelligi, quae ex entibus omnibus tam praeteritis, quam praesentibus, et futuris, quatenus nimirum ad illorum connexionem pertinet, coalescat, quo ea, quae Langius Wolfio objecerat, refutantur. Vide Baumeisterum. (*Phil. definit. definit.* 567.)

MUNDUS EST ENS COMPOSITUM.

VIII. *Mundus est ens compositum.* Cum mundus sit series composita ex pluribus seriebus entium connexorum (§. praec.), evidens est, mundum esse ens, quod in plura entia, ex quibus certam quadam ratione conjunctis coalescit resolvi potest: sed quod ejusmodi est, est ens compositum (ont. §. 107.) ergo mundus est ens compositum.

Coroll. 1. Essentia igitur mundi consistit in certo nexu certarum partium, id est, in modo quo omnia simultanea, et successiva inter se consociantur (ont. §. 171.)

Coroll. 2. Omnes mutationes, quae in mundo aspectabili eveniunt, motu perficiuntur (ont. §. 116.).

QUID SALTUS ET CASUS?

IX. *Saltus* fit, cum ab uno extremo ad alterum devenitur non transeundo per media. *Casus purus*, aut *fortuna* est rationatum sine ratione sufficiente, aut effectus absque sua caussa effectrice.

Schol. Data saltus definitio generalis est, duasque sub se species complectitur. Primam constituit transitus a ratione sufficiente remota ad rationatum omissa proxima, quod Bohemius (*Cosmol. trans. c.* 1. §. 120. *sch.*) exemplo hominis super terra nive testa gressu ordinario progredientis, tum saltuatim redeuntis illustrat: altera est mutatio quantitatis continuae ab una magnitudine ad aliam non transeundo per omnes medias ejusdem generis magnitudines, qualis contingeret, si celeritas octo graduum in corpore moto uno momento individuo mutaretur in celeritatem duodecim graduum.

SALTUS ET CASUS NON DANTUR IN MUNDO.

X. *Saltus, et casus in mundo non dantur.* Evidens quippe est, utrumque pugnare cum nexu, quo omnia hujus mundi entia copulantur (§. 7. cor.). Deinde quod ad priorem altus speciem; ratio remota non est ratio sufficiens rationati, nisi ope interpositae rationis proximae: rationarum proinde ejusmodi foret absque ratione sufficiente, quod universim repugnat (ont. §. 21.). Posterior autem excluditur per legem continuitatis, quam in rerum natura extare gravissimis argumentis palam fecit Boscovichius. (*Diss. de log. cont. et theor. phil. p. 2.*)

Coroll. Sublato igitur nexu res in mundo casu, et per saltum evenire possent, atque sic mundus realis transiret in fabulosum, et phantasticum, qualis in somnio apparere solet.

Schol. Qui tamen fit, quaerunt hoc loco aliqui, ut per multa casu, et fortuito evenire dicamus? ii norint, oportet, *fortunam* vulgo sonare concursum caussarum minime praevisum propter obscuritatem, ait Tullius (*Q. accad. l. 2.*) " ignorationemque caussarum fortuna efficit multa improvisa, nec opinata ". Ea nimirum in familiari sermone casui, aut fortunae tribuimos, quae cum minime a nobis aspectabantur, accidunt, quorumque ratio, aut caussa efficiens nobis ignota est; re tamen ipsa nihil est, quod ratione sua aut caussa distituatur: vide Buffierum (*Traitè des prèmi. ver. p. 2. ch. 24. n. 154. Sat. 10.*). Unde patet nomen *fortunae* in se spectatum, aut relatum ad ens infinita intelligentia praeditum omnino inane esse, et ab nostra solum ignoratione significationem quampiam sortiri, quod Juvenalis inuit: " sed te non facimus, fortuna, deam, caeloque locamus ". Atque inde fit, ut quo quis plura ignorat, eo ipsi plura casu, et fortuito accidant, ex quo ortum est illud, quod in proverbio dicitur: *ubi parum ingenii, ibi plus fortunae.* Quia porro homines ita fere comparati sunt, ut mirari soleant, cum ipsis quidpiam casu accidit; frequens in rebus admiratio insignem testatur ignorantiam, et quo quis sapientior est, eo pauciora admiratur.

E NEXU ENTIUM ORDO UNIVERSALIS -- ET SAPIENTIA CONDICTORIS ELUCET.

XI. *E nexu entium mundanorum universali quidam ordo enascitur.* Cum omnia entia mondana et per caussas finales, et per effectrices connexa sint (§. 7. cor.), datur quaedam similitudo tam in collocatione, quam in successione entium mundanorum conspicua, ac proinde ordo quispiam (ont. §. 77.), qui, cum ad omnia entia pertineat, universalis quoque est (ont. §. 81.): igitur e nexu entium mundanorum universalem quemdam ordinem enasci in aperto est.

XII. *E nexu entium mundanorum summa Conditoris sapientia elucet.* E nexu entium mundanorum perfectissima quaedam subordinatio mediorum ad obtinendos fines a Conditore praestitutos elucet, ut attendendi perspicuum est; sed perfectissima subordina-

tio mediorum ad finem opus est summae sapientiae: igitur e nexu entium mundanorum summa Conditoris sapientia elucet.

Schol. Praesentis theorematis veritas clariori in luce constituetur cum de mundi perfectione sermo fuerit.

CAPUT II.

De Existentia, et Origine Mundi.

MUNDUS EXISTIT?

XIII. *Mundus corporeus existit,* Sensus enim de corporum existentia nos nequaquam fallunt (log. §. 177.). Et profecto, si sensationes nostrae a nulla caussa externa pendeant, qui fit, ut imaginationes nostrae a sensationibus tanto claritatis intervallo recedant? quid enim? an vis illa cogitandi jam minuitur? jam augetur? an vero, si ipsa quidem immutata perseveret, modo ipsa sese quasi adstringit, et cohibet? modo relaxat, et solvit? ut ait Winklerus (*Cosmol.* §. 493.) Hoc alterum certo fieri nequit: secus enim posset ea, cum liberet, imaginationibus quoque suis eum claritatis gradum tribuere, quod constanter impertit sensationibus, quod cum experientia pugnat; pendent igitur sensationes nostrae a caussa externa; quae vero illa? nonne corpora, ipseque adeo mundus corporeus?

QUID IDEALISMUS, ET EGOISMUS.

Schol. Qui mundi corporei existentiam inficiantur, solasque substantias spirituales exstare putant, *Idealistarum* nomenclationem sortiti sunt: horum aliqui longius progressi omnia prorsus entia praeter se ipsos, id est, suum spiritum tollunt, *Egoistae* propterea dicti, quorum in numero ad tempus saltem fuisse Cartesium suspicantur nonnulli, quod in meditationibus de prima philosophia de omnibus rebus a sua mente distinctis dubitare voluit; verum hi injuriam facere viro doctissimo mihi quidem videntur. Minus a vero abhorret, quod Psaffius docet (*Orat. de egoismo p.* 24.): Egoistas speciem esse quamdam eorum, qui ceteroquin Malebranchio adhaerent, suaque dogmata non libris, sed privatis solum instructionibus propugnare student; referunt Trivoltienses in novellis litterariis sub finem adjectis (*Mémor. de Trévoux de l' ann.* 1713. *au mois de Mai.*); Malebranchii discipulorum unum aliquem disputationem bene longam cum socio quodam Parisiis habuisse, seriaque mente affirmasse, se solum esse spiritum creatum, ac nihil omnino nec ex spirituum, nec ex corporum genere praeter se extare.

Quod ad *Idealistas* attinet, viam ipsis ad absurdam hanc opinionem Malebranchium stravisse indubitatum est; quamquam et Leibnitii, Wolfiique harmonia praestabilita eo sine ambagibus deducat, quemadmodum alias demonstrabo. Primus quidam, qui aperte idealismum professus est, videtur fuisse Michael Angelus Fardella Siculus, in ipsius enim logica, quae priori saeculo Venetiis lucem aspe-

Digitized by Google

xit, existentia corporum aperte negatur. Hujus vestigia pressit Gregorius Berkeley Hybernus edito primum Dublini anno 1710. libro *de principiis cognitionis humanae*; tum triennio post dialogis aliquot Londinensibus typis vulgatis inter Hylam, et Philonoum, in quibus id unum egit, ut nulla extare, nec extare posse corpora extra spirituum ideas commonstraret. Idem subinde docuit Arthurus Collier Anglus in *clavi universali, sive inquisitione veritatis* Londini annum circiter 1733. edita. Sed vana haec sunt delitantium somnia, nec refutatione digna: quare missis his ad argumentum philosopho dignius traseamus, ac sedulo inquiramus, quanam ratione mundus hic aspectabilis ad existentiam pervenerit.

MUNDUS EST PRODUCTUS — QUAE OPINIO ARISTOTELIS DE ORTU MUNDI?

XIV. *Mundus eget caussa effectrice.* Cum mundus sit ens compositum (§. 8.), necesse quoque est, ut sit ens contingens (ont. §. 173. cor.); sed omne ens contingens eget caussa effectrice (ont. §. 165.): igitur et mundus.

Coroll. Non est ergo mundus ens improductum, ac proinde extat ens aliquod ab ipso diversum.

Schol. Nullum profecto vestigium alicujus necessitatis absolutae in hoc mundo elucet; imprimis enim potest is absque contradictione cogitari ut non existens, quemadmodum tot alios possibiles, neo tamen existentes concipimus; deinde sive totius universi conformationem, sive singulas ejus partes majores, minoresve, sive denique singularum partium formas, aut figuras contemplemur, omnia videmus arbitraria, neque ulla apparet contradictio in eo, ut ponatur haec vel illa pars deesse, ut cogitentur plures, vel pauciores, majores, vel minores, remotiores, vel viciniores planetae; stellaeque inerrantes: mundus igitur hic ita existit, ut hypothesis de illius non existentia nequaquam repugnet: quod autem tale est, prorsus contingenter existit, necessitas siquidem absoluta, et possibilitas non existendi contradictorie sibi opponuntur. Atque sic evertitur impia Aristotelis de mundi aeternitate opinatio; docuit quippe Aristoteles totum hunc, quantus quantus est mundum a nulla caussa pendere, sed aeternum esse, ipsoque Deo ab aeterno coexstitisse, uno fere hoc nixus principio: *motum non posse esse nisi aeternum*: huic alia subinde adjecit argumenta Proclus magnum peripateticae scholae lumen; sed hunc cum magistro suo egregie refutavit Benedictus Pererius S. I. Videatur Genuensis (*Elem. Metaph. p. 3. p. 37.*) Fuerunt quidem non pauci, qui cum Trapezuntino graeco saeculi quinti decimi scriptore Aristotelis caussam susceperunt, quorum alii ejus sententiam ita mitigarunt, ut confidenter assererent ex Aristoteli mente mundum a Deo ex naturae necessitate, atque hinc ab aeterno productum fuisse; alii omnem prorsus erroris suspicionem hac in re ab ipso removere conati sunt; verum actum egerunt utrique; res enim est nimis quam manifesta, ac doctrina haec praecipuum totius philosophiae Aristo-

tellleae caput constituit. Ceterum uti impium hoc dogma avide arripuerunt illi, qui se in atheis profitebantur, ita nullo non tempore ab aliis mentis sanioris philosophis acerrime impugnatum est; quapropter putidissimi mendacii reus est nuperus auctor, qui velut ex tripode pronunciat, potiorem philosophorum Cristianorum aeque, ac gentilium partem omni aetate agnovisse necessariam, ac independentem mundi existentiam, illique eam tribuisse naturam, quae per sese omne initium, ac finem excludat (*Histoire nat. de l'ame. p. 3.*). Ut porro omne atheis telum extorqueamus, necesse est; ut hoc loco progressum caussarum seu essentialiter, seu accidentaliter subordinatarum in infinitum; in quem, tamquam munitissimam arcem, ipsi se conjicitur, expugnemus (vid. ont. §§. 151. 108. sth.).

PROGRESSUS IN INFIN. VI DEF. NON HABET CAUSSAM PRIMAM, EST TAMEN ENS CONTINGENS -- HABET IGITUR CAUSSAM PRIMAM -- ET VEL IDEO REPUGNAT.

XV. *Progressus in infinitum non habet caussam primam*; est enim vi definitionis series caussarum subordinatarum absque caussa prima (ont. §. 151.).

XVI. *Progressus in infinitum est ens contingens.* Omne ens contingens est sibi insufficiens ad existendum (ont. §. 104. cor. 3.): ergo series infinitorum entium contingentium, quorum unum alterum ad existendum determinat, non est aliud, quam collectio infinitarum insufficientiarum ad existendum, atqui collectio infinitarum insufficientiarum ad existendum non efficit unam sufficientiam sicut infiniti zeri non efficiunt unitatem: ergo series infinitorum entium contingentium, quorum unum alterum ad existendum determinat, est ens sibi ad existendum minime sufficiens, ac proinde ens contingens; sed progressus in infinitum est reapse series infinitorum entium contingentium, quorum unum alterum ad existendum determinat: igitur progressus in infinitum est ens contingens.

XVII. *Progressus in infinitum habet caussam primam.* Omne ens contingens habet caussam efficientem, eaque est ipsum ens necessarium (ont. §. 155. cor.); sed progressus in infinitum est ens contingens (§. praec.): igitur progressus in infinitum habet caussam efficientem, quae est ipsum necessarium; atqui ens necessarium, cum a nulla amplius caussa pendeat (ont. §. 105.), est caussa omnium omnino prima: ergo progressus in infinitum habet caussam primam.

XVIII. *Progressus in infinitum secum ipso pugnat.* Pugnat aperte secum ipso habere, et non habere caussam primam; sed progressus in infinitum habet caussam primam (§. praec.) et non habet caussam primam (§. 15.): ergo progressus in infinitum secum ipso pugnat.

Schol. 1. Deinde nonne, qui ponit progressum in infinitum, ponit caussas subordinatas? jam quaeso, caussae hae subordinatae habentne caussam primam; vel non; si illud? tum habent, et simul non habent caussam primam, ipseque progressus procedit in infinitum, et simul non; si hoc, tum caussae subordinatae nulli caussae

sis ea secum ipsa omni ex parte pugnat; unde series seapse foret simul aeterna, et simul non; primum; quatenus id explicite asseritur: alterum; quia sicut quodvis ens haberet initium existendi; ita tota entium collectio simul initio carere non posset.

3.) Series caussarum efficientium sibi subordinatarum absque caussa ultima non repugnat: igitur neque series caussarum efficientium sibi subordinatarum absque prima: *c. p.* ideo primum: quia in illa series cujuslibet effectus potest assignari sua caussa sufficiens; sed etiam in hac serie posset assignari cujuslibet effectus sua caussa sufficiens: ergo si illud, etiam hoc.

℞. *c. ant. cons. ad prob. d. M:* Quia in illa serie potest assignari cujuslibet effectus caussa *plane*, et *adaequate* sufficiens *c. M. inadaequate* sufficiens *n. M.* et sic. *d. m. n. cons.* Dispar nimirum ratio est: series caussarum absque ultima est ejusmodi series, in qua quaevis caussa suum effectum producit ita, ut effectus rursus in caussam abeat, novumque effectum edat; idque sine fine, qua in re nulla prorsus est repugnantia; cum enim prima caussa ab ente a tota serie distincto existentiam obtinuerit, potest ipsa ut jam existens caussa esse plene, et adaequate sufficiens sui effectus, et sic porro. Ab opposito vero cum in serie infinita regredimus, quaevis caussa, quae assignatur non est adaequate sufficiens, nisi ut jam existens; existentiam autem a caussa proxime antecedente habet, et rursus ab altera, et sic porro in infinitum: quia igitur hoc de quavis caussa in serie tali infinita affirmatur evidens est in ipsa serie nullam esse caussam ultimo, et adaequate sufficientem. Sit series *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, etc. in infinitum, sit *a*, productum ab *b*, *b* ab *c*, *c* ab *d*, etc. certum est *b* non produxisse ipsum *a* nisi ut jam existens, sed *b* non fit existens, nisi cum producitur ab *c* jam ante existente; igitur ratio plene sufficiens ipsius *a* non continetur in *b*, sed partim in *b*, partem in *c* existente; atqui ut *c* existat, necesse rursus est, ut antea existat *d*: ergo ratio ultimo sufficiens ipsius *a* et in *b*, et in *c*, et in *d* continetur. Quod cum semper redeat, tametsi entia infinita accumules, luculente patet in tota serie caussarum contingentium etiam infinita non deprehendi vel unius effectus caussam plene, et ultimo sufficientem; sed redeundum tandem esse ad ens necessarium a tota serie distinctum (conf. ont. §. 150. cor. 1.).

QUAE OPINIO STOICORUM, ET PLATONIS DE MUNDI ORTU?

Schol. 1. Qui e veteribus ab refutata nunc Aristotelis sententia discesserunt, mundumque a Deo factum esse docuerunt, in alium scopulum impegerant, putantes, materiam saltem, ex qua corpora mundana coaluerunt, a se ipsa aeternum existisse. Teste Justo Lipsio (*Physiol. Stoi. l.* 1, *diss.* 4.) certum obtinuit apud omnes Stoicos dogma, materiam aeque aeternam, omnisque initii expertem esse, ac ipsum Deum. " Dicunt, ait Seneca (*Ep.* 65.), ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant; caussam, et materiam: materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatu-

„ rasi nemo moveat". Nec desuerunt aliarum sectarum philosophi qui hanc opinionem amplecterentur; verum illud in aorem ab ipsis disceptationem vocabatur: utrum materia ab aeterno informis, atque ab omni qualitate, et pulchritudine vacua jacuerit, antequam Deus ad eam disponendam, ac exornandam accesserit; utrum vero qualitates, rerumque formae in ea jam reconditae latuerint, ut divina solum sollertia opus fuerit ad eas rite distribuendas; ac in ordinem rationi convenientem redigendas. Hoc alterum Stoici fere cum nonullis aliis arripuerunt; illud Platoni, et Academiae placuit (*Timae c.* 14.): " Deus inquit ille, quidquid erat, quod in cernen- „ di sensum caderet, sibi assumsit, non tranquillum, quietum, sed „ immoderate agitatum, ac fluctuans, idque ex inordinato ad ordi- „ nem reduxit ". Addit deinde, materiae malitiam, ac pervicaciam obstitisse voluntati supremi Numinis, ne talem ex ea faceret mundum, qualem cuperet, mali videlicet omnis, ac vitii expertem. Ex mente igitur Platonis Deus est quidem mundi auctor, non item materiae effector, triaque statuenda sunt rerum omnium principia: Deus, materia, idea, quemadmodum docet Alcinous accuratissimus platonicorum dogmatum interpres (*Introd. in doctr. Plat.* c. 12.).

MATERIA MUNDI NON EST IMPRODUCTA — ET SI FORET, NON POTUISSET A DEO DISPONI.

XIX. " Materia, ex qua mundus corporeus coaluit, non est ens im- „ productum, et necessarium". Vel enim haec materia est ens compositum, vel ens simplex (ont. §. 170. cor. 1.); si primum; redit superior demonstratio (§. 24. cor.); si alterum, foret materia ens absolute perfectissimum (ont. §. 113. cor.), immutabile (ibid. §. 120.), et denique infinitum (ibid. §. 231.); atqui haec evidenter absurda sunt: manifestum siquidem est, multas materiae realitates deesse, et has, quas habet admodum esse limitatas: ergo materia ex qua mundus corporeus coaluit, non est improducta, seu necessaria.

XX. *Si materia foret improducta, ea non potuisset a Deo in ordinem redigi.* Si materia esset improducta, et hoc ipso necessaria, ea foret absolute ab omni alio ente, atque adeo etiam a Deo independens (ont. §. 106.), atqui ens a Deo absolute independens nequit ab eo in ordinem redigi; qui enim hoc fiat si nullum Deus in eam dominium habeat, neque istud in se dominium concedere possit ens perfectissimum? atque hoc adeo verum est, ut ipse Plato illud ex parte agnoverit, quae ratio est, cur materiae pertinaciam Deo restitisse asseruerit: igitur si materia mundana a se ipsa extitisset, ea nequaquam a Deo in ordinem redigi potuisset.

QUID DE ORTU MUNDI DEMOCRITUS ET EPICURUS?

Schol. Venio ad profanam Democriti, ac Epicuri de mundi origine doctrinam. Duo sunt rerum omnium principia, *plenum*, id est, atomi et *inane* seu vacuum; illae numero: hoc extensione, ac magnitudine infinitum. Atomorum proprietates duae *figura* et *magni-*

tudo; tertiam addidit Epicurus *pondus*, seu impetum internum, quo illae ab aeterno moverentur; quamquam et Democritus antea, observante Aristotele (*De gener. et corrupt. l. 1. c. 9.*), atomum atomo graviorem dixerit, pro ratione nimirum molis, qua altera alteram exsuperet. Figura infinite variat, magnitudo adeo exigua, ut oculis non pateat; soliditas tanta, ut et individuae sint, et pati, aut mutari nequeant. Ita Tullius (*De fin. l. 1. c. 16.*). Atomi hae a se ipsis ab aeterno existunt, et in vacuo infinito perpetuo moventur: motus secundum Democritum unius tantum est generis, *obliquus* videlicet; verum Epicurus (*Lucret. de nat. rer. l. 2. v. 216. etc.*) praeterea et *directum*, et *declinatorium* statuit, huncque duplicem esse voluit; alterum in vacuo, cum secus atomi in corpuscula coire numquam possent: alterum in corpore animali, ac praecipue humano, unde hominum libertas oriretur, quemadmodum docet Moshemius in Cudworthum (*syst. intell. c. 5. fin. §. 24.*). Atomi denique aeterno motu in infinito vacuo agitatae in se mutuo impingunt, tumque vel resiliunt, vel conjunguntur, ac cohaerent, atque hoc collisionum, et agitationum genere totus mundus, omnesque in eo res efformantur: ita quidquid est, aut sit, naturalibus fit, aut factum est ponderibus, et motibus, ut ait Cicero (*Qq. acad. l. 4. c. 38.*). Si jam ex Epicuro quaeras, quid negotii mundus Diis aut olim facessiverit, aut nunc facessat? reponet: nihil; Deos in otio residere, et nisi ab omni cura vacuos beatos esse non posse; atomos aeternas fortuito concursu initium dedisse mundo, huncque periturum et alium rursus oriturum, prout eae aliter fuerint motae. Impium hoc systema iis arridet hodie, quibus Divina Providentia grave nimium onus videtur.

ATOMI EPICUREAE NON EXISTUNT -- NEC, SI EXISTERENT, MUNDUS EX IIS ORIRI POTUISSET,

XXI. *Atomi aeternae, et improductae, non existunt.* Imprimis enim contra pugnant argumenta supra adducta (§. 19.). Deinde sic quoque argumentari licet: vel atomi existunt numero infinitae, vel finitae; at neutrum dici potest; non primum, quod quidem Epicuro placuit; praeterquam enim quod numerus actu infinitus, et extensio realis infinita repugnent (ont. §. 219..221.), atomi numero infinitae prorsus replevissent spatium actu infinitum: in spatio autem infinito perfecte pleno fieri nequit motus, qui ad affectionem corporum mundanorum requiritur. Sed neque atomi possunt esse numero finitae; cum enim quaevis atomus absoluta necessitate, quae universalis est, nullamque exceptionem admittit, existeret, nulla omnino ratio sufficiens esse posset, cur ea necessitas in numero hoc determinato atomorum, et non potius in quovis alio deprehendatur; absolute certe impossibile est, ut necessitas absoluta ad determinatum quemdam numerum restringatur (ont. §. 114. sch. fin.).

XXII. "Tametsi existerent atomi improductae, ex fortuita tamen „earum concursione mundus oriri non potuisset". Vel enim omnium

Digitized by Google

atomorum motus, directio, celeritas aequalis esset, vel inaequalis; sed hoc alterum fieri omnino nequit; cum enim motum haberet ex eadem naturae necessitate, vi cujus existerent, consequens foret, ut, quemadmodum necessitas in omnibus esset eadem, ita in omnibus quoque idem, seu aequalis sit motus, ac proinde etiam celeritas, et directio, quae sola in metu discerni possunt, igitur primum sit, oportet. Jam vero si in omnibus idem esset motus, eadem directio, eademque celeritas, omnes perpetuo eadem celeritate moverentur per lineas rectas, eamdemque inter se distantiam constanter retinerent, quo posito, nulla concussio, nulla cohaesio, nullumque corpusculum inde coalescens possibile foret. Quare tametsi Epicuro atomos improductas, demus, nequit tamen ex fortuita earum concursione mundus oriri.

Schol. Ridicula est, quam comminiscebatur Epicurus, declinatio minima atomorum ex linea recta; rursum enim queri potest, utrum ea in omnibus atomis, omnique tempore aequalis sit, an non? is aequalem statuat, numquam in se incurrent; si inaequalem, ratio hujus inaequalitatis assignari nulla poterit. "Quae ergo, inquit „ Tullius (*De fato c.* 10.), nova caussa in natura est, quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinent, quae „ non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur „ declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare „ hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam „ atomum loco moveri, et declinare dicis: neque in illo inani, per „ quod feratur atomus, quidquam fuisse caussae, cur ea non e regione ferretur, nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, „ quam ob rem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita „ cum attulisset nullam caussam, quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur: cum id dicat, quod omnium „ mentes aspernentur, et respuant". Veritas haec majorem in luce ponitur, cum animum advertimus ad elegantissimam mundi totius conformationem, ad statas, universalesque naturae leges, quibus machina haec universa tot jam saeculi regitur; quis sanae mentis sibi persuadeat, casu, et fortuna effici posse, ut eaedem leges tot saeculorum decursu in conflictu corporum, in generatione animalium, in nidificatione avium, aliisque naturalibus belluarum artificiis, et constanter, et accuratissime observentur; unde deinde mens, intelligentia, ratio, quae in quibusdam hujus universi entibus deprehenduntur? rursus ex fortuito atomorum concursu? at vero secundum Epicurum eae ipsae intellectu, et ratione carent; quomodo ergo dabunt, quod ipsae non habent; nullum in mundo posse esse motum, nisi atomi ex natura sua eum haberent, fatetur ipse: quomodo ergo in mundo sensus, intelligentia, ratio, cum his illae destituantur? Vide quoque Denesle (*Exam. du materialisme to.* 10. *c.* 5. 6. *De nat. rer. l.* 5. *v.* 105.). Denique qui fit, ut praesens atomorum consociatio tanto perduret tempore, cum infinitae aliae brevissimum intra tempus rursus dissolutae fuerint? Brevi quidem, et casu interituram praedixerat Lucretius; sed, ho-

Digitized by Google

nis superis vaticinationi eventus nondum respondit. Profecto, si communem naturae sensum firmissimum veritatis argumentum (log. §. 171.) consulamus, facile sentimus nos tacito naturae ductu impelli, ut judicemus, fieri nequaquam posse, ut opus quoddam, quod constantes, aequabilesque motus longo tempore edat, casui originem suam debeat. Audiamus rursus Tullium (*De nat. Deor. l.* 2. *c.* 37.). "Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persua„deat, corpora quaedam solida, atque individua vi, et gravitate „ferri, mundumque effici ornatissimum, et pulcherrimum ex eorum „corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, „non intelligo, cur non idem putet; si innumerabiles unius et vi„ginti quatuor litterarum vel aureae, vel quales libet, aliquo con„jiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut dein„ceps legi possent, effici; quod nescio anne in uno quidem versu „possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum asseve„rant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα „graeci vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere, „atque casu mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius in „omni puncto temporis alio nasci, alios interire? Quod si mundum „efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, „cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa, et „multo quidem faciliora? certe ita temere de mundo effutiunt, „ut mihi quidem numquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui „locus est proximus, suspexisse videantur".

Verum praesens rerum conformatio, clamitant profani homines (*Pensées philos. p.* 66. *Item Lettre des aveugles.*), continetur in infinitatis conformationibus possibilibus: igitur aeque possibilis est, ac probabilis, ut quaevis alia, immo in infinitate saeculorum etiam necessaria; omnes enim conformationes exhaurire aeternitas debet. Sed futile omne, quod asseritur: imprimis enim ne unam quidem conformationem fortuito atomorum concursu confieri posse supra demonstratum est, ob aequalem nimirum omnium motum velocitatem, et directionem. Deinde missis his; conformatio ordinata, qualis praesens est, generalibus adstricta legibus tantoque saeculorum spatio suo in ordine persistens nequaquam in infinitis conformationibus caecis, ac inordinatis continetur: quare posito id genus temerario atomorum concursu in infinitis conformationibus caecis, et inordinatis numquam ad finem perventum fuisset, atque ideo etiam numquam initium dari potuisset conformationi cuidam ordinatae sapientissimisque instructe legibus. Hinc lata est disparitas, cum ajunt; si infinitae aleae per infinitum tempus infinities projicierentur, omnes numerorum compositiones proditturas, eae nimirum numerorum compositiones prodirent, quae per casum sunt possibiles; at hujus universi conformatio per casum possibilis non est; longe enim est admirabilior, majoremque requirit sapientiam quam omnes doctorum lucubrationes, quae sine intelligentiae cujuspiam directione fieri absolute nequeunt.

Digitized by Google

Nec plus promovent ii, qui, cum finitum ponant atomorum numerum finitas quoque esse earum consociationes contendunt, indeque colligunt, ob infinitatem temporis jam infinities redire debuisse praesentem hanc atomorum consociationem (*Teor. phil. nat. app. de anima, et Deo* §.541.*seq.*). His respondit Buscovichius: "Falsissimum est, numerum combinationum esse finitum in terminis numero finitis; si omnia, quae ad mundi constitutionem necessaria sunt perpendantur. Est quidem finitus numerus combinationum, si nomine combinationis assumatur tantummodo ordo quidam, quo alii termini post alios jacent: hinc ultro agnosco illud: si omnes litterae, quae Virgilii poema componunt, versentur temere in sacco aliquo, tum extrahantur et ordinentur omnes litterae, alias post alias, atque ejus modi operatio continuetur in infinitum, redituram et ipsam combinationem Virgilianam numerum vicium quemvis determinatum numerum superante. At ad mundi constitutionem habetur imprimis dispositio punctorum materiae in spatio patente in longum, latum, et profundum: porro rectae in uno plane sunt infinitae, plana in spatio sunt infinita, et pro quavis recta in quovis plano infinita sunt curvarum genera. -- Quam ob rem numerus dispositionum possibilium pro quovis puncto materiae adhuc ceteris manentibus est infinitus, adeoque in numerus ex omnibus mutationibus possibilibus est infinitus ordinis expositi a numero punctorum aucto saltem ternario. Iterum velocitas, quam habet dato tempore punctum quodvis, potest variari in infinitum, et directio motus, potest variari in infinitum ordinis secundi ob directiones infinitas in eodem plano, et plana infinita in spatio. Quare cum constitutio mundi, et sequentium phaenomenorum series pendeat ab ipsa velocitate et directione motus; numerus qui exprimit gradum infiniti ad quem assurgit numerus casuum diversorum, debet multiplicari ter per numerum punctorum materiae. --- Quam ob rem numerus combinationum relativarum ad mundi constitutionem non est finitus pro dato quovis momento temporis, sed infinitus ordinis altissimi, respectu infiniti ejus generis, cujus generis est infinitum numeri punctorum spatii in recta quapiam, quae concipiatur utrique in infinitum producta. At huic infinito est analogum infinitum momentorum temporis in tota utraque aeternitate, cum unicam dimensionem habeat tempus. Igitur numerus combinationum est infinitus ordinis in immensum altioris ordine infiniti momentorum temporis, adeoque non solum non omnes combinationes non debent redire infinities; sed ratio numeri earum, quae non redeunt, est infinita ordinis altissimi, quam nimirum exponit quarta potentia numeri punctorum aucta saltem binario. --- Quam ob rem ruit futile ejusmodi, atque inane argumentum. Sed inde etiam illud eruitur, in immenso combinationum numero infinities esse plures pro quovis genere combinationes inordinatas, quae exibeant incertum chaos, et massam temere volitantium

" punctorum quae exhibeant mundum ordinatum, et certis con-" stantem perpetuis legibus."

MATERIA MUNDI NON EMANAVIT DIVINA SUBSTANTIA.

XXIII. *Materia mundana non est orta per emanationem ex ipsa substantia divina.* Si materia mundana emanasset ex ipsa substantia divina, tum materia mundi vel esset formaliter ipsa substantia divina, vel quaedam ejus particula, vel denique ex ipsa quocumque modo orta; atqui omnia haec evidenter absurde sunt: quod iis placet, qui exemplo aranei telae materiam e sinu educentis hac in re utuntur, nec non et alterum pugnat cum simplicitate, et unitate, quae competit enti necessario, et infinito (ont. §. 114. 174. 234. 238.), quod Deus est; materiam enim mundanam non una, sed plures substantiae constituunt, cum mundus sit ens compositum (§. 8.). Ultimum vero falsum esse inde patet, quod nec unum quidem ens simplex ex alio ente simplice oriri possit (ont. §. 184.: inde quippe clarum est, ens compositum, quod ex multis entibus simplicibus coalescit (ont. §. 177.), ex ente simplici multo minus oriri posse: igitur materia mundana non est ex Deo per emanationem orta. *Diss. de creat. ex nihilo*).

Schol. Impia haec opinio non multum remota videtur a Pantheismo, quem infra refutabo: in ejus defensoribus numerat Moshemius Orpheus, Hesiodum, et Pythagoraeorum plurimos; bis ex schola juniorum Platonicorum adjungit Plotinum, Porphyrium, Jamblychum, qui propalam docuisse feruntur, mundum ex ipsa divina natura ab aeterno fluxisse, ac divinae idcirco essentiae partem quemdam esse. Idem de origine, quem vanis horum philosophorum commentis nimirum abreptum fuisse constat, ut testantur Methodius apud Photium, et Huetius (*Bibl. cod.* 235. *p.* 934. *In Origen. l.* 2. *q.* 12. §. 14.).

MUNDUS EST CREATUS.

XXIV. *Mundus hic ortus est per creationem.* Nec mundus, ut series entium connexorum (§§. 14. 18.); nec materiam mundana a se, et absque caussa sufficiente aeternum existit (§. 19.); nec denique ista ex divina substantia emanavit (§. praec.): igitur quidquid ad mundum pertinet, ita nunc existit, ut ante sui productionem nihil prorsus illius extiterit: sed quod tale est, oritur ex nihilo, idque fit per creationem (ont. §. 180.): ergo mundus hic ortus est per creationem.

Coroll. Cum, uti in teologia docebitur, vis creandi aliquid soli Deo competat, patet mundum a Deo creatum esse, et ab ipso solo ut effectore pendere, atque inde tam certam esse Dei, quam mundi existentiam.

Schol. 1. Nec quemquam moveat, quod modum actionis creativae finito nostro intellectu distincte concipere nequeamus: non enim factum, quod aliunde certo constat, propterea negari potest, quod modus, et ratio illius ignoretur (conf. ont. §. 148. sch. 2. n. 4 fin.).

Digitized by Google

Id si animadvertisset auctor pestiferi libri Telliamed inscripti, vero nomine D. de Maillet, non tam adaucter creationem materiae negasset eo potissimum ex capite, quod illa captum humanum exsuperet (*Tom.* 2. *p.* 69.). Sed quod addit, mirandum amplius: praestantissimos, rerumque physicarum insigniter peritos fuisse, qui absolute demonstraverint, materiam in nihilum redigi nequaquam posse loculento sane argumento, eam creari quoque nequivisse, mirandum inquam; in re siquidem tanti momenti et rationes eas invictas, et praeclarorum virorum nomina singulatim edicere oportuisset. Sed neque majus nobis facessit negotium effatum illud ab omni retro antiquitate usurpatum, *ex nihilo nihil.* Ansam quidem turpissimi hac in re erroris scitum istud omnibus Ethnicorum philosophis praebuit; dici enim vere potest, omnes universim illo alienum in sensum detorto impulsos creationem ex nihilo sustulisse, si unus dematur Hierocles cum paucis asseclis ex Platonicorum juniorum familia, qui saeculo tertio veram sententiam a Cristianis, quibuscum frequentibus congressus fuerat, acceptam suae insuerit philosophiae. Necquidquam momenti habent ea quae Cudworthus (*Syst. intell.* c. 5. *sect.* 1.) ad purgandos ab hac labe philosophos veteres attulit, ut in accuratissimis adnotationibus palam fecit Moshemius et aliunde evolventi opus laudatum facile patet, nimio veterum praecepta cum verae religionis dogmatibus conciliandi studio abreptum fuisse virum doctissimum; indeque evenisse, ut non raro eorum sententiis alienam plane significationem subjecerit. Verus porro sensus dicti enunciati: *ex nihilo nihil fit*, est omnino multiplex, ut eodem in loco Cudworthus monet; 1.) nihil est sine caussa efficiente; 2.) nihil se ipsum producit; 3.) nihil per vires naturales ex nihilo educi, aut in nihilum redigi potest; 4.) ex nihilo tamquam materia nihil fit, quo non efficitur, ut nihilum nequeat esse terminus *a quo*; 5.) nihilorum additione nihil obtinetur. Atque omne hi sensus, ut per se clarum est adeo creationem ex nihilo non impugnat, ut eam etiam quam maxime stabiliant; certe qui vel mundum ipsum, vel ejus materiam improductam statuunt, hoc axiomate refutantur: in priori enim opinione series infinita entium contingentium absque caussa efficiente: in posteriore mens, intelligentia, ratio ex nihilo prodivisset.

QUAE CONTROVERSIA DE TEMPORE CREATIONIS.

Schol. 2. At nondum tota de mundi ortu controversia hic terminatur; quaerunt nonnulli, utrum mundo, tametsi creato aeternitas quaedam communicata competere possit, aut fortasse reapse competat seu ut clarius loquamur, utrum Deus creaverit mundum ab aeterno, aut saltem creare potuerit? qua quidem in quaestione quod ad priorem partem attinet, philosophis Cristianis ob sacrarum litterarum auctoritatem nullum dubitandi locus relinquitur; in altera vero sententiae non congruunt: multi tum ex peripateticis, tum ex recentioribus, ut Suarius, Deriesius, Wircklerus omnino arbitrantur

℞. Assertum veritati nequaquam consentaneum est; unde ad prob. *c. ant. n.* con. Deinde *c. M.* quia intellectus est potentia necessaria *quod omnes suos actus, c. M. quoad aliquos tantum. n. M.* sic *d. M.* voluntas Dei est necessaria *quoad actus internos, c. m. quoad actus aeternos, n. m. et con.* Cum Deus sicut ens infinitum, nequit aliud objectum necessarium suarum operationum habere nisi pariter infinitum, id est, se ipsum igitur necessario cognoscit, ac in se necessario videt suam omnipotentiam, quae cum possibilitate omnium entium tamquam cum suo termino connectitur; unde in sua omnipotentia eadem necessitate cognoscit omnia possibilia. Deinde se ipsum, utpote bonum infinitum, necessario amat, quod ad voluntatem pertinet, quatenus illa agit *ad intra*, ut ajunt theologi. Quod autem ad ea, quae Deus extra se agit, spectat, non eodem modo se habet ejus voluntas; est enim liberrima, ut aliquid, vel nihil, hoc vel illo tempore procreare decernat. Et ratio est: quia 1. Deus se ipso beatissimus, ac perfectissimus est; nec ulla re extra se existente eget. 2. res extraneae non continent bonitatem infinitam, qua ipsum in sui amorem necessario rapere[n]t: 3. nec denique ex rerum procreatione, aut existentia quidpiam felicitatis, voluptatis, commodi, aut gloriae internae eidem accrescit. Accedit, quod si Deus non cognosceret omnia possibilia, non polleret intellectu infinite perfecto, cum ad hoc requiratur, ut actu cognoscat, quidquid cognosci potest; possibilitas autem entium sit quoque objectum cognoscibile. Contra habet Deus potentiam infinite perfectam, si modo possit efficere, quidquid est possibile; neque enim ad conceptum omnipotentiae pertinet actu omnia possibilia efficere; ut alias dictum est (ont. §. 36. cor. 2.).

Deus ab aeterno habuit potentiam creandi mundum; mundus item ab aeterno fuit habilis ad existendum; ergo nulla est repugnantia in eo, ut mundus creetur ab aeterno. Huc fere recidit argumentum Dariesii (*Theol. nat. s. 2. c. 2. §. 123.*). Addunt alii: potuit mundus a Deo creari ante omne temporis, imaginarii nimirum, momentum distributive sumtum: igitur etiam potuit creari ante omne temporis imaginarii momentum collective sumtum, quo casu aeternus foret.

℞. *d. ant.* ac id utrumque *cum initio existendi, c. ant, sine initio existendi, n. an. et con.* Cum creatio sit productio rei ex nihilo, seu ejus translatio de non esse, ac proinde necessario exigat, ut res, quae creatur, ante non extiterit, tumque, cum creatur, existere incipiat, Deus a tota aeternitate non habuit aliam potentiam creandi mundum, quam eam, quae efficere possit, ut mundus per creationem initium existendi obtineat; neque mundus a tota aeternitate aliter habilis fuit ad existendum, quam cum aliquo existentiae initio. Nihil igitur seu ex potentia Dei, seu ex habilitate mundi, licet utraque aeterna, colligi potest pro aeternitate mundi. Quod autem ad alterum, manifesta est dispar ratio: in priori siquidem casu nulla prorsus contradictio latet; nam potuisse mundum ante quod-

vis temporis momentum distributive sumtum condi aliud non sonat, quam in tempore imaginario infinito nullum momentum assignari posse, ante quod non potuisset mundus a Deo effici, ita nempe, ut in illo habuisset initium existendi, quod adhuc infinita momenta antecessissent. At vero in posteriori aperta est repugnantia; qui enim ponit mundum potuisse ante omne temporis momentum collective sumtum creari, hoc ipso mundum creatum expoliat initio coexistendi, quemadmodum omne temporis momentum collective sumtum, id est, totum tempus imaginarium, quod infinitum est, initio destituitur. Neque obest, quod mundus creatus possit durare in aeternum; ad creationem enim, et ad naturam effectus creati nihil refert, diune, an brevi duret, sed tamdiu durat, quamdiu conservatur: verum creatio, cum sit eductio rei ex nihilo, absolute requirit, ut effectus creatus habeat initium existendi; unde mundus creatus non potuit similiter durare ab aeterno.

3.) Caussa efficiens nequaquam tempore, sed natura solum praecedit suum effectum (ont. §§. 139. 140.): igitur si caussa efficiens est aeterna: etiam effectus poterit esse aeternus: atque Deus est caussa efficiens aeterna: ergo et mundus poterit esse aeternus.

℟. *d. ant.* Caussa efficiens *formaliter* sumta non tempore, sed natura solum praecedit effectum *c. ant.* Caussa efficiens *materialiter* sumta, saltem semper, *n. ant.* (vid. §§. laud.) Tum *d. cons.* ergo si caussa efficiens *materialiter* sumta est aeterna, etiam effectus potest esse aeternus, *n. cons.* ergo si caussa efficiens formaliter sumta est aeterna, potest etiam effectus esse aeternus, *subd.* hanc partem: si ea caussa aeterna sit simul efficiens *pro aeterno*, *con.* si sit solum efficiens *pro tempore*, *neg.* hanc partem: denique sic *d. m. subs. n. cons.* Caussam in se et materialiter spectatam posse tempore prius existere, quam effectum, dictum est in ontologia; quin id imprimis in omnibus caussis creatis necessario evenire mihi certum videtur; quomodo enim caussa eo ipso momento individuo, quo ipsa producitur, jam agere possit? profecto actio caussae productae concipi nequit, nisi ut reapse consequens actionem, qua ipsa producitur: quodsi vero ita; jam adest successio, ac proinde tempus. Deinde de caussa increata, sive Deo efficiente effectum a se distinctum res est multo magis manifesta; cum enim Deus nullum existendi initium habere possit, id vero, quod ipsius voluntate de nihilo ad aliquid; de non esse ad esse transfertur, necessario initium existendi habere debeat, necesse quoque est: ut ipse revera ante omnes effectus a se creatos existat. Quod addidi, Deum esse caussam efficientem aeternam quidem, sed non pro aeterno, paullo post illustrabo. Interea hic probe notari velim, me impossibilitatem creationis ab aeterno immediate, et per se nec ex notione caussae efficientis, nec ex notione effectus, nec ex notione dependentiae effectus a caussa; sed ex sola notione creationis, quae productio rei ex nihilo est, collegisse: unde, quidquid de his sit, nihil omnino efficient adversarii, donec palam fecerint, in notione crea-

tionis initium existendi non includi. At jam proferunt quidpiam.
4.) Creatio, inquiunt, sensum disjunctivum continet: ita ut vero sensu creatum dicatur omne illud, quod aliquando vel reipsa fuit nihil, vel tantum fuisset nihil, si non fuisset creatum; hoc autem posito jam necesse non est, ut, quidquid creatur, initium existendi actu habeat. Et quid vetat, adjungunt alii, ut creatio definiatur per *productionem entis per se non existentis*?

IV. Quia ita ratiocinantur, duas res maxime diversa imperite confundunt creationem nimirum, et conservationem, quae tamen communi philosophorum suffragio discernenda sunt. Nimirum actio Dei, quae existentiam entis a se distincti efficit, vel tendit in ens existens, vel in ens non existens: medium certe non datur: haec *creationis*; illa *conservationis* nomine venit. *Creare* itaque est efficere, ut id, quod nondum existit, existentiam acquirat; *conservare* est efficere, ut id, quod jam existit, existentiam porro continuet, ex quo simul patet, conservationem alicujus entis praexigere creationem illius, quam ob rem definitur esse *continuata creatio*. Si igitur mundus numquam reapse fuisset nihil, numquam fuisset creatus, sed perpetuo conservatus a Deo, et vel hoc ipso simul non conservatus, quia nulla praecessisset creatio, quod novam repugnantiam involvit. Quod vero ad definitionem creationis supra allatam attinet, puto eam omnino vitiosam esse: primum quidem, quod non solum ultima verba otiose adjecta sunt (quis enim ignorat ens per se existens non produci): verum etiam quod eadem verba sensum valde dubium continent, videntur certe innuere, productionem generatim acceptam in duas speciem (in productionem videlicet entis per se existentis, et in productionem entis per se non existentis) legitime tribui posse. Ita exempli caussa, cum dico: *generatio est actio, per quam ens compositum oritur*: utique tacite innuo dari quoque aliam speciem actionis, per quam ens simplex orietur. Atque hujus rei ratio est, quod omnis legitima definitio genus proximum postulat (§. 87. sch. 2. l. 3. log.). Deinde ea definitio latior est suo definito contra (§. cit. l. 2.); convenit enim eadem plane ratione etiam generationi. Profecto quoties aliquid generatur, toties producitur ens per se non existens. Pone ab artifice ex partibus ante fabrefactis per earumdum nexum demum horologium confieri: nonne ajes horologium (ens utique per se non existens) produci? Denique missis hic sic arguo. Productio entis (adde, si placet per se non existentis) vel est productio entis jam antea existentis, vel non existentis. Si primum non est productio; nam productio est actio, per quam ens oritur, quod vero jam existit, non oritur. Si alterum: tum rursus productio istaec vel est productio entis prorsus non existentis, vel est productio entis solum quoad se (non tamen quoad partes) non existentis; si istud: haec productio dicetur generatio, si illud: creatio. Atque inde manifestum fit, unicam legitimam definitionem creationis esse hanc: *productio entis ex nihilo*: nec cogitari posse aliam.

5.) Deus ab aeterno voluit mundum; ergo mundus est aeternus. Et certe posita ratione sufficiente ponitur rationatum; sed voluntas Dei, quae est ratio sufficiens mundi existentis, posita est ab aeterno: ergo etiam mundus positus est ab aeterno.

℟. *d. ant.* Deus ab aeterno voluit mundum *pro tempore*, *c. ant. pro aeterno*, *n. ant. et cons.* Ad alterum rursus *d. M.* posita ratione sufficiente ponitur rationatum, eo nempe momento, pro quo ejus existentiam ratio sufficiens exigit, *c. M.* statim eo momento, quo ipsa existit, *subd.* si illa ratio non respiciat aliud determinatum momentum, *c. M.* si respiciat, *n. M.* sic *d. m. n. cons.* Deus ab aeterno decrevit mundum condere; at ita, ut ille certo temporis momento initium existendi capiat: primum: quia quidquid vult, ob suam immutabilitatem ab aeterno vult: alterum; quia nequit velle contradictoria: est autem contradictorium, ut res creata initio existendi careat. Atque ideo dicimus Deum ab aeterno, verum non pro aeterno, sed pro tempore voluisse mundi existentiam. Idem accomodandum est ad id, quod additum fuit nempe voluntas Dei non est aliter ratio sufficiens existentiae mundi, quam quatenus ea ab aeterno respexit determinatura temporis momentum, quo mundus existere incipiat, atque ideo is nec antea existere, nec aeternus esse debuit. Nihil igitur contra stabilitam alias de principio rationis sufficientis doctrinam admittimus. Ceterum argumentum ab aeterna Dei voluntate petitum nimium, adeoque secundum pervulgatum axioma, nihil probat; sequeretur enim omnem rerum successionem absolute repugnare, ac omnia, quae Deus ab aeterno voluit, simul coexistere debere.

6.) Si Deus voluisset mundum in tempore, fuisset mutatus: igitur etiam mutatus est, cum creavit mundum in tempore; id autem pugnat cum infinita ejus perfectione. Sicut nimirum in priori casu ex non volente factus fuisset volens; ita in posteriori ex non creante factus est creans.

℟. *c. ant. n. cons.* Si Deus in tempore aliquid vellet, quod ante non voluit, mutaretur ipsius status internus; istud enim in ipso argueret aliquam ignorantiam vel rerum ipsarum, vel motivorum, aut incostantiam, et quamdam animi levitatem, quae omnia de infinita illius perfectione plurimum detraherent. Contra cum Deus in tempore mundum creavit, nihil illi ad statum internum pertinens aut accessit, aut decessit; cum enim id ab aeterno jam constituerit, solum relationem quampiam, et externam *creatoris* denominationem per novam mundi in tempore existentiam obtinuit. Omnis igitur vera mutatio, quae hic contingit, se tenet ex parte rei creatae, quae existere incipit; ipsum autem illud voluntatis imperium, quo hoc efficitur, jam ab aeterno in Deo inerat: nondum tamen dici poterat creator, quia ad relationem completam necesse est, ut non modo ejus subjectum, sed et terminus realiter existat. Nec obest, quod denominatio creantis referatur aliqua ratione ad operationem omnipotentiae, quae est perfectio Deo interna; nam ipsa

haec operatio omnipotentiae involvit terminum externum, rem nempe creandam, estque de ea, sicut de voluntate Dei ratiocinandum. Quidquid in hac operatione ex parte omnipotentiae, atque ipsius Dei se tenet, id perpetuo erat in Deo, quod vero pertinet ad terminum, id in tempore contigit, id est, terminus, seu mundus ab omnipotentia effectus in tempore existere incepit. Sicut igitur Deus ab aeterno voluit mundum pro tempore per suam voluntatem; ita eumdem ab aeterno pro tempore per suam omnipotentiam operatus est; et sicut nec ob aeternam Dei voluntatem mundus aeternus esse debuit, nec per novam in tempore mundi existentiam illius voluntas mutata est: ita nec ob aeternam omnipotentiae operationem mundus aeternus esse debuit, nec per novam mundi existentiam omnipotentia mutationem passa est. At, inquis, quis insuitatus hic operandi modus? verum cogita, Deum non fore Deum, si tu intelligentia tua arctis nimium constricta limitibus infinitas ejus perfectiones, et perfectissimum agere modum comprehendere posses. Atque inde patet quid respondendum sit captiose quaerentibus, utrum Deus ab aeterno reipsa, et actu fuerit mundi opifex, an solum in potentia? Utrumque nempe fuit, sed diversa plane ratione, *actu* fuit mundi opifex spectata ratione interna, quae in aeterno voluntatis decreto, et in aeterna pariter omnipotentiae operatione consistit: *in potentia* vero spectata ratione externa, ob quam est, et dicitur mundi opifex, quaeque aliud non est, quam ipse mundus ob aeternum voluntatis decretum ac aeternam omnipotentiae operationem ex nihilo prodiens. Non tamen propterea revera mutatus est; non enim alio sensu *ex potentia in actum*, transivisse dicendus est, quam quod relatio realis ad res creatas per realem mundi existentiam completa fuerit.

Ad extremum ajunt cum Epicuro: cur igitur Deus tanto tempore feriatus est? Cur non citius mundum condidit? vel non potuit antea, arguatur profanus auctor, vel non voluit (*Lettres Persannes, lettre 57.*)? Si non potuit: numquam potuisset postea; si non voluit, eccur deinde voluit? Et si aliquando voluit, semper voluit, cum in ipso volitionum successio nulla detur. Verum nugae hae sunt: voluit certe Deus semper, sed non pro semper; ac cur pro hoc potius, quam alio tempore? Quia id a liberrimo ipsius arbitrio pendebat. Certe quodcumque statuas tempus, statuendum autem necessario est aliquod, cum creatio ab aeterno repugnet, semper redibit eadem quaestio, quam non enodabis nisi recurrendo ad summam Dei libertatem. Haec de tempore imaginario mundi ortum antecedente: quod si de reali quaeras, respondebo cum Moshemio (*In Cudov. syst. intell. c. 5. s. 5. 6. 22. not. 2.*): "Nullus cum sit temporum ordo in aeternitate, stultum, et ineptum est sciscitari, cur hoc potius, quam alio tempore supremum Numen hanc rerum universitatem construxerit? Quod qui sibi vult explicari, is priore rationem sibi reddi cupit, quamobrem tempus non fuit, antequam esset tempus: quod merito absurdum, et inficetum dixeris".

Digitized by Google

CAPUT III.

De Fato.

QUID FATUM ?

XXVIII. *Fatum* proprie dictum est necessitas absoluta, et immutabilis, quae omnium rerum contingentiae, ac libertati adversatur.

QUAM DIVERSAE DE EO VETERUM OPINIONES?

Schol. Nihil fato pervulgatum magis apud veteres; sed nihil etiam obscurius: multi eo ad libertatem cum humanam tum divinam prorsus tollendam abusi sunt; alii id cum utraque optime conciliari posse arbitrabantur. Vide Gassendum (*Ethic. l. 3. c. 2.*). Cudwortus (*Syst. intell. c. 1. §. 1.*); omnes fati assertores in tres potissimum classes distribuit: primam illi tenent, qui Deum res omnes, nulla motuum voluntariorum ratione habita, aeterna, ac immutabili lege sanxisse docent, unde consequens foret nihil a nobis libere suscipi posse; alteram ii, qui Deum fataliter, ac necessario agentem res hujus universi omnes generatim disposuisse, ac descripsisse opinantur, qua generali constitutione facta omnia quae in orbe eveniunt, ex concatenata quadam caussarum serie proficiscerentur; tertiam denique: qui sublato Deo physicam quamquam rerum omnium necessitatem statuunt, quam Epicurus τηντων φυσικων ειμαρμενην, *physicorum fatum* appellabat rectius dixisse των ἀθεων Tum in altera harum classium reponit Stoicos, ac praecipue Zenonem, et Chrysippum; sed fugisse videtur virum doctissimum, quod de Chrysippo tum Tullius (*De fato c. 17. seqq.*), tum Aulus Gellius (*Noct. attic. l. 6. c. 2.*) testantur; cum ex fato excepisse voluntates humanas, easque docuisse et liberas esse, praemium, poenamque propterea mereri posse. Idem de Platone Plutarchus memoriae prodidit (*De plur. phil. l. 1. c. 27.*): " Plato, inquit, fatum „ quidem in hominum vitas, et actiones introducit, sed et volunta- „ tis libertatem cum eo conjungit". In quod Alcineus uberius declarat (*Introd. in doct. ind. Plat.*): " Omnia in fato sunt, ait Pla- „ to, sed non omnia fato decreta sunt; fatum enim cum sit legis in- „ star, non tamen ita agit, ut verbi gratia dicat hunc hoc facturum, „ illi rursus hoc eventurus esse; sed sic potius: quaecumque ani- „ ma talem vitam elegerit et ejusmodi egerit, haec consequentur". Interea tamen, observante Moshemio in Cudworthum (*Loc. cit.*), multa Plato alias statuit, quae aegerrime cum libertate humana conciliari possunt: quod nobis documento esse potest veteres illos philosophos non semper cohaerentia inter se protulisse, et frequenter dogmatum suorum consectaria haud pervidisse; quo fit, ut raro, quid vere senserint, ad liquidum deduci possit. Restat et alia fati acceptio et Platoni, et aliis pluribus usitata; Deum nimirum supremum hoc vocabulo denotare ipsis solemne fuit. " Interdum „ Deum, ait Cicero (*Qq. acad. l. 1, c. 7.*), necessitatem appellant;

„ quia nihil aliter possit esse, quam ab eo constitutum sit, inter, „ quasi fatalem, et immutabilem continuationem ordinis sempiter- „ ni". Auctor libri de mundo alias Aristoteli adscripti diserte ait (*c*.7.). "Deum ἀναγκην vocari, ut quis sit res immutabilis εἱμαρμένην „ vero, ut qui conjungere omnia, et continere nullo impediente va- „ leat". Res haec in Stoicorum scriptis vel mediocriter versato ignota esse non potest; nominatim de Panaetio, et Posidonio Plutarchus et Stobeus de Platone Proclus; de Heraclito, quem alii atheis adnumerant, Livius Galantes testantur; consuli quoque possunt duae eruditissimae dissertationes Gothofredi Olearii "de re- „ rum genesi, et de igne rerum omnium principio ex mente He- „ racliti", quae in versione latina historiae philosophicae a Stanlejo adornatae extant. Sed quamquam fatum adeo universae, licet non eodem sensu, a philosophis fuerit adoptatum, nonnulli tamen illud cum risu exploserunt: horum agmen duxit Anaxagoras acerbe propterea ab Alexandro Aphrodisaeo reprehensus: "nihil eorum, „ ajebat, quae fiunt, fato fieri, sed hoc inane vocabulum esse (*L. de fato.*)". Jam praecipua fatorum genera nominatim persequar, ubi rursus occasio se offeret de diversa fati significatione disserendi.

QUID FATUM DEMOCRITI.

XXIX. *Fatum Democriti* est ἀναγκην ὑλικη, necessitas materiae, qua fit, ut omnia cum absoluta necessitate existant: quae necessitas ex profano atomorum systemate supra (§. 20. sch.) exposito per sese consequitur. Est enim rapidissimus ille atomorum motus, quem ἀναγκην id est necessitatem Democritus compellat, caussa ortus omnium rerum: haec necessitas ipsi fatum est, et justitia, et providentia, quae mundum condidit aeque, ac gubernat, quaeque aliud non est quam *restitentia*, *latio*, et *percussio* materiae. Vid. Laertius (*De vit. Phil. lib. 9. segm.* 44. 45.), item Stobeus (*Eclog. phys. c.* 8.).

QUID FATUM EPICURI?

Schol. Etsi Epicurus idem atomorum systema adoptavit, istud tamen fatum probare noluit (*Histor. phil. l.* 2. *c.* 6.); ipsi enim fatum, quod ex Laertio, Cicerone, et Gassendo apud Stanlejum discimus, aliud non fuit, quam nexus quidam caussarum posteriorum cum prioribus, quem tamen ea necessitas, quam physici inducere volebant, haud quamquam comitaretur: id genus quippe necessitatem abrumpendam opinabat, a motu declinationis atomorum, qui nec certo tempore, nec certa loci regione eveniret. "Hanc rationem „ (declinationem nimirum atomorum) Epicurus induxit ob eam „ rem, ne si semper atomus gravitate ferretur naturali, ac neces- „ saria, nihil liberum nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur (*Cic. de fato c.* 10.)". Injuria igitur in libertatis hostibus a quibusdam numeratur Epicurus; quin et apertius alias liberum arbitrium, seu eligendi facultatem tum experien-

tia, tum sensu communi, tum vel maxime propterea quod homo secus nec laude, nec vituperatione dignus esse queat, ab eo stabilitum fuisse auctor est Stanlejus.

FACTUM DEMOCRITI NON POTEST SUSTINERI.

XXX. *Fatum Democriti nulla ratione sustineri potest.* Imprimis enim ponuntur atomi improductae, et aeternae, atque ex fortuita earum concursione exorta fuisse corpora mundana, quae omnia a veritate abhorrent (§§. 21. 22.). Deinde evertitur libertas voluntatis humanae, quam gravissimis argumentis in psychologia constabiliemus.

QUID FATUM STOICUM?

XXXI. *Fatum Stoicorum* est necessaria quaedam, ac non interrupta caussarum, effectuumque series constituta a voluntate Dei necessaria ac immutabili sine ulla ad propensiones, voluntatesque humanas accomodatione.

Schol. De hoc Stoicorum fato mirum quantum eruditorum opiniones discrepant, quod ego quidem partim solita scholae hujus dissensioni (§. 21. log.), partim dubiis, et praecisis eorum locutionibus tribuendum arbitror. Qui concatenatam illam caussarum seriem a Stoicis propugnatam fuisse docent, testimonio Senecae nituntur (*De provid. c.* 5.): " Eadem necessitas, inquit ille, et Deum alligat; irrevocabilis divina pariter, et humana cursus vehit; ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata, se sequitur; semper paret, semel jussit". Horum igitur opinione Stoici fatum quoddam extra Deum statuerunt, cui ipsa quoque illius voluntas subjiceretur. His vetustissimus poeta facem praetulisse videtur, cujus affatum ita vertit Cicero (*De divin. lib.* 2. *c.* 10.): " quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem ": cui consonat oraculum Craesi legati a Pythia editum, ut refert Herodotus (*Hist. l.* 1. *c.* 91.): " ne ipse quidem Deus, quae fato decreta sunt, effugere potest". Verum merito creditur, absurdam hanc doctrinam, quae ex antiquissima de Parcis, Diis lege scribentibus, fabula ortum dixit, oppido paucorum fuisse; certe abhorruit ab ea Balbus apud Tullium (*De nat. Deor. l.* 2. *c.* 3.): " Non est natura Dei praepotens, et excellens, si quidem ea subjecta est ei vel necessitatis, vel naturae, qua coelum, maria, terraeque reguntur; nihil autem est praestantius Deo: nulli igitur naturae obediens, aut subjectus est Deus ": Abhorruerunt quoque Zeno, qui fatum aliud non esse docuit, quam vim naturae secundum eadem motricem, non multum a providentia distantem; Panaetius, qui qui fati nomine Deum; Chrysippus, qui vim spiritualem hoc universum gubernantem intellexit, de quibus consultatur Aulus Gellius (*Noct. at. tac. l.* 2. *c.* 6.). Atque inde eruditorum nonnulli in eam iverunt sententiam, ut putarent Stoicorum fatum quod saepius πρόνοιαν appellarint, reapse a Christianorum providentia non discrepare, nec quidquam ab iis libertati aut divinae, aut humanae

adversum traditum fuisse: haec opinio ut in Justo Lipsio (*Phisiol. Stoi. l. 1. diss. 2.*) praeclarum defensorem, ita in Thomasio (*De existent. mundi Stoic. diss. 13.*) acrem adversarium nata est, hic enim omnes universim Stoicos atheismi condemnat, quod quidem judicium non potest non esse iniquissimum. Sunt denique, qui putent Stoicos omnem fati vim in eo reposuisse, ut nihil fiat sine caussa, utque omnia, quae eveniunt, ex caussis antegressis sequantur, quod alii libertati obesse, alii optime cum ipsa conciliari, quorum caput Chrysippus erat, autumabant: vid. Stanslejus (*Histor. phil. t. 2. p. 640.*).

FATUM STOICORUM DEFENDI NEQUIT.

XXXII. "Fatum Stoicorum (§. praec.) definitum defendi nequit". Hoc quippe non modo cum libertate humana, quam alias vindicabimus, verum etiam cum libertate divina; tum et cum infinita Illius perfectione, ac absoluta ab omni alio independentia pugnat.

QUAE HUIC SIMILIA FATA?

Schol. Dum de Stoicorum fato sermo est, eos praeterire non possum, qui inter Christianos e divina praenotione fatum simillimum exculpunt. Utuntur hi ignava illa Stoicorum ratione, ut ait Cicero (*De fato c. 12.*), substituta solum in fati locum aeterna praenotione: " appellatur enim, ait ille, quidam a philosophis ἄργος λόγος, cui „ si pareamus, nihil est omnino, quod agamur in vita, sic enim in„ terrogant: si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere; sive tu „ medicum adhibueris, sive non adhibueris, convalesces. Item, si „ fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere; sive tu medicum „ adhibueris, sive non adhibueris, non convalesces. Et alterutrum „ fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet". Ita hi similiter argumentum concludunt: si Deus, inquiunt, ex omni aeternitate praenovit fore, ut ex hoc morbo convalescas, sive medicum adhibueris, sive non: convalesces, et sic porro. Ad hos quam proxime accedere Leibnitium cum suis jam pridem contendunt Newtoniani, neque istud temere, quid enim vetat ex Leibnitii principiis ita argumentari? si in se melius est, ut convalescas, Deus id ab aeterno et cognovit, et elegit: igitur convalesces, sive medicum adhibueris, sive non; item si melius in se est, ut non convalescas, Deus id ab aeterno novit, et elegit: igitur non convalesces, sive medicum adhibueris, sive non. At alterutrum in se melius est: medicum ergo adhibere nihil attinet. Jam vero de determinatione Dei ad optimum eligendum infra viderimus; nunc nodus perdifficilis olim Ciceroni visus explicandus est, claraque in luce constituendum, ex aeterna Dei praevisione nihil sequi, quod cum voluntatum nostrarum libertate pugnet, ut adeo necesse non sit vel cum Tullio, et, qui eam recentioribus temporibus secutus est, Socino Dei praenotionem, vel cum Calvino humanam libertatem tollere. Id tamen probe advertendum, non quaeri hic, utrum in Deo futurorum scientia, aut in nobis libertas insit, propriis in locis ista demonstrabun-

tur. Praevisionem solum Dei in se spectatam cum libertate humana optime conciliari posse ostendendum est: in se aspectatam ajo, quo ipso innuere volo, neque de decretis voluntatis divinae sermonem haberi: haec quippe ad sanctiorem theologiam pertinent.

XXXIII. " *Si* actus a Deo praevisus pendet a libera determina- ,, tione voluntatis humanae, praevisio Dei libertatem humanam mi- ,, nime laedit ". *Si* actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae, tum Dei praevisio relinquit homini potestatem sese libere determinandi ad actum ponendum; sed si praevisio Dei relinquit homini potestatem sese libere determinandi ad actum ponendum, tum praevisio Dei minima laedit libertatem humanam, utpote quae in ea potestate consistit: ergo si actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae, praevisio Dei libertatem humanam minime ledit.

XXXIV. "*Si* non ideo actus ponitur in tempore, quia Deus illum ab ,, aeterno praevidit; sed si potius ideo Deus actum ab aeterno prae- ,, vidit, quia is in tempore ponetur, tum actus a Deo praevisus pen- ,, det a libera determinatione voluntatis humanae". *Si* non ideo actus ponitur tempore, quia Deus illum ab aeterno praevidit, sed si potius ideo Deus actum ab aeterno praevidit, quia is in tempore ponetur, tum praevisio Dei ad positionem actus nullo pacto requiritur, sed actus ita prorsus poneretur, tametsi per impossibile nulla esset in Deo praevisio; sed si praevisio Dei ad positionem actus nullo pacto requiritur, et si actus ita prorsus poneretur, tametsi nulla in Deo esset praevisio, actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae: ergo si non ideo actus ponitur in tempore, quia Deus illum ab aeterno praevidit, et si potius ideo Deum actum ab aeterno praevidit, quia si in tempore ponetur, actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae.

XXXV. "Non ideo actus ponitur in tempore, quia illum Deus prae- ,, vidit ab aeterno; sed ideo Deus praevidit actum ab aeterno, quia ,, is ponetur in tempore ". Cum nihili nulla sit scientia, omnis scientiam aliquod objectum exigit, atque inde non objectum propter scientiam, sed scientiam propter objectum est; sed si ideo actus ponitur in tempore, quia Deus illum praevidit ab aeterno, tunc objectum foret propter scientiam; contra si ideo Deus praevidit actum ab aeterno, quia is in tempore ponetur; tum scientia est propter objectum ergo non ideo actus in tempore ponitur, quia illum Deus praevidit ab aeterno, sed ideo Deus praevidit actum ab aeterno, quia is ponetur in tempore. Evidens hoc est in scientiam praeteritorum, et praesentium: igitur eodem plane modo de futurorum scientia discurrendum. Vid. Boethius (*De copsol. phil. lib. 5. pros. 4.*).

XXXVI. *Actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae.* Si non ideo actus in tempore ponitur, quia Deus illum ab aeterno praevidit, sed si potius ideo Deus actum ab aeterno praevidit, quia is in tempore ponetur, tum actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae (§. 34.);

sed non ideo actus in tempore ponitur, quia illum Deus praevidit ab aeterno, sed potius ideo Deus praevidit actum ab aeterno, quia is in tempore ponetur (§. praec.): ergo actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae.

PRAEVISIO DEI LIBERTATI NOSTRAE NON EFFICIT.

XXXVII. *Previsio Dei libertatem humanam minime laedit.* Si actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae, tum praevisio Dei libertatem humanam minime laedit (§. 33.); sed actus a Deo praevisus pendet a libera determinatione voluntatis humanae (§. praec.): ergo praevisio Dei libertatem humanam minime laedit.

EXPLICANTUR DUBIA.

Schol. Sunt tamen, quae incautis dubitationem injicere possent; sed non difficiles habent explicatus.

Ajunt 1. Actus, qui a Deo praevisi sunt, necessario ponuntur: ergo praevisio Dei libertatem nostram tollit; *ant. pr.* Actus a Deo praevisi non possunt a nobis omitti: igitur necessario ponuntur.

℞. *d. ant.* Actus a Deo praevisi necessario *necessitate consequente* ponuntur, *c. ant. necessitate antecedente*, *n. ant. et cons.* Rursus ad probationem *d. ant.* actus a Deo praevisi non possunt a nobis omitti *potentia consequente*, *c. ant. potentia antecedente*, *n. ant. et cons.* Duplex in caussis liberis agendi necessitas dari potest; una, quae liberam ipsarum determinationem antecedit, ut cum quis vinculis constringitur, aut ab equo raptatur: altera quae eam liberam determinationem consequitur; ita qui se determinat ad ambulandum, necesse est, ut pedes moveat, domoque egrediatur. Illa libertati officit, haec minime? Cum igitur actus a Deo praevisus nihilominus a libera hominis determinatione pendeat, manifestum est, necessitatem, quae ex aeterna Dei praevisione profluit, esse solum consequentem; immo eam non tamen praevisioni Dei, quam hominis determinationi tribuenda esse, cum fieri nequeat, ut id homo non agat, ad quod ipse se libere determinat. Atque quoque patet ratio alterius distinctionis: nempe potentia similiter *antecedens* alia, alia *consequens* cogitari potest, illam habeo ante meam liberam determinationem, et ope illius libere me determino ad hunc, vel illum actum ponendum, vel non ponendum: hanc haberem, si possem omittere actum, ad quem me libere determinavi, seu, reapse, si possem actum cum non actu componere: quod cum absolute fieri nequeat, patet potentiam hanc consequentem ad libertatem nequaquam requiri. Jam vero praevisio Dei potentiam antecedentem nobis non adimit: cum enim ipsa sit propter meam determinationem liberam, seu ab ea pendeat ea non modo hanc determinationem, sed et potentiam, quae hanc antecedit, intactam relinquit. Quod igitur actus a Deo praevisus omitti nequeat, id inde proficiscitur quod nequeamus actus simul ponere, et omittere, unde si praevisio Dei aliquam nobis potentiam

aufert, ea consequens est, non antecedens. Neque vero abest, *ea certo*, et *determinate* futura esse, quae Deus praenovit, magnum enim discrimen intercedit inter veritatem determinatam, et necessariam. Quod *necessario* futurum est, id ita est futurum, ut absque contradictione non possit non esse futurum, quod autem *determinate* solum futurum est, id ita est futurum, ut in se non repugnet, quo minus non futurum sit.

2.) Si actus a Deo praevius aliqua posset ratione omitti, ipsa Dei praevisio falli posset; atqui hoc vehementer absurdum est: igitur nulla ratione actus a Deo praevisus omitti potest. *M. p.* Si actus a Deo praevisus actu omitteretur, actu falleretur praevisio Dei: igitur etiam si actus a Deo praevisus aliqua ratione omitti posset, praevisio Dei falli posset.

℟. *d. M.* Si actus a Deo praevisus aliqua posset ratione omitti *pro sensu composito* praevisionis divinae, ipsa Dei praevisio falli posset, *c. M. pro sensu diviso* praevisionis divinae, *n. M. c. m.* et eodem modo *d. cons.* Praevisio tum solum fallitur, quando conjungitur cum omissione actus, quem praevidisse dicitur. Jam vero cum praevisio Dei de actu sequatur liberam hominis determinationem, numquam eveniet, ut ipsa cum omissione actus consocietur. Poterit equidem homo potentia antecedente actum omittere; at eo ipso aliter se determinabit; et aliter se determinando efficiet, ut praevisio de omissione actus in Deo sit. Si homo posset potentia consequente actum omittere, posset omnino praevisio Dei falli; at, cum non extet potentia ad actum simul, et ejus omissionem, haec absolute fieri nequit. Potest igitur homo omittere actum, non quidem *pro sensu composito* praevisionis divinae, id est, prout is jam a Deo praevisus ponitur, sed tamen *pro sensu diviso* ejusdem praevisionis, id est, potest praevisionem Dei impedire, ac efficere, ut haec praevisio numquam in Deo fuerit. Accipe exemplum ab homine, quem ambulantem coram intueris: nonne fieri nequit, ut non ambulet, cum tu ambulantem vides? at estne propterea minus liber? nonne ambulationem intermittere potest, eaque intermissa efficere, ne a te ambulans conspiciatur? inde prona fuit ad alterum responsio. Si actus praevisus actu omitteretur, id fieret potentia consequente determinationem hominis ad actum, et praevisionem Dei inde pendentem, ac proinde haec praevisio de actu ponendo conjungeretur cum illius actus omissione, quo ipso falleretur: ab opposito; cum dicimus actum praevisum omitti posse, id intelligimus de potentia antecedente, quemadmodum supra dictum est, quod fit, ut praevisio Dei non fallatur, sed impediatur. Verum contra urgent.

3.) Praevisio Dei per actus omissionem impediri nequaquam potest; est enim ea hac omissione prior.

℟. Negato asserto, rationem adjectam *d.* praevisio Dei est prior *tempore* ipsa actus omissione, vel ipso actu, et simul ab hoc pendens, *c.* prior *natura n.* Praevisio Dei non est natura prior, quia

non est caussa actus, nec ad illum efficiendum ulla ratione concurrit (ont. §. 145. sch. 2.). Est tamen prior tempore, cum ob summam Dei perfectionem, ac immutabilitatem ab aeterno in Deo insit; verum hoc non obstat, quo minus per ipsam actus omissionem impediri queat. Et ratio est: quia ipsa haec Dei praevisio, licet tota aeternitate prior actu, ab eo tamen velut suo objecto pendet, quare sublato objecto ipsa quoque tollitur. Immo cum non tamen actus quoad suum *esse* physicum, quam quoad suum *esse* logicum praevisionis divinae objectum, et quidem aeque aeternum, ac ipsa, sit, facile patet, quomodo subsidio hujus status logici aeterna Dei praevisio impediri posset. Adverte igitur; Titius nunc disputet: haec disputatio ab aeterno erat futura, seu, ut ajunt, ab aeterno habuit suam *futuritionem* formalem, quatenus haec praepositio: *Titius hoc tempore disputabit*, in se semper vera fuit, et ab intellectu divino a tota aeternitate cognosci et potuit, et debuit. Jam vero si Titius nunc non disputaret, efficeret utique, ut haec veritas ab eterno data non fuisset (ideo quippe solum dabatur, quia actus in tempore certo, tametsi libere ponendus erat), immo ut data fuisset opposita, atque adeo efficeret ille simul, ut pendens ab hac veritate previsio in Deo non extitisset, sed potius opposita de omissione nimirum actus. Universim igitur praevisio Dei per actualem actus omissionem non quidem *immediate*, sed tamen *mediate*, mediante nimirum statu logico impediri potest.

4.) Quod futurum est ex hypotesi antecedente determinationem voluntatis humanae, illud non est libere futurum, sed quod futurum est ex hypothesi praevisionis divinae, illud futurum est ex hypothesi antecedente determinationem voluntatis humanae; ergo.

℞. *d. M.* Quod futurum est ex hypothesi antecedente determinationem voluntatis humanae tam *ut existentem*, quam *ut futuram* illud non est libere futurum, *c. M.* tantum *ut existentem*, et non simul *ut futurum n. M.* sic *d. m. n. cons.* Licet determinatio voluntatis humanae non ab aeterno extiterit, fuit ea tamen ab aeterno futura, habuitque suum *esse* logicum, atque ideo etiam fuit illa objectum aeternum praevisionis divinae nostro cogitandi modo ipsa prius. Hinc autem conficitur hanc Dei praevisionem praecedere determinationem voluntatis humanae reipsa *existentem* tempore, non natura determinationem vero eamdem, *ut futurum*, sive *logicam* neque tempore; cum ambae simul aeternae sint.

QUID FATUM ASTROLOGICUM?

XXXVIII. Fatum *Astrologicum*, sive *Genethliachum* est absoluta rerum omnium, ac eventuum necessitas ex coeli, siderumque situ et immutabile eorumdem actione oriunda.

QUAE EJUS ORIGO?

Schol. Fati hujus originem ita depinxit Tullius (*De div. l. 1. c. 1.*): *Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem, magnitudinemque regionum quas incolebant*,

cum coelum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones, motusque stellarum observaverunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. Idem subinde a nonnullis ex Stoicorum, tum et Platonicorum juniorum familia adoptatum, et praecipue a Plotino, Simplicio, ac Origene exornatum fuisse Cudworthus auctor est: (*Syst. intell. c. 1. t. 2*) verum hi postremi moderatione quadam usi docuerunt, non quidem coelestia signa vim quamdam hominibus inferre; at Deum, qui futura omnia praenoverit, ita ad ea siderum cursus ac motus multiplices accommodasse, ut ex is de illis certae divinationum conjecturae fieri queant. Animadversionem memoratu degnissimam hoc loco adfert Moshemius: notat imprimis vetustissimis populis persuasum fuisse, Daemones, sive Deos inferiores in sideribus habitare, eorumque cursus moderari, quam opinionem Pythagorae temporibus ad Italos pervenisse putat, cum eorum aliqui philosophum hunc velut unum ex iis, qui lunam incolunt, Daemonibus venerati sint, quod Jamblychus testatur; tum iisdem nationibus non minus certam fuisse sententiam, res humanas Diis curae esse. Atque ex his ita concludit: *Junge haec duo: Dii rebus humanis provident, et astra sede sunt Deorum; nec quaeres, ut arbitror, amplius, unde ad insanam hanc opinionem antiquissimae gentes delapsae sint: astrorum lege, ac virtute, quae fiunt, universa fieri.*

FATUM ASTROLOGICUM NULLUM EST.

XXXIX. *Fatum Astrologicum fatuum, et commentitium est.* Vel enim eventus ii solum, qui ab arbitrio nostro non pendent; vel ii quoque, qui liberis voluntatibus subjiciuntur, ab astrorum actione, certaque positione profluerent: hoc alterum esse nequit; laederetur enim libertas nostra tot argumentis demonstrata; neque ulla omnino inter voluntatis nostrae determinationem, et astrorum situm connexio cogitari potest. Sed neque primum: novimus enim omnium eorum, quae in tellure nostra eveniunt, rationes sufficientes, et caussas efficientes in eadem reperiri, unde non est, cur ad siderum aspectus confugiamus: turpe certe est philosopho relictis certis dubias caussas comminisci. Fatuum igitur est ex certa siderum positione de futuris rerum eventis, de virtutibus, vitiis, honoribus, dignitatibus; ipso denique vitae, mortisque genere, et tempore divinare velle.

Schol. Ineptam hanc delirantium animorum persuasionem egregie refutavit Tullius Panaetii Stoicorum principis nomine (*De div. l. 2. c. 43. seqq.*). *O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia est dicenda. —— Etenim cum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertant, et notent sidera natalitia Chaldaei, quaecumque lunae juncta*

videantur, oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quae ratione, atque animo videre debebant. Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate feratur luna terram paene contingens; quantum absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris. Reliqua vero tria intervalla infinita, et immensa a Sole ad Martis, inde Jovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad coelum ipsum, quod extremum, atque ultimum mundi est. Quae potest igitur contagio ex infinito poene intervallo pertinere ad lunam, vel potius ad terram? — Quid? quod uno, et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas, et vitas, et casus habent: parumne declarant, nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? — Quid? illudne dubium est, quin multi, cum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur, et corrigerentur ab natura, cum se ipsa revocasset, aut arte, atque medicina? Aut quorum linguae sic inhaererent, ut loqui non possent, eae scalpello resectae liberarentur? Multi etiam naturae vitium meditatione, atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenem scribit Phalereus, cum ℞ dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret. Quod si haec astro ingenerata, et tradita essent, nulla res ea mutare posset. Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimiles hominum procreationes habet? Quas quidem percurrere oratione facile est; quid inter Indos, et Persas, Æthiopes, et Syros differat corporibus; nimis, ut incredibilis varietas, dissimilitudoque sit: Ex quo intelligitur, plus terrarum situs, quam lunae tractus ad nascendum valere.

QUID FATUM PANTHEISTICUM?

XL. *Fatum Pantheisticum* est necessitas absoluta omnium rerum promanans ex ipsa natura substantiae divinae, quae eadem est cum substantia totius universi; ita enim Spinoza Pantheistarum facile princeps (*Etich. c. 1. prop. 16.*): *Ex necessitate divinae naturae infinita infinitis modis, hoc est, omnia sub intellectum infinitum cadere possunt, sequi debent.*

Schol. Opinio nimirum absurdissima eorum, qui totum hoc universum Deus esse statuunt, *Pantheismus* vocatur: est ea pervetusta, et vulgo Xenophani Eleaticae sectae principi tanquam auctori tribuitur; cum enim ex nihilo nihil fieri posse arbitraretur, eo tandem delapsum est, ut unicam diceret substantiam esse, eamque increatam, infinitam, mundum denique simul, et Deum. Neque cum parente suo monstruosus hic fetus interiit, sed a successori bus quoque Parmenide, quem tamen alii ab hac labe parum pronunciant (vid. §. 25. log.). Melisso, et Zenone Eleate enutritum, quin et ad Pythagoraeos, et Stoicos transivisse scribit Buddeus (*Diss. de Spinoz. ant eSpinoz. Item de Atheismo, et superst. c. 1.*). Stoicus certe fuit Seneca (*Qq. nat. l. 2. c. 45.*), cujus haec est doctri-

na: *Est, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritus vivimus: vis illum vocare mundum, non falletis; ipse enim est totum, quod vides: totus suis partibus inditus: et se sustinens vi sua.* Stoicus fuit Cato, qui ita apud Lucanum (*De clam. l. 7.*) esclamat: *Jupiter est; quodcumque vides, quocumque moveris.* His quidem Linus poetarum vetustissimus praeluisse videtur notissimo illo versu: *ἐκ παντὸς τα παντα καὶ ἐκ παντων πανέςιν*: ex universo omnia, et ex omnibus universum est. Sed nemo impio Spinoza magis pestiferam hanc doctrinam exornavit, quam secutus est Johannes Tollandus Hybernus edito anno 1729. libro, quem *Pantheisticon* inscripsit. Benigna tamen Numinis providentia contigit; ut neuter aut multo, aut nominis alicuius sectatores, sed adversarios potius longe plurimos, et doctrina praestantes nactus sit. Spinozam praeter allos refutarunt Henricus Morus *in subversione columnarum atheismi Spinoziani*; Huetius *in demonstratione Evangelica*, Jaquelotus *dissertations sur l'existence de Dieu*; Witichius *in Anti-Spinoza*: Franciscus Lamy *le nouvel atheisme renversé*; Denique omnium maxime aperta dogmatum repugnantia, et absurditate se ipsum Spinoza confutavit. Tolandi ineptias refellerunt Elias Benoist, Clarkius, Stillingfleetus, et multo accuratissime Laurentius Moshemius in *vindiciis antiquae Christianorum disciplinae contra Tolandum.*

FATUM PANTHEISTICUM IMPIUM EST.

XLI. *Fatum Pantheisticum impium est.* Imprimis enim Deus, qui verbis ponitur, reapse tollitur; statuitur quippe Deus materialis ex partibus compositus, ac diversarum modificationum capax, quo ipso negatur esse ens infinitum, necessarium, immutabile, ut ex ontologia patet; quae tamen omnia essentialia sunt Dei attributa, quemadmodum in theologia demonstrabitur. Deinde si res omnes per emendationem ex Deo profluunt, illiusque modificationes sunt, tum homo scelestissimus, et quodcumque corpus aliud non est, quam Deus certo modo se habens; quae quam absurda sint, nemo non videt. Denique tollitur hoc in systemate omnis rerum contingentia, omnisque hominum libertas; sublata enim caussae primae libertate fieri nequit, ut ulla caussa secunda libera sit (conf. §. 23.).

EXAMEN PROPOSITIONUM QUAE FUNDAMENTUM SUNT SYSTEMATIS SPINOZIANI.

Schol. Juvat aliquas propositiones, in quibus tamquam fulcris totum systema Spinozianum innititur, seorsum in examen vocare, ut perspecta earum infirmitate appareat, quam male materiatum ipsum aedificium sit.

Ethicae p. 1. dif. 3. *Per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur; hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.*

Si illud *in se est* significet per se existere, et non egere ad existendum subjecto inhaesionis, verissimum est enunciatum; at si notet a se existere, falsissimum; quis enim dabit sine probatione, et

contra omnium philosophorum doctrinam sumenti, substantiam rite definiri per ens a se. Jam vero hoc alterum voluisse Spinozam patet ex propositionibus 7.ma, et 8.va, quas inde deducit: *ad naturam substantiae pertinet existere: omnis substantia est necessario infinita.* Rursus, si illud; *cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat*, denotaret solum substantiam in se spectatam, quatenus est substantia, ad aliud non referri, et excludere ideam relativam nihil a veritate alienum dixisset; at non hoc voluit, verum istud substantiam, quo demum cumque modo spectetur, non referri ad alterum, nec quasi ad subjectum, nec quasi ad caussam, inde enim fluit propositio 6.ta: *una substantia non potest produci ab alia substantia.* Hoc vero iterum precario sumitur; nam etsi substantia sub uno respectu per ideam absolutam repraesentetur, nihil tamen obstat, ut non etiam sub alio respectu per ideam relativam concipiatur, quemadmodum quodvis artefactum in se ens est absolutum, et comparate ad artificem relativum, nec ullo modo ratio effectus cum ratione substantiae pugnat. En argumentum firmissimum, super quo ipse totum systema extruxit, quemadmodum Euclides super definitione puncti suam geometriam. Pergamus porro.

Prop. 5.ta *In rerum natura non possunt dari duae, aut plures substantiae ejusdem naturae, sive attributi*: quare? *Quia eadem attributa, cum essentiam substantiae efficiunt, eamdem efficiunt substantiam.*

Est, *inquit Baylius* (*Dict. histor. et crit. orti Spinoz. item P.*), *hic Spinozae Achilles, totiusque edificii fundamentum; idem tamen perridiculum sophisma, ut pudeat logicae tirones eo capi. Quicumque philosophiae rudimenta tradunt, inter prima praecepta suos docent: quid haec sibi velint, genus, species, individuum.* Distinctione igitur ejusdem *numero* attributi nodus solvitur. Nec est, cur hac responsionem risu excipiat Spinoza; necesse certe est, ut et ipse, cum de modificationibus suis agit, eadem utatur. Homo, ut ipse philosophatur, est modificationum divinae substantiae una aliqua; Socrates, Plato ejus sunt individua: an non eadem attributa in Socrate, et Platone? Anne propterea Socrates, et Plato unus, idemque homo? Audiamus jam ex falsis principiis adhuc allactis deductum theorema falsissimum scilicet. Propositio 14.ta ita sonat: *Praeter Deum nulla dari, aut concipi potest substantia.* Eam sic demonstrat: *Cum Deus sit ens absolute infinitum, isque necessario existat, si aliqua substantia praeter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, cum nempe substantia infinita infinita habeat attributa, sicque duae substantiae ejusdem attributi existerent, quod (per prop. 5.) absurdum est: adeoque nulla substantia extra Deum dari potest, et consequenter non etiam concipi, nam si posset concipi, deberet necessario concipi, ut existens (prop. 7.) atqui hoc per primam partem hujus demonstrationis*

Digitized by Google

absurdum est: ergo extra Deum nulla dari, neque concipi potest substantia. Verum imprimis contra pugnant ea, quae supra contra propositionem 5.*tam* adducta sunt. Deinde cum propositio 7*ma* hic laudata, utpote fluens ex perversa definitione substantiae, itidem falsa sit, verum esse nequit id, quod ex illa concluditur, nullam nempe praeter Deum substantiam concipi posse: igitur absolute a vero abhorret, praeter Deum nullam substantiam nec existere, nec concipi posse, quod systematis caput est.

Sequitur propositio 15.*ta. Quidquid est, in Deo est, et nihil sine Deo est, neque concipi potest.* Huc pertinet definitio 5.*ta. Per modum intelligo substantiae affectiones, sive id quod in alio est, per quod etiam concipitur.* Demonstratio. *Praeter Deum nulla datur, neque concipi potest substantia* (per prop. 14.), *hoc est, res, qua in se est, et per se concipitur* (def. 3.). *Modi autem* (per def. 5.) *sine substantia nec esse, nec concipi possunt. Atqui praeter substantias, et modos nihil datur; ergo nihil sine Deo esse, neque concipi potest.* Imprimis desideratur veritas majoris enunciationis; est enim ipsa propositio 14.*ta*, quam falsam esse supra ostendi. Tum definitio modi ab homine cato statuta merito suspecta esse potest. Est quidem modus illud, quod in alio est, ita nempe, ut sit alterius determinatio, et ab eo velut subjecto inhaesionis in existendo pendeat. Verum *in alio esse* alios quoque sensus admittit. Cum Deus ob suam immensitatem omnibus rebus intime praesens sit, omnes res in Deo esse aliqua ratione dici possunt: propterea tamen modi substantiae divinae nequaquam sunt, quod Spinoza vult; neque enim sunt determinationes Dei, neque ab eo velut subjecto inhaesionis in existendo pendent, sed in eo solum sunt, quatenus ipsi intime praesentes sunt, sicut ipse illis.

Transeamus ad partem 2.*dam* Ethices. Propositio 1.*ma. Cogitatio attributum Dei est, sive Deus est res cogitans.* Propositio 2.*da. Extensio attributum Dei est, sive Deus est res extensa.*

Ea tandem praeclarum Spinozae Deum, quem rectius monstrum dixeris! Deus est substantia unica, aeterna, individua (per prop. 13. p. 1.), cujus attributa sunt infinita cogitatio et infinita extensio: res omnes aliae nihil sunt aliud, quam infinitae hujus cogitationis, et extensionis modi, qui ex naturae necessitate hujus substantiae secundum necessarias pariter leges efficientur. Id vel retulisse refutasse est: conceptus enim hic aliud non est, ac collectio idearum confusarum, indeterminatarum: precario confictarum, ac denique secum pugnantium. Pugnat certe extensio realis infinita (ont. §. 221.); pugnat extensio cum indivisibilitate (ont. §. 188.); pugnat extensio cum infinitate (ont. §. 234.) et aeternitate (ont. §. 181. cor. 3.); pugnat exsensio cum notione substantiae (ont. §. 178.) pugnat extensio cum cogitatione, ut phychologia demonstrabitur: pugnat naturae necessitas cum libertate, quae, utpote vera realitas, est attributum entis infiniti. Sed nolo in re aperta esse longior. Ne-

que vero quemquam moveat methodus geometrica, qua impius hic, et philosophi nomine indignus abusus est; si enim quis primo definiat circulum constare quatuor lateribus, facile inde formabit systema elegantissime connexum, cujus tamen omnes propositiones longissime a veritate distabunt (conf. §. 149. sch. log.).

CAPUT IV.

De Corporibus, eorumque Elementis.

QUID CORPUS?

XLII. *Corpus* voco omne ens compositum, quod partem hujus mundi aspectabilis constituit.

Coroll. Quae ergo cumque de ente composito in ontologia disperse dicta sunt, corporibus quoque conveniunt.

Schol. Plura quidem ad notionem corporis requirunt physici, qui fere illud per enumerationem proprietarum cum a priori, tum a posteriori cogitarum non tam definiunt, quam describunt, intima enim eorum indoles perquam obscura est. Sed haec quoque illis relinquendam censeo.

QUID CORPORUM ELEMENTA?

XLIII. *Elementa* voco illa corporum initia, ex quibus ea primo coalescunt, et ad quae in eorumdem resolutione ultimo demum cogitando pervenitur.

Schol. Ajo *cogitando*; etsi enim stupenda sit corporum divisibilitas, ut physici norunt, certum tamen est, nos ad eorum initia tum ob instrumentorum inopiam, nostrorumque sensuum infirmitatem, tum fortassis etiam propter obstantem quamdam naturae legem reapse pervenire non posse. Investigatio igitur elementorum non ad experientiam, sed ad rationem pertinet; perperam vero agunt ii, qui aut nos de iis nihil scire posse, aut totam hanc pertractationem omni carere utilitate more suo velut ex tripode pronunciant.

IN CORPORIBUS SUNT SUBSTANTIAE; -- AC PROINDE ENTIA SIMPLICIA -- QUAE SUNT IPSA ELEMENTA.

XLIV. *In quovis corpore insunt substantiae.* Cum quidquid existit, subtantia sit, vel accidens (ont. §. 125. cor. 1.), necesse est, ut si in corpore nulla insit substantia, omnia in accidentium numero habeantur, ac proinde, ut corpus sit collectio accidentium sine substantia: utqui hoc aperte repugnat (ibid. cor. 3.): igitur in quovis corpore insunt substantiae.

XLV. *In quovis corpore insunt entia simplicia.* In quovis corpore insunt substantiae (§. praec.); sed omnis substantia est ens simplex (ont. §. 178.): ergo in quovis corpore insunt entia simplicia.

Schol. Poterat idem theorema ex notione quoque entis compositi, quae cuivis corpori convenit (§. 42.), adjuvante (§. 177. ont.), demonstrari.

Digitized by Google

XLVI. *Elementa corporum sunt entia simplicia.* Cum in quovis corpore extent entia simplicia (§. praec.), necesse est, ut cum in ejus resolutione ad ea perventum fuerit, omnis ulterior progressio sistatur: igitur entia simplicia sunt illud in corporibus, ad quod ultimo in eorumdem resolutione cogitando saltem perveniri potest: atqui istud proprium est elementorum attributum (§. 45.): ergo entia simplicia sunt corporum elementa.

Coroll. Quae igitur de ente simplice generatim in ontologia dicta sunt, elementis quoque corporum conveniunt.

QUAE DE IIS PHILOSOPHORUM OPINIONES.

Schol. Diversae sunt de elementis corporum philosophorum opiniones; nonnulli cum Democrito, Epicuro, et Gassendo *atomos insectiles* varia magnitudine, et figura praeditas statuunt. At vero atomus ea vel constat ex partibus realibus, vel non? Si illud; elementi nomen non meretur; non enim erit primum corporis initium, nec ultimum ad quod in resolutione corporum cogitando devenitur, si quidem ipsa in suas adhuc partes resolvi poterit: si hoc nequit gaudere extensione, magnitudine, figura (ont. §§. 188. cor. 2. 189. cor. 3.). Atomos id genus simplices quidem, at extensas simul, et figuras olim *puncta inflata* vocarunt. Aristotelici non alia agnoscunt elementa, quam proclamatam suam materiam primam, quam massam quamdam informem, continuam, ac in infinitum divisibilem esse putant; sed de hac rursus quaestio redit, unde ipsa conffetur? Taceo de divisibilitate in infinitum, quam repugnare infra ostendam. Alii cum Zenone ad puncta simplicia, sed mathematica, quae ab auctore suo *Zenonistica* dicta sunt, confugerunt, verum risum movit haec opinio sapientioribus, puncta enim mathematica potuerunt fortasse initia esse corporis mathematici; physici certe non Laebinitius, cum omne ens simplex *monadem* vocet, idem nomen corporum elementis imposuit. Erat olim vocabulum hoc Pithagoraeis in frequenti usu, notatque unitatem; postulat enim Leibnitius, ut nobis corpus repraesentemus velut numerum valde compositum, quod, quemadmodum omnis numerus ultimo in monades, seu unitates; ita corpus quoque in monades, seu entia simplicia resolvantur. Verum in natura, ac proprietatibus monadum definiendis singularis est Leibnitii opinatio, quae paucos admodum defensores, plurimos contra hostes in ipsa Leibnitianorum familia invenit; neque enim Wolfius ipse hoc suum esse dogma voluit, tametsi reliqua illius fere omnia adoptaverit. Quae jam vero ista sit, apud Baumeisterum accuratissime adnotatum invenio: audiamus (*Cosmol.* §. 454. *schol.*).

Postquam de vocabulo *monas* pluribus disseruisset, addit: *Ex his colligi nunc potest, cur Leibnitius quatuor monadum constituat classes. In prima classe ex ipsius sententia collocatur Deus, qui ab ipso ob simplicitatem seu immaterialitatem suam vocatur monas, quique distinctissima omnium rerum cogni-*

tione gaudet. Ad alteram monadum classem refert Leibnitius animas hominum rationales, quae non clara modo, seu distincta quoque rerum gaudent raepresentatione. Ad tertiam classem pertinent animae brutorum, quae claris quidem, sed confusis ideis sint instructae. Quartam denique et ultimam classem constituunt ultima, et simplicissima corpora elementa, quae, ut dixi, Leibnitio sunt monades stricte, et κατ' ἐξοχὴν *sic dictae, quaeque ex Leibnitii sententia hoc universum sibi obscure repraesentant.-- Speciatim illis monadibus, quae ad ultimam pertinent classem, quaeque ipsa sunt corporum elementa, Leibnitius tribuit quaedam, quae, nescio, an firmo satis nitantur fundamento, quaeque adeo dici non potest, quam vehementer sint impugnata. 1.) Existimat Leibnitius has monades, sive entia simplicia, ex quibus entia composita constent gaudere vi repraesentativa, atque ipsum hoc universum sibi repraesentare obscure. 2.) Hinc illa vocat* viva specula hujus universi. 3). *Affirmat Leibnitius, in monadem creatam forinsecus nec substantiam, nec accidens ingredi posse. Adeoque 4.) existimat omnes mutationes in monadibus creatis obvias a principio interno, et vi intrinseca proficisci. Hinc 5.) appellat monades* Enthelechias, *propterea quod in se habent certam quamdam perfectionem,* ἐχουσιπεντέλεις *et detur quaedam in iis sufficientia, vi cujus sint actionum suarum internarum fontes, adeoque antomata incorporea. 6.) Unde porro concludit Leibnitius, nullam monadem creatam, sive derivativam physice influere posse in interius alterius monadis creatae. 7.) Opinatur Leibnitius, omnes monades creatas gaudere determinationibus, et qualitatibus intrinsecis, quibus a se invicem distingui possint. 8.) Nullam item monadem creatam in rerum universitate alteri monadi creatae per omnia similem existere autumat. 9.) Affirmat monades, quae sunt corporum elementa, nullam quidem habere apperceptionem cum perceptione conjunctam, sed eam tamen perceptionem, licet sit obscura, et careat apperceptione, sive conscientia sui, perpetuo tendere ad novam perceptionem, adeoque gaudere illas monades appetitu. 10.) Ut Leibnitius, quales sint repraesentationes entium illorum simplicium, sive monadum, quae constituunt entia compita, solu culentius ostendat, vocat statum perceptionum illarum stuporem. Qualis status animae nostrae est, cum vel deliquio animi laboremus, vel somno profundo absque somnio oppressi sumus.*

ESSENTIA CORPORUM SITA EST IN NEXU ELEMENTORUM?

XLVII. *Corporum essentia sita est in certo, ac determinato modo, quo elementa inter se copulantur.* Etenim universe entis compositi essentia sita est in certo, ac determinato partium nexu (ont. §. 171.); sed corpora sunt entia composita ex elementis tamquam

partibus ultimis (§. 43.): ergo corporum quoque essentia in certo, ac determinato modo, quo elementa inter se copulantur, sita est.

Coroll. Cum in essentia entis fundetur, quaecumque enti vel conveniunt, vel convenire possunt, consequens est, ut in elementis, eorumque nexu ratio contineatur omnium eorum, quae in corpore vel insunt, vel inesse possunt.

Coroll. 2. Nos neque nexum, neque intimam elementorum constitutionem perspicere possumus: igitur neque essentia, et veram corporum indolem perfecte intelligere licet.

QUID CORPUSCULA PRIMITIVA, ET DERIVATIVA?

XLVIII. *Corpuscula* sunt composita adeo exigua, ut sensus etiam armatos effugiant, quae si immediate ex elementis coalescant, atque in eadem resolvantur, *primitiva*: si autem ex his ipsis conflentur, *derivativa* dicuntur. Ex derivativis porro vario modo inter se cohaerentibus corpus tandem *sensibile* oritur.

Coroll. 1. Species igitur, ac diversitas corporum sensibilium jam in corpusculis primitivis determinata est, pendetque a determinato elementorum nexu, et certa virium ipsis insitarum conspiratione inde oriunda.

Coroll. 2. Si plura corpuscula primitiva ejusdem speciei in unum corpus coalescant, erit illud *homogenum*; *heterogeneum* contra, si ea sint diversarum specierum, ut in corpore humano contingit.

NEXUS ELEMENTORUM NON FIT PER CONTACTUM.

XLIX. *Nexus elementorum non fit per immediatum contactum.* Cum enim elementa sint entia simplicia (§. 46.), necesse est, ut loco congruant, et compenetrentur, quamprimum ad contractum pervenerint (§. 192.), sed ex elementis; quotcumque ea sint, compenetratis nec unicum corpusculum primitivum, utpote compositum extensum, effici potest: ergo nexus elementorum, ex quibus corpusculum primitivum coalescit, per immediatum contactum fieri nequit.

Coroll. Necesse igitur est, ut elementa, dum corpusculum quoddam primitivum constituunt, singula a singulis distent, et tamen inter se cohaereant.

Schol. Hac una certe ratione, quam Boscovichio debemus quaestioni de corporum compositione tot saeculis agitatae numquam tamen enodatae et planissime, et abundanter satifit; quidquid enim adhuc allatum fuit, id erat ejusmodi ut modo nodum non solveret, sed novos potius, ac insolubiles progenerat. Fuerunt qui ad atomos simplices, ea extensas, aut ad infinitam materiae divisibilitatem recurrent; at extensio simplex, numerus partium infinitus: quanta absurda! haec tamen devorare oportebat. Fuerunt, qui in diversis respectibus ejusdem puncti simplicis, ad cardines mundi salutem quaerent; at dicere punctum simplex tangi ab alio simplice secundum respectum ad orientem, non vero secundum respectum ad occidentem, ac propterea eadem non compenetrari est omnino nihil dicere, quid enim? respectus, qui puncto extremus est com-

penetrationem impediat? nonne totum simplex simul et orientem, et occidentem, et meridiem, et septentrionem respicit? Novissime Bohemius (*Cosm. c.* 2. §. 545.*not.*) contactui summam *proquinquitatem* elementorum substituit, fassus tamen se ignorare, quid ea sit, vel in quo consistat; at hoc est ignotum illustrare, et difficultatem ab uno ad aliud tranferre. Illud denique, quod Leibnitiani ab substantiarum impenetrabilitate essentiali petunt quale sit, vidimus (ont. §. 192. sch. fin.) et rursus infra discutiemus.

ELEMENTA VIM HABENT — EAMQUE MOTRICEM — SED NON LIBERAM — QUAE PROINDE NON AGIT NISI DATA DIRECTIONE, ET CELERITATE.

L. *Elementa vi quadam pollent.* Elementa, cum corpusculum primitivum constituunt, a se distant, et tamen cohaerent (§. praec. cor.): ergo vis quaedam adsit, oportet, quae eam cohaesionem in ceteris distantiis efficiat: sed vis haec esse, nisi in ipsis elementis nequit; cum enim agitur de corpuscolo primitivo, praeter elementa, et spatium vacuum nihil adest, nisi quis vel ad naturam universalem genitricem infra refutandam, vel ad immediatam Dei actionem, quod non est philosophari, recurrere velit: ergo elementa vi quadam pollent.

Coroll. Elementa igitur non sunt puncta mathematica, seu zenonistica; sed physica, et realia.

LI. *Vis elementorum est tantum vis motrix.* Non habemus alterius vis ideam; nisi vis cogitandi, et vis motricis (ont. §. 176. sch.): alterutra igitur, vel utraque elementis tribuenda est, cum tribuenda sit aliqua (§. praec.): atqui nulla prorsus ratio suadet inesse in elementis vim cogitandi, sed potius plures rationes in contrariam partem pugnant. Nam 1.) sola via motrix apta est efficiendae cohaesioni elementorum necessariae ad constituendum corpusculum, vim autem cogitandi id nequaquam praestare potest; cum enim vis cogitandi sit vis *sibi* repraesentandi, vires cogitandi diversorum entium nullo pacto conspirare, ac proinde nec cohaesionem efficere possunt; qui igitur usui ea vis foret in elementis? est autem certa philosophandi lex: nec entia, nec qualitates entium multiplicandas esse sine necessitate, nec caussas statuendas; quarum effectus in natura nulli appareant. 2.) Nullum omnino vestigium cogitationis umquam in corporibus detegere licuit, quim potius; quae in, et de illis experimur, solo motu perficiuntur; aut enim corpus motui alterius resistit, eumque infringit, aut ipsum movetur, vel mutationem quampiam aliam subit, quae rursus motus efficitur, cum corpus sit ens compositum (ont. §. 116.): verbo denique omnes corporum proprietates per motum, vel per nisum, et conatum ed eumdem exponi possunt, ut physici norunt: igitur vis elementorum est tantum vis motrix.

Coroll. 1. Elementa igitur sunt entia simplicia materialia, et ideo recte a Boscovichio *puncta materiae* nuncupantur.

Coroll. 2. Ruit quoque periculosa Leibnitii opinatio de obscuris monadum repraesentationibus; nam vis etiam obscure solum re-

Digitized by Google

praesentandi ad vim cogitandi in tota latitudine sumtam, ut ego quidem eam supra accepi, pertinet.

Schol. Œdipo profecto opus erit, Heracliteamque obscuritatem superat eorum doctrina, qui Leibnitii vestigiis insistentes ex vi monadum obscure repraesentativa omnes effectus naturales, quos in mundo corporeo experimur; deducere nituntur, ajentes: quaecumque sub experientiam cadunt, mera esse phaenomena, seu ita tantum sensibus nostris apparere; extensionem item et motus aeque nihil reale esse in ipsis corporibus, quemadmodum idem de colore, odore, sapore, aliisque id genus qualitatibus hodie physici docent. Certe aut omnia me fallunt, aut haec opinio, absque circuitione ad idealismum ducit. Deinde ullane potest esse verisimilitudo, fore umquam ut per vim repraesentativam, qua ens solum tendit ad mutandum statum internum, obtineatur realis loci ad statum entis externum pertinentis mutatio. Atque hoc adeo verum est, ut ipse Leibnitius monuerit, ex vi monadum repraesentativa nequaquam solutionem problematum in effectibus naturalibus occurrentium petendam esse. Qui magis in aberrante hac Leibnitianorum doctrina erudiri cupit, adeat dissertationem *de systemate mundi ex invitatione illustrissimae accademiae Berolinensis deducto ex principiis monadicis.* N. X., et dissertationem *de primariis monadologiae capitibus.* N. XI. quae cum dissertatione Cl. Justi, quae praemium tulit, anno 1748. Barolini in lucem datae sunt.

LII. *Vis elementorum non est vis libera.* Vis elementorum est tantum vis motrix absque vi cogitandi (§. praec.); sed absque vi cogitandi ut esse nequit potestas eligendi; ita impossibilis est omnis libertas: ergo vis elementorum libera non est.

Coroll. Vis ergo elementorum habitis omnibus requisitis, et ablato omni impedimento, continuo effectum producit, id est, motum efficit (ont. §§. 146. 152. schol.); atque inde elementa natura sua ad motum determinantur.

LIII. *Vis elementorum motum non efficit, nisi data ab aeterno principio celeritate et directione.* Infinitae celeritates, et directiones sunt possibiles; atque ex his unam aliquam terminatam eligere ad elementum, quod libertate caret (§. praec.), non pertinet; neque alia in ipso ratio sufficiens determinatae cujusdam celeritatis, et directionis cogitari potest: ergo directio, et celeritas, qua elementum movetur, ab externo principio determinari debet; atqui motus sine determinata directione, et celeritate fieri nullo modo potest: igitur vis elementorum motum non efficit nisi data ab externo principio celeritate, et directione.

Coroll. 1. Igitur si elementum quiescat, numquam ex se motum inchoabit, sic contra moveatur, movebitur in perpetuum eadem directione, et celeritate, nisi impedimentum aliunde adveniat.

Coroll. 2. Atque inde quodvis elementum, quantum in se est, perpetuo conservat eumdem statum motus, vel quietis, in quo est. Atque

Digitized by Google

in hoc ego *inertiam* elementorum repono, quae ut patet, non est proprietas, aut vis distincta a vi motrice insufficiente ad determinandam celeritatem et directionem. Vide Biwaldum e S. J. in academia Graecensi Phisices Professorem (*Phy.gen. p.2. s. 2. art. 8. prop. 5. et 6.*).

Schol. Quae adhuc de vi elementorum dixi, ad ipsa quoque corpora applicanda sunt, cum enim generatim collectio virium, quae in entibus simplicibus, enti composito conveniat (ont. §. 178. cor. 4.), necesse est, ut vires etiam elementorum collectae unam velut vim in corpore constituant. Gaudent igitur corpora vi motrice: verum non libera, ac proinde ipsa quoque natura sua ad motum determinata sunt: neque tamen ob impotentiam naturalem determinatam quamdam directionem, et celeritatem eligendi aut motum de se umquam inchoant, aut in motu constituta directionem, vel celeritatem mutant: quare inertia quoque sunt. Quod si praeterea cum Cartesianis contendas corpora esse *indifferentia* ad motum, vel quietem, et istud certo quodam sensu dari poterit. Sunt nempe corpora ad motum, vel quietem *indifferentia*, quatenus ex natura sua hanc vel illam, aliquam potius quam nullam directionem, et celeritatem a principio externo non postulant, quemadmodum ignis etiam simili ratione ad urendum, vel nonurendum indifferens dici potest, cum ex se applicationem ad rem, quae comburi possit, non exigat; verum ut ignis applicatus necessario urit, ita corpus posita externa celeritatis, et directionis determinatione necessario moveretur. En quam belle virium insitarum hypothesis (si tamen ea hypothesis dicenda sit) cum pervulgata de inertia, ac indifferentia corporum opinione cohaereat.

At vero in eo jam versatur quaestio, unde eae determinationes in natura ortum habeant? hanc in rem nihil et rationi, et phaenomenis magis consentaneum dici posse videtur, quam illud sit, quod a viro clarissimo Boschovichio accepimus. Agunt nimirum elementa certis intervallis disjuncta in se mutuo, atque pro horum intervallorum ratione jam ad mutuum accessum, jam ad recessum se invicem determinant; unde eadem vis motrix modo *attractricis* modo *repultricis* cognomentum sortitur. In majoribus quidem distantiis sola fere attractio agit, unde gravitatis phaenomena physici repetunt; in minoribus vero intervallis alternae sunt vices accessus, et recessus, dum distantiis in infinitum imminutis in infinitum quoque crescat vis repellens, quae omnem contactum in natura excludat. Ubi denique ab repulsione ad attractionem transitur, limites quidam sunt, ad quos si elementum appulerit, nec recedere, nec accedere potest, quod cohaesioni explicandae inservit. Atque hic agendi modus *Lex virium* ab auctore compellatur, quae per curvam geometricam continuam ipsis velus oculis intuenda sisti potest; et miro compendio explicationem effectuum naturalium promovet. Sed haec jam sunt fori physici: qui uberius instrui desiderat, adeat ipsum fontem (*Theophil. nat. p. 1. §. 10. seqq. Dis. de leg. con.*

lin.), aut physicam generalem auditorum usibus accomodatam a Leopoldo Biwald typis Graecensibus anno 1767. vulgatam (*P.* 2. *sect.* 1.), in qua, quidquid erudite, et solide hac de re dici potest, summa industria enucleatum inveniet.

ELEMENTA SUNT SIMILIA.

LIV. *Nihil obstat, quo minus elementa putemus interne perfecte similia esse.* Imprimis enim principium indiscernibilium Leibnitii jam refutatum est (ont. §. 76.). Deinde tam ex naturae simplicitate, quam ex phaenomenis colligimus eamdem virium legem pro omnibus obtinere, ut Boschovichius probat (*Theor. phil. nat. p.* 1. §. 92.); quo conficitur eamdem specie vim motricem eodem modo agentem in omnibus inesse. Denique, cum omnia sint entia simplicia (§. 46.), eadem simplicitas, ac inextensio omnibus communis est; aliud vero praeterea, in quo inter se discrepent, singulis convenire, ne conjectura quidem, assequi possumus.

Schol. Leibnitio a dissimilitudine corporum sensibilium argumentanti egregie respondet Boscovichius (*Loc. cit.* §. 95.): *quod attinet ad inductionem, quam Leibnitiani desumant a dissimilitudine, quam observamus in rebus omnibus, cum nimirum nusquam ex. gr. in amplissima silva reperire sit duo folia prorsus similia, ea sane me nihil movet; cum nimirum illud discrimen sit proprietas relativa ad rationem aggregati, et nostros sensus, quos singula materiae elementa non afficiunt vi sufficiente ad excitandam in animo ideam; nisi multo sint simul, et in molem majorem excrescant. Porro scimus utique combinationes ejusdem numeri terminorum in immensum excrescere, si ille ipse numerus sit aliquanto major. Solis* 24 *litterulis alphabeti diversimode combinatis formantur voces omnes, quibus huc usque usa sunt omnia idiomata, quae existerunt, et quibus omnia illa, quae possunt existere, uti possunt. Quid si numerus earum existeret tanto major, quanto major est numerus punctorum materiae in quavis massa sensibili? quod ibi diversus est litterarum diversarum ordo, id in punctis etiam prorsus homogeneis sunt positiones, et distantiae, quibus variatis variatur utique forma, et vis, qua sensus afficitur in aggregatis. Quanto major est numerus combinationum diversarum possibilium in massis sensibilibus, quam earum massarum quas possumus observare, et inter se conferre, (qui quidem ob distantias; et directiones in infinitum variabiles, praescindendo ab aequilibrio virium, est infinitus, cum ipso aequilibrio est immensus); tanto major est improbabilitas duarum massarum omnino similium, quam omnium aliquantisper saltem inter se dissimilium* (§. 97.). — *Patet igitur, varietatem illam a numero pendere combinationum possibilium in numero punctorum necessario ad sensationem, et circumstantiarum, quae ad formationem massae sunt necessariae, adeoque ejusmodi*

Digitized by Google

inductionem extendi ad elementa non posse. Quin immo illa tanta similitudo, quae cum exigua dissimilitudine commixta invenitur in tam multis corporibus, indicat potius similitudinem ingentem in elementis. Nam ob tantum possibilium combinationum numerum, massae elementorum etiam penitus homogeneorum debent a se invicem differre plurimum, adeoque si elementa heterogenea sint, in immensum majorem debent habere dissimilitudinem, quam ipsa prima elementa, ex quibus idcirco, ne tantillum quidem, similes provenire deberent. — Denique eleganti exemplo, quod praeterire nequeo, rem totam illustrat (§. 98.). *Fieri utique possent nigricantes litterae, non ductu atramenti continuo, sed punctulis rotundis nigricantibus, et ita parum a se invicem remotis, ut intervalla non sine ope microscopii discerni possent, et quidem ipsae litterarum formae pro typis fieri possent ex ejusmodi rotundis sibi proximis cuspidibus constantes. Concipiatur ingens quaedam Bibliotheca, cujus omnes libri constent litteris impressis, ac sit incredibilis in ea multitudo, librorum conscriptorum linguis variis, in quibus omnibus forma characterum sit eadem. Si quis scripturae hujusmodi, et linguarum ignarus circa ejusmodi libros, quos omnes a se invicem discrepantes intueretur, observationem institueret cum diligenti contemplatione; primo quidem inveniret vocum farraginem quandam, quae voces in quibusdam occurrerent saepe; cum eadem in aliis nusquam apparerent, et inde lexica posset quaedam componere totidem numero, quod idiomata sunt, in quibus singulis omnes ejusdem idiomatis voces reperirentur, quae quidem numero admodum pauca essent, discrimine illo ingenti tot, tam variorum librorum redacto ad illud usque adeo minus discrimen, quod contineretur lexicis illis, et haberetur in vocibus ipsa lexica constituentibus. At inquisitione promota, facile adverteret, omnes illas tam varias voces constare ex 24. tantummodo diversis litteris, discrimen aliquod inter se habentibus in ducto linearum, quibus formantur, quarum combinatio diversa pareret omnes illas voces tam varias, ut earum combinatio libros efformaret usque adeo magis a se invicem discrepantes. Et ille quidem si aliud quodcumque sine microscopio examen institueret, nullum aliud inveniret magis adhuc simile elementorum genus, ex quibus diversa ratione combinatis orirentur ipsae litterae; at microscopio arrepto intueretur utique illam ipsam litterarum compositionem e punctis illis rotundis prorsus homogeneis, quorum sola diversa positio, ac distributio litteras exhiberet.* Denique ita concludit. *Haec mihi quaedam imago videtur esse eorum, quae cernimus in natura. Tam multi, tam varii illi libri corpora sunt, et quae ad diversa pertinent regna, sunt tamquam diversis conscripta linguis. Horum omnium chemica analysis principia quaedam invenit mi-*

nus inter se deformia, quam sint libris, nimirum voces. Hae tamen ipsae inter se habent discrimen aliquod, ut tam multas oleorum, terrarum, salium species eruit chemica analysis e diversis corporibus. Ulterius analysis harum veluti vocum, litteras minus adhuc inter se deformes inveniret et ultimo juxta theoriam meam deveniret ad homogenea punctula, quae, ut illi circuli nigri litteras, ita ipsa diversas diversorum corporum particulas per solam dispositionem diversam efformarent: usque adeo analogia ex ipsa naturae consideratione derivata non ad deformitatem, sed ad conformitatem elementorum nos ducit.

CORPORA NEQUEUNT IN INFINITUM DIVIDI.

LV. *Corpora non sunt in infinitum divisibilia.* Cum enim corporum elementa sint entia simplicia (§. 46.), ad divisibilitatem corporum infinitam absolute requireretur, ut in quovis corpore, quantumcumque parvo, aut magno, elementa numero actu infinito existant; atqui omnis numerus actu infinitus repugnat (ont. §. 219.): igitur divisibilitas in infinitum repugnat.

Schol. 1. Corpus nimirum quodvis in tot partes secari potest, quot sunt in eo elementa, seu materiae puncta. Quod si divisio ulterius continuetur, pertinebit ea ad intervalla vacua inter duo quaevis puncta intercepta, quae omnino divisionem in infinitum admittunt (ont. §. 196. sch. n. 2.). Atque hac ratione evitantur omnes difficultates, quas geometria movet, dum divisibilitatem infinitam extensi continui demonstrat, quae quantum olim philosophis negotium facessiverint, nemini in veterum scriptis vel mediocriter versato ignotum esse potest. Ne tamen in ordine ad explicanda naturae phaenomena quidpiam desideretur, in locum divisibilitatis infinitae succedit *componibilitas* in infinitum, ut ait Boschovichius (*Loc. cit. p.* 3. §. 394.); in omni videlicet corpore numerus punctorum actu existentium finitus est, at is augeri semper sine fine potest: cum enim inter duo quaevis distantia puncta semper aliud interseri queat (ont. §. cit.), nullus numerus punctorum in dato spatio existentium adeo magnus erit, ut non alius finitus major in eodem spatio haberi possit.

OCCURRITUR DUBIIS.

Schol. 2. Sunt non ex veteribus modo, verum et ex recentioribus philosophis nonnulli, qui, quae hoc capite dicta sunt, minime probanda esse putent. Horum dubitationibus jam occurram.

Ajunt 1.) Prorsus verisimile non esse, ut ex inextensis oriatur extensum continuum.

℞. Hi quidem optime ratiocinatur, si sermo sit de extenso *metaphysice* continuo; non item, cum agitur de extenso *physice* solum, et comparate ad nostros duntaxat sensus continuo (ont. §. 193.). Linea, superficies, corpus mathematicum componi ex punctis simplicibus nequaquam possunt; cum enim haec sint continua metaphy-

sice talia, necesse foret, ut puncta sese mutuo contingerent, quo casu ex infinitis etiam punctis ne minima quidem lineola umquam exurgere posset, quod argumentum, ut olim Zenonistas, nunc Leibnitianos obmutescere cogit. Inde Geometrarum sapientores lineam non ex punctorum additione, sed ex fluxu unius puncti sui vestigium relinquentis generari concipiunt. At vero corpora sunt solum collectiones punctorum certo a se intervallo distantium, ac per mutuas vires cohaerentium: quare nihil vetat, ut id genus extensum physice solum continuum ex punctis simplicibus, et non extensis confletur, quemadmodum etiam numerus ex unitatibus, quarum nulla seorsum numerum constituit, coalescit.

2.) Recte sic concludimus: minimae quaevis masse sensibiles solidae sunt, pollentque vi attractiva, et repulsiva: ergo etiam elementa soliditate, iisdemque viribus gaudent: igitur recte quoque sic arguemus; minimae massae in sensus incurrentes sunt extensae: ergo etiam elementa non omni extensione destituuntur.

℞. Priores proprietates absolutae sunt, nec a ratione totius, aut compositi pendent; quare per inductionem a sensibilibus ad insensibilia transferri possunt: contra extensio est proprietas comparativa, quae cum pluralitatem involvat (ont. §. 188.), necessario a ratione compositi pendet: unde iis, ex quibus compositum coalescit, competere non potest (conf. §. 143. schol. log.), vide quoque Boscovichium (*Theor. phil. natur. p. 1. §. 140.*). Certe si id genus argumentationum valeret, colligi posset quamvis massae cujuspiam partem duas libras appendere, propterea quod ipsa integra totidem sit librarum.

3.) Cl. Justi in dissertatione supra (§. 51. schol.) laudata mirabile argumentum profert, quo ipse quidem totam entium simplicium, ac inextensorum systema everti putat. Audi argumentantem: ens compositum est ens ex partibus constans; quod constat ex partibus, non potest simul ex nullis partibus constare: ergo ens compositum non potest constare ex nullis partibus; atqui quod non potest constare ex nullis partibus, non potest constare ex entibus, quae nullas habent partes, qualia sunt entia simplicia: ergo ens compositum non potest constare ex simplicibus.

℞. Concesso integro syllogismo subsumtam minorem nego; id ipsum enim, quod in ea sine probatione asseritur, in quaestione est. Latet hic praeterea insolens aequivocatio; si namque ea propositio accuratius discutiatur, facile apparet niti eam hypothesis omnino falsa quasi nimirum *non habere partes, et non esse partem* idem in re sit (§§. 6. 7.). Atque in idem vitium rursus labitur in appendice, ubi egregiam suam argumentationem uberius declarat; dum illud tandem aperte in lucem proferat (§. 10.). At vero quo fundamento adstruitur, illud, quod nullam habet partem, non posse esse alterius partem? nonne id, quod non est exercitus, pars exercitur, et quod non est numerus, pars numeri esse potest? Ait quidem: si ens simplex pars esset corporis, necesse fore, ut magnitu-

dine praeditum sit; cum quaevis pars sibi ipsi aequalis sit (*Appen.* 13.). Sed nihil promovet; quaevis utique pars sibi ipsi aequalis est ea aequalitate, quae vi naturae ipsi competere potest, quaeque vel ad extensionem, vel ad intensionem pertinebit. Quamquam partem esse aequalem sibi ipsi, si generalissime, ut hic oportet, sumatur, reapse aliud non sonat, quam partem quoad omnia esse eamdem secum ipsa; quod verum est, seu ipsa adhuc sit composita, seu non.

4.) Duo adhuc sunt, quae profert idem auctor (§. 58.); sed quae similiter turpi aequivocationis vitio laborant. Primum ait, compositionem esse essentiam entis compositi, ac proinde necessariam; eorum porro, quae necessaria sunt, nullam dari rationem sufficientem (§.58.), atque adeo principio rationis sufficientis eo abuti, qui compositionis rationem sufficientem in simplicibus, seu non compositis quaerunt. Tum sic arguit: ens compositum, et simplex sunt opposita, ut possibile, et impossibile, finitum, et infinitum; est autem contradictorium, ut ex oppositis opposita entia exurgat; quia enim unius notio negat, quod alterius notio affirmat, ea non sunt possibilia in uno ente: sed quod in uno ente possibile non est, ex illo etiam ens exurgere nequit: igitur quemadmodum ex finitis infinitum, ex impossibilibus possibile oriri nequit, ita absolute impossibile est, ut ex entibus simplicibus ens compositum coalescat.

℟. ad 1.mum. Compositio duplici modo spectari debet; quatenus est essentia entis compositi, et sic est necessaria; necessarium quippe est, ut ens compositum sit compositum, neque hujus rei ratio sufficiens quaeritur, sicut non quaerimus, quare circulus rotundus sit. Deinde composito spectatur comparare ad partes componentes, quatenus est certus modus, quo certae partes inter se conferuntur, qui modus contingens est, proptereaque ratione sufficiente eget. Patet id in horologio, cujus essentia est talis talium partium conjugatio; si quaeras, quare horologium talem partium conjugationem exigit; nullam proferam rationem, sed dicam, quia secus non esset horologium: si contra quaeras, quare nunc hae partes sic sunt consociatae? respondebo, quia id artifex praestitit. En rationem sufficientem compositionis. Deinde non quaerimus, quare ens compositum sit compositum, si enim jam ponas ens esse compositum, quaestio prorsus inepta foret: sed quaerimus, qui fiat, ut ens aliquod sit compositum, undeque ea compositio exurgat? et hoc tam prudenter, quam utiliter quaeri potest; quemadmodum quaerimus rationem existentiae entis contingentis, tametsi existentiam ab essentia realiter distinctam non esse statuamus. Porro aequivocatio in eo latet, quod, ut patet ex appendice, ponat materiam essentialiter esse compositam, quod eo jure, quo ipse asserit, a nobis negatur; confundit praeterea inscite materiam, et corpus, quasi vero idem esset materia, et horologium. Denique de materia pro corpore accepta affirmat, eam annihilandam fore, si in ipsius divisione ad finem perveniretur, in quo novus continetur

verborum lusus. Imprimis enim annihilatio accipitur pro simplici interitu, ita quippe corpus in sua elementa resolutum interit, ut horologium, cum nexus partium dissuitur. Deinde longe diversa sunt, *corpus posse in infinitum dividi, et corpus, quamdiu corpus est, dividi posse*; istud cum veritate congruit, alterum non; utriusque tamen idem esse sensus in objectione ponitur.

℟. Ad 2.dum. Tametsi ens compositum, et simplex opposita sint, et propterea idem ens simul compositum, et simplex esse nequeat, nihil tamen obstat, quo minus ex pluribus simplicibus inter se cohaerentibus unum compositum consurgat, id quod innumeris exemplis illustrari potest. Quivis globus eburneus non est series, estque simul contradictorium esse, et non esse seriem, et tamen ex multis globis eburneis juxto se positis oritur series; ita quoque ex partibus, quae non sunt horologium, confit horologium; ex militibus, quorum quivis nec exercitus est, nec sufficiens caedendo hosti, conflatur exercitus ad id praestando sufficiens. Imo generatim pars seorsum accepta non est totum, atque ideo omne totum consurgit ex talibus, quae ipsum non sunt; et sic prorsus compositum praerequirit componentia, quae ab ipso distinguantur, et composita amplius non sint (vid. ont. §. 177.). Argumentatio igitur praesens in eo peccat, quod a praedicatis absolutis ad comparativa item ab eo, quod singulis seorsum acceptis nec inadaequate, aut inchoative convenit, ad id, quod in ipsis saltem ea ratione inest, procedat (conf. §. 18. sch. n. 1.) Certe, cum finiti ad Infinitum nulla sit proportio (ont. §. 220. cor. 2.), illud comparate ad hoc reapse nihilum est; impossibile item idem sonat, quod nihilum (ont. 29. cor. 1.); atqui infinitorum etiam nihilorum collectione ne una quidem unitas obtinetur: patet igitur, cur ex entibus finitis infinitum, aut ex impossibilibus possibile oriri nequeat. Atque hi sunt Achilles illi, quibus vir clarissimus entia simplicia materialia ex urbe eliminavit, praemiumque Academia propositum consecutus est.

5.) Ne posita simplicitate materiae sufficiens non sit eam inter, et spiritum discrimen, verentur nonnulli cum Scarella in omnibus Boscovichio adversante; putant enim posse etiam spiritus id genus viribus attractivis; repulsis a Deo donari, quo casu ipsi corpus componere possent, atque sic periret omne substantiale, atque absolutum discrimen inter animam, et corpus.

℟. Discrimen substantiale, et absolutum inter corpus, et animam semper manet idem, seu corpus dicatur ex simplicibus constare, seu non; corpus enim semper erit ens compositum, anima contra ens simplex. Deinde quod ad discrimen inter materiam, quae sit ens simplex, et spiritum attinet, illud in eo situm est, quod hic vi cogitandi polleat; illa eadem careat (§. 51. cor. 1. et ont. §. 176. sch.). Utrum vero Deus spiritibus eas vires tribuere possit, omnino ignoramus, id tamen extra controversiam ponitur, compositum quoddam ex meris spiritibus constans, si illud possibile sit, essen-

Digitized by Google

tiali adhuc, et interno discrimine a corporibus nobis notis discernendum fore. Verum de hoc plura in psychologia dicam; consulatur interea Boschovichius (*Theor. phil. natur. p. 1. §. 154. seqq.*). Ceterum difficultas haec, si qua est, pari ratione ipsi auctorem premit: cum enim ipsi elementa corporum sint entia simplicia virtualiter extensa, eadem prorsus quaestio de iis institui poterit; nam nihil vetat, ut et spiritus hujusmodi extensione, si quidem ea non repugnet, praeditos statuamus, praesertim cum notum sit, complures philosophos et olim, et nunc quoque cum Genuensi animae humanae similem extensionem attribuisse.

6.) Ipsa idea corporis, et materiae videtur notionem extensionis metaphysice continuae involvere, ita ut sublata una, alteram quoque tolli necesse sit.

℟. Idea haec, quam multi se habere putant, praejudicatis solum opinionibus ortum debet, ut fusius declarat Boscovichius (*Loc. cit.* §. 158. *seqq.*). Pauca ex ipso adnotabo. *Illud procul dubio arbitror omnino certum, ideam corporis, materiae, rei corporeae, rei materialis nos hausisse ex sensibus. Porro ideae primae omnium, quas circa corpora acquisivimus per sensus, fuerunt omnino eae, quas in nobis tactus excitavit, easdem omnium frequentissimas hausimus. Multa profecto in ipso materno utero se tactui perpetuo offerebant, antequam ullam fortasse saporum, aut odorum, aut sonorum, aut colorum ideam habere possemus per alios sensus, quarum ipsarum, ubi eas primum habere caepimus, multo minor sub initium frequentia fuit. Ideae autem, quas per tactum habuimus, ortae sunt phaenomenis hujusmodi. Experiebamur palpando, vel temere impingendo resistentiam vel a nostris, vel a maternis membris ortam, quae cum nullam interruptionem per aliquod sensibile intervallum sensui objiceret, obtulit nobis ideam impenetrabilitatis, et extensionis continuae: cumque deinde cessaret in eadem directione alicubi resistentia, et secundum aliam directionem exerceretur, terminos ejusdem quantitatis concepimus, et figurae ideam hausimus. Porro oriebantur haec phaenomena a corporibus e materia jam efformatis, non a singulis materiae particulis, e quibus ipsa corpora componebantur.*

Dixi de corporibus eorumque elementis pro scopo satis: restat, ut de eorumdem compenetratione, et replicatione, ut ajunt, paucis agam, idque non alio ex capite, quam quod res haec ad sanctissimum Religionis nostrae mysterium ab haeterodoxorum obtrectationibus vindicandum plurimum inservit.

CAPUT V.

De Compenetratione, et Replicatione Corporum.

QUID IMPENETRABILITAS, IMPENETRATIO, ET IMPENETRABILE?

LVI. *Soliditas*, sive *impenetrabilitas* est ea corporum vis, qua quodvis alterum ex loco, quem actu occupat, excludit. *Impenetratio*

est actualis exclusio alterius ex loco occupato proveniens ab ea vi velut effectus. Quod denique hac vi praeditum est, *impenetrabile* dicimus.

OMNE CORPUS EST NATURALITER IMPENETRATUM? — IDQUE VI REPULSIVA PROVENIT.

LVII. *Omne corpus spectatis naturae legibus alterum ex suo loco excludit.* Quid spectatis naturae legibus fieri debeat, id diuturna, constansque experientia solum docere potest; sed constans experientia docet, quodvis corpus ita existere in loco, ut pro eo tempore omnia alia ex eodem excludat, quemadmodum longa inductione istud de corporibus tam fluidis quam solidis physici ostendunt: ergo spectatis naturae legibus omne corpus alterum ex suo loco excludit.

Schol. 1. Vim hanc eamdem esse cum illa, quae mutuum elementorum contactum impedit, facile perspicitur; ut enim ea efficit, ne umquam punctum materiae cum alio in eodem spatii puncto congruat, ita ab eadem proficisci debet, ut numquam quaedam punctorum massa, quae corpus constituit, cum alia simili in eodem loco existat. Provenit igitur haec impenetratio a vi motrice elementorum, cum ea secundum generalem virium legem repulsiva est (§. 53. schol.).

Schol. 2. Assertioni huic apparentes quaedam compenetrationes minime obstant; ut cum lux, vel aer corpora etiam densissima permeat, aut cum diversi generis olea durissima quoque marmora ita pervadunt, ut, cum dissecantur in medio, quin et in inferiori parte variis tincta coloribus deprehendantur. Haec enim non veram aliquam compenetrationem; sed poros solum, licet ne armatis quidem oculis detegendos, in corporibus solidissime compactis arguunt.

QUID COMPENETRATIO — QUAE QUAESTIO?

LVIII. *Compenetratio* est simultanea duorum, aut plurimorum entium in eodem loco coexistentia.

Schol. De entibus creatis mihi sermo est; ens enim increatum, tametsi vi suae immensitatis omnibus rebus intime praesens adsit, non tamen vero sensu compenetrari dici potest: nempe nos hujus existentiae modum nullo pacto intelligimus. Definita porro compenetratione quaerunt philosophi, utrum nec per absolutam Dei potentiam effici possit, ut duo, vel plura corpora in eodem loco simul existant? Quae dubio huic solvendo apta videbuntur, jam adferam; verum, ut supra monui, non alium in finem, quam ut pateat, nihil praesidii heterodoxis in ratione naturali relinqui, quo ipsi ad impugnandum sacrosanctum Eucharistiae mysterium verisimiliter uti possint, qui scopus et subsequentis de replicatione quaestionis erit.

LIX. *In compenetratione corporum nulla est contradictio ex parte ipsius corporis.* Nulla est ratio positiva, quae vel probabili-

ter ostenderet impenetrationem pertinere ad essentialia corporis; si enim esset quaepiam ratio, foret ea constans sensuum experientia; atqui imprimis ea tantum docet, quid spectatis naturae legibus fieri debeat; omnem autem probandi vim amittit cum de essentiis rerum, et absoluta Dei potentia agitur. Deinde eadem experientia non est ratio, quae evincat actualem lapsum, mutuum accessum, vel recessum, compressarum partium restitutionem de corporis essentia esse; ergo neque evincit impenetrationem ad essentiam corporis pertinere; quemadmodum enim lapsus actualis, mutuus accessus, vel recessus, restitutio compressarum partium sunt effectus gravitatis, attractionis, repulsionis, elasticitatis, ita impenetratio est effectus impenetrabilitatis: igitur, salva corporis essentia, et manente illius impenetrabilitate, impenetratio abesse potest; atqui si ita sit, in compenetratione corporum nulla est contradictio ex parte corporis; quidquid enim ad essentialia non pertinet, neque cum his nexu necessario conjungitur, mutari absolute potest; constat igitur asserti veritas.

LX. *In compenetratione corporum nulla est contradictio ex parte elementorum, ex quibus corpora coalescunt.* Imprimis enim in compenetratione corporum nequaquam necesse est, ut ipsa quoque elementa compenetrantur, cum in quovis intervallo inter duo elementa intercepto alia finito numero in infinitum interponi possint (§. 55. sch. 1.). Deinde elementa, si ad mutuum contactum perveniant, alioquin naturaliter compenetrantur (ont. §. 192.); quis autem ajat, actualem illam repulsionem, quae contactum impedit, esse elemento, id est, enti illi simplici essentialem, nec per absolutam Dei potentiam impediri posse? redit hic argumentum (§. praec.). Denique duae substantiae compenetratae manent duae, et non propterea in unam transeunt; esse quippe in loco duo involvit; ipsum *esse* substantiae, et modum coexistendi. Jam vero quis ex eo, quod plures substantiae habeant eumdem modum coexistendi inferat ipsum earum *esse* fieri unicum: id certe non fit propterea, quod plures substantiae habeant eumdem respectum ad successiva, seu eodem tempore existant; sicut autem respectus ad successiva, ita respectus ad coexistentia substantis extrinsecus advenit. Sane si haec argumentandi ratio valeret, nec substantia spiritualis compenetrari posset cum materiali, quod tamen Lockius acer alias compenetrationis hostis fieri posse apertis verbis profitetur (*Essai concer. l' ent. hum. liv. 2. ch. 27.*).

LXI. *In compenetratione corporum nulla est contradictio ex parte modi, quo corpora ex elementis componuntur.* Modus compositionis in eo consistit, ut primum elementa per mutuas vires in certa distantia cohaerentia efforment corpusculum primitivum, in quo jam ratio compositi, certaque corporis species determinatur (§§. 48. cor. 1. 49.); tum ex corpusculis primitivis ea rursus ratione conjunctis derivativa, et tandem ex his majori numero collectis massa sensibus percipienda oriatur; atqui in hoc modo nihil est, quod obstet, quo minus duo corpora inter se, vel idem etiam corpus se-

Digitized by Google

cum ipso compenetretur. Tametsi enim nexus corpusculorum derivatorum solvatur; permanet tamen elementorum cohaesio, atque adeo persistunt corpuscula primitiva, ipsaque essentia compositi, et determinata corporis species, sed haec infra magis illustrabuntur.

IN COMPENETRATIONE NULLA EST CONTRADICTIO.

LXII. *In compenetratione corporum nulla latet contradictio.* Si in compenetratione corporum quaepiam contradictio lateret, ea se teneret, vel ex parte corporis, vel ex parte elementorum, ex quibus corpora coalescunt, vel denique ex parte modi, quo corpora ex elementis componuntur; atqui ex nulla harum partium contradictio quaepiam deprehendi potest (§§.59.60.61.): ergo nulla latet in compenetratione corporum contradictio.

Coroll. 1. Quod contradictionem non involvit, est in se possibile (ont. §. 30.), quodque tale est, per omnipotentiam Dei effici potest (ont. §. 36. cor. 2. 3.): igitur compenetratio corporum per Dei omnipotentiam effici omnino potest.

Coroll. 2. Ex eo, quod admissa reali praesentia SS. Corporis in mysterio Eucharistiae videtur quoque admitti debere quaedam ejusdem SS. Corporis compenetratio, nullo pacto sequitur dogmati huic fidem denegandam esse, ut complures heterodoxi hac aetate contendunt.

Schol. 1. Non puto, quemquam fore, qui de majoris propositionis veritate dubitet; non enim quidpiam aliud praeter corpus ipsum, elementa, et compositionis modum cogitari posse videtur, in quo praetensa contradictio lateat; aut si sit aliquid, proferant illud in medium adversarii, ut similem argumentationem eidem accommodare possimus. Atque istud de iis quoque, quae ad minoris probationem attuli, notari velim; cum enim in argumento negativo verser, nulla reapse probatio a me jure exigitur (§. 235. schol. l. 5. leg.): id duntaxat mihi incumbit ostendere, contradictiones quas adversarii adducunt, esse solum apparentes, in se nullas: id quod et praestitum adhuc fuit, et objectorum solutione deinceps praestabitur. Profecto quamdiu repugnantia clare non demonstratur, standum est pro omnipotentia Dei, neque licet ei quodpiam objectum substrahere eo tantum titulo, quod illud finita nostra intelligentia non assequamur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Schol. 2. Examinemus igitur ea, quae adversae partis patronis repugnantiam involvere videntur.

Ajunt 1.) Omne corpus est vi essentiae impenetrabile: ergo compenetratio corporum est absolute impossibilis. Ratio consequentis est, quia secus posset aliquod corpus simul esse impenetrabile, et simul penetratum, quod repugnat.

℞. *d.ant.* Omne corpus est vi essentiae impenetrabile, *quatenus habet vim excludendi aliud corpus ex loco, in quo est, c. ant. quatenus ea vi actu excludit aliud corpus, n. ant.* Aliud est nempe

vis ipsa, aliud effectus ab ea proveniens: illa ad essentiam pertinet, hic non: quare per absolutam Dei potentiam impediri potest: quemadmodum Deus, quod nemo negaverit, efficere potest, ut ignis vi sua non agat actu, et stupam sibi applicatam non adurat. Atque hoc sine absurdo; corpus enim impenetrabile per absolutam Dei potentiam compenetratum esse nequaquam contradictionem involvit; hoc quippe non aliud sonat, quam corpus, quod vi naturae habet vim excludendi omne aliud corpus ex suo loco, nunc ob impedimentum per absolutam Dei potentiam positum actu aliud corpus non excludere: quemadmodum corpus, quod habet vim labendi in terram, non tamen labitur, cum ipsi quidpiam obstat.

2.) Extensio pertinet ad essentiam corporis sed in compenetratione corporis perit extensio: ergo in compenetratione corporis ejus essentia periret. Atque id de omni ea extensione, quam corpus ante compenetrationem habet, intelligendum est; nam omnino repugnat, ut sit corpus ita extensum absque extensione partium, ut ajunt, integralium.

℣. *d.M.* Extensio *partium essentialium* pertinet ad essentiam corporis, *c.M.* extentio *partium integralium*, *n.M.* et sic *d. m. n. cons.* Partes *essentiales* voco ipsa elementa, ex quibus immediate corpuscula primitiva conflantur, horumque elementorum positio extra se invicem est extensio partium essentialium, quae utique ad essentiam corporis pertinet; cum per eam non modo ratio compositi, sed species etiam corporis determinetur (§.48. cor. 1.). Partes denique *integrales* sunt mihi corpuscula ipsa tum primitiva, tum derivativa, propterea quod haec integritatem solum massae, et magnitudinem voluminis pertinent: nam ablatis quoque aliquot ejusmodi corpusculis manet adhuc ejus speciei corpus, ut patet in massa auri, quae etiam dissecta rationem auri conservat. Sicut porro ipsae partes integrales non sunt de essentia corporis, ita neque earum extensio, sive positio extra se invicem ad eam essentiam pertinet; quare tametsi in compenetratione positio partium integralium tollatur, aut immutetur, nihil tamen propterea de essentia compositi, aut corporis ejus speciei decedit. Quamquam nec istud in omni compenetratione evenire necessum est; potest enim, exempli caussa, globus aureus cum globo argenteo compenetrari salva in utroque partium integralium extensione. Unde patet, quam infirmum sit hoc argumentum ab extensione corporis petitum. Id, quod additur, rursum distinctione dissolvo; repugnat, ut sit corpus ita extensum *reduplicative* sumtum absque extensione partium integralium *c. specificative* sumtum, *n. Reduplicatio*, ut ait Chawinus, (*Lex. phil. hoc cit.*) est quaedam conditio posita in propositione determinans, aut indicans rationem, qua praedicatum attribuitur subjecto, exprimiturque fere his particulis, *ut, quatenus, qua, qua tale, qua ratione.* Fit igitur reduplicatio, cum subjectum aliquod una cum modo, seu forma sua tamquam

unum aliquod compositum consideratur, ita ut modus ipse illius compositi essentiam ingrediatur, sic verbi gratia: si considerem hominem doctum *ut* doctum, considero velut quoddam compositum, quod tam per hominem, quam per doctrinam essentialiter constituitur, licet doctrina ad essentiam hominis *specificative*, id est in re solum spectati nequaquam pertineat. Pari ratione corpus ita extensum spectari potest vel *reduplicative*, *ut* est ita extensum, vel *specificative*, *quod* nunc est ita extensum; priori modo consideratum non potest quidem esse absque extensione partium integralium, quin haec illius essentiam pertineant; verum hoc minime obest; neque enim dicimus corpus ita extensum, *ut est ita extensum* compenetrari posse, secum ipso videlicet, nam posse cum alio paullo ante dictum est; sed dicimus corpus, *quod est ita nunc extensum* compenetrari posse, non quidem manente tota hac extensione, seu volumine, sed imminuto.

3.) Si duo corpora compenetrari possent, possent etiam compenetrari duae substantiae; atqui hoc evidenter repugnat; nam de essentia substantiae est existere extra alteram; sed substantia compenetrata non existit extra alteram; ergo *M. p.* 1. omnis substantia ex essentia sua ab altera distinguitur; sed quod ab altero distinguitur, existit extra alterum; ergo: 2. Unicum discrimen inter substantiam, et accidens in eo ponitur, quod hujus proprium sit inesse, seu inexistere, cum accidens non habeat existentia substantiae, neque ab hac separatum existere pergat.

℟. 1. Tametsi daremus Leibnitianis, quorum haec est argumentatio, substantias compenetrari non posse, nihil tamen contra compenetrationem corporum inferri posset cum ad eam necesse non sit, ut umquam duae substantiae compenetrentur (§. 60.). Sunt equidem qui mecum hac de re non consentiunt. Ego autem sic existimo: corpus *a* cum corpore *b vere, et proprie* compenetrandum fore si illud ita in hoc existeret, ut singula illius elementa, persistente tamen mutuo nexu, in intervallis vacuis elementorum alterius ponantur; sic enim arguo: compenetratio (vera) est (vera) simultanea duorum entium in eodem loco coexistentia (§. 56.); sed in hac hipothesi haec duo corpora, etsi ipsorum elementa non compenetrarentur, vere in eodem loco existerent: igitur vera foret compenetratio non quidem elementorum sed ipsorum corporum. Ceterum siquis pertinacius contendat, eam compenetrationem *impropriam, aut apparentem* dici debere, non amplius repugnabo logomachiam veritus; si modo eamdem fieri posse profiteatur: istud quippe meo proposito plane satisfacit.

℟. 2. *tras. M. n. m.* ad prob. *d. M.* de essentia substantiae est existere extra alteram id est, *existere per existentiam distinctam, et sibi soli propriam c. M.* de essentia substantiae est existere extra alteram, id est, *distinctum locum occupare*, *n. m.* et sic *d. m. n. cons.* Cum existentia actualis revera non distinguatur ab essentia actuali (ont. §. 55.), necesse utique est ut sicut quaevis sub-

stantia habet distinctam essentiam, ita etiam habeat distinctam existentiam, sibique soli propriam; verum inde minime infertur, eam in distincto quoque loco necessario existere. Neque inter locum, et existentiam ulla est paritas; existentiam enim est forma interna realiter cum essentia, ut ajunt, identificata: sicut igitur essentia incomunicabilis est, nec duabus simul substantiis communis esse potest, ita idem pariter de existentia affirmandum est. Contra locus realis, cum sit determinatus modus coexistendi simultaneis (ont. §. 208.), est respectus duntaxat externus, qui substantiam interne non afficit, nec quidquam in ea mutat: quare fieri potest, ut hic respectus in pluribus substantiis simul communis, quemadmodum respectus ad successiva omnibus illis substantiis communis est, quae eodem tempore simul existunt.

Ad id, quod ulteriore probatione primo loco ponitur, ajo, praecario sumi a Leibnitianis illa tantum distincta esse, quae distinctis in locis existunt; immo hoc ipsum hic in quaestione versatur; unde absque vitio circuli opponi non potest. Deinde numquid accidens distinguitur a substantia, in qua inhaeret? existitne illud propterea in loco distincto? certe, qui identitatem, et distinctionem entium ab identitate, et distinctione loci repetunt, non habent, unde ipsam hanc loci identitatem, et distinctione explicent. Quare illa solum distincta dici debent, quae ipsum *hoc esse* commune non habent (ont. §. 63.); unde omnis substantia ex essentia sua, et per essentiam suam ab alia distinguitur, seu in diverso, seu in eodem cum altero loco existat (vid. §. 60.).

Ad alterum: discrimen inter substantiam, et accidens istud est: substantiam per se existit, nulloque subjecto inhaesionis eget; contra accidens non potest existere sine substantia, in qua velut subjecto inhaeret, et a qua ita in existendo pendet, ut ab ea separatum continuo pereat. Est porro hic modus, quo accidens substantiae *inexistit*, longe diversus ab eo quo substantia alteri, quacum compenetratur, *inexistit*; substantia enim compenetrata eumdem modum existendi, quem ante compenetrationem ut substantia habuit, retinet: permanente nempe eadem essentia perseverat eadem existentia. Turpe igitur aequivocationis vitium in vocabulis *inesse*, *inexistere* hic committitur, super quo tamen velut firmissimo fundamento suum Leibnitiani systema aedificant.

4.) Si duo extensa abstracta concipiantur compenetrari, ex duobus extensis unum efficitur: igitur etiam idem fiat duabus substantiis, aut extensis concretis, necesse est, si compenetrentur. Ita arguit Antonius Genuensis (*Elem. met.* p. 1. §. 61. *sch.*). *Si duae substantiae formaliter extensae se penetrent omnimoda compenetratione, erunt una, eademque substantia. Nihil esse potest apertius. Quis enim ut simili exemplo utar, duos globos ejusdem mollis* a, b *compenetratos in eumdem habeat pro distinctis? nisi fortasse, qui nondum intelligere potuit, quid sit res distingui. Sane ut duae extensiones penetratae sunt ea-*

dem extensio, ita duae substantiae extensae penetratae eodem substantia. Tum ulterius prosequitur: *Proprietates separari a substantiam nequeunt: ergo cum miscentur in duobus extensis compenetratis, necesse est, ut et ipse sese compenetrent, id est, ut sibi se mutuo communicent, atque ut unum sint idemque loco, et tempore, quemadmodum duae illae substantiae looo, et tempore sunt unum. Capiatur cubus vitri, atque cum aequalis cubo auri compenetretur, erunt loco, ac tempore eodem unus idemque cubus extensi. Dicas nunc proprietates in his duobus cubis non compenetrari: erit malleabilitas auri aut loco, aut tempore distincta a fragilitate vitri, quod qui concipit, simul concipiet duos illos cubos compenetratos non unum, sed duos esse extensi cubos.* Ita ille velut ex tripode (*Loc. cit.* §. 23.).

℟. Imprimis non intelligo, quid sit substantia formaliter extensa; nam ut ipse docet: *substantia nequit esse nisi simplex*: Deinde disparem rationem assigno, extensum in abstracto, cum nihil sit reale, nihil habet, nisi quod ipsi mens nostra tribuit; concipimus autem nihil prorsus nisi meram extensionem, vel in longum tantum, vel etiam in latum, vel simul in profundum. Inde fit, ut cum ejusmodi extensionem cum altera compenetrari cogitamus, nihil amplius sit, per quod una ab altera discernatur, non enim possumus ideam animo informare, per quam duae lineae mathematicae in eodem loco existentes, ut duae, repraesententur, quemadmodum nec duas sectiones ejusdem tabulae in eodem loco existentes concipere possumus. Contra duae substantiae, vel duo extensa concreta, id est, duo corpora, si compenetrentur, servant omnia eadem, per quae antea discernebantur; servant nimirum suas vires activas, eruntque proinde adhuc duo repellentia, duo attrahentia, duo inertia, duo mobilia, verbo duo globi, *a*, et *b*. Neque enim hae, et similes proprietates a loco, aut ab extensione partium integralium pendent. Fieri fortasse posset, ut nos duos globos *a*, et *b* compenetratos discernere non valeamus; verum non quaeritur, quod nobis sensibusque nostris appareat, sed quid in se sit, quidque intellectus infinitus perspicere debeat.

Nec plus roboris ea continent, quae sequantur. Certe sicut in eodem corpore, vel in eadem substantia multae sunt proprietates distinctae, quin inter sese commisceantur, ita possunt aeedem proprietates manere inter se distinctae in duabus substantiis, vel corporibus compenetratis. Praeterea a veritate alienum est, idem sonare, *esse unum idemque loco, et tempore, et inter se commisceri*, atque de hoc ipso quaestio vertitur; quaerimus enim, utrum, si compenetratio fieret; proprietates unius substantiae cum proprietatibus alterius confunderentur, et commiscerentur; tametsi lubentes demus, easdem proprietates et loco, et tempore unum idemque esse. Nam istud non aliud significat, quam has proprietates eodem tempore in eodem loco existere, quod neutiquam im-

Digitized by Google

pedit, ut eae non in diversis subjectis inhaereant. Profecto vel ex eo, quod ipso fatente proprietates a substantia separari nequeant, manifeste sequitur, quamlibet proprietatem etiam facta compenetratione suae substantiae inhaesuram: cum hic nihil mutetur, nisi locus, qui utpote respectus externus internam subjecti constitutionem, aut ejus proprietates minime afficit. Atque hinc apparet sophisma esse, non argumentationem, quo Genuensis utitur. Ait ex substantiis duabus compenetratis fieri *unicum*, idque intelligit *quoad tempus*, et *locum*. Neque vero contra hoc pugnamus; sed id ipsum asserimus: quid enim est compenetrari, nisi *unum fieri quoad tempus*, et *locum*? Et quid hic absurdi latet? Nonne substantiae, quae ante compenetrationem simul extiterunt, erant *unum quoad tempus*? Cur igitur non possent etiam simul esse *unicum quoad locum*, ita tamen ut reapse, et in se maneant duae substantiae? In casu igitur proposito duo illi cubi compenetrati erunt duo, et quivis suas retinebit proprietates, ita ut malleabilitas, auri in cubo aureo, et fragilitas vitri in cubo vitreo futura sit; sed locus erit utrique communis.

5.) Si compenetratio corpori esset possibilis, posset corpus compenetrari secum ipso usque ad punctum quoddam spatii: sed hoc fieri nequit, etsi poneretur punctum illud extensione gaudere; omne enim corpus est ens compositum: ergo essentia omnis corporis est talis nexus talium partium; sed in hoc casu tolleretur talis nexus talium partium: ergo.

℟. *d. M.* Si compenetratio corporum esset possibilis, posset corpus compenetrari secum ipso usque ad punctum quoddam spatii *extensum* adhuc, et *divisibile*, seu accuratius loquendo, ad *spatiolum aliquod minimum*, *c. M.* ad punctum quoddam *simplex*, et *individuum*, *n. M.* et sic *d. m. n. cons.* Ratio est, quia, cum corpus etiam compenetratum debeat manere corpus, necesse est, ut saltem omnia corpuscula primitiva illaesa permaneant; nam si et ista dissolverentur, nec corpus absolute, nec hujus speciei amplius adesset: sed sola remanerent elementa, ex quibus corpus antea componebatur, quae si ad contactum mutuum pervenirent, omnia simul in uno individuo puncto spatii consisterent. Jam vero, etsi ponamus omnia corpuscula primitiva alicujus massae ante sensibilis intra se existere, egebunt tamen spatiolo quodam dividuo in tot nempe partes, in quot ipsum illud corpusculum secari potest: igitur corpus quodvis potest per compenetrationem redigi ad minimum quoddam spatiolum, nullo tamen pacto ad punctum spatii individuum. Idem cum proportione dicendum de corpore heterogeneo, seu tali, quod ex diversae speciei corporibus coalescit; hac quippe in hypothesi omnia omnium diversarum specierum corpuscula primitiva solvi deberent. Cum autem dico, corpus posse usque ad spatiolum uni corpusculo primitivo respondens compenetrari, nihil ipsius essentiae contrarium admitto, unde ad probationem.

Ajo: *c. ant. d. cons.* ergo essentia omnis corporis est talis nexus talium partium *essentialium*, *c. cons. integralium*, *n. cons.* et sic *d. m. sub. n. cons.* Quid per partes *essentiales*, et *integrales* intelligam jam supra (n. 2.) insinuavi. Patet porro in praesenti casu solum partium integralium nexum tolli, non item essentialium; nam cum secundum dicta omnia corpuscula primitiva integra permaneant, permanet etiam nexus elementorum, qui essentiam, et speciem corporis constituit. Atque ex his colliges: 1. non prorsus a vero aberrasse Cartesium, dum essentiam corporis in extensione constituit; nam revera sine omni extensione nullum corpus esse potest, cum omne corpus sit ens compositum; 2. illos contra aut improprie loqui, aut omnino a veritate deflectere, qui ajunt posse corpus per absolutam Dei potentiam usque ad unicum punctum compenetrari, et tamen manere corpus; 3. illorum denique obscurum esse sermonem, qui docent corpus compenetratum existere definitive (ont. §. 201. schol.); falsum enim istud est, si partes essentiales intelligantur: comparate tamen ad partes integrales aliquo sensu sustineri potest; nam si plura corpuscula primitiva intra sese existant, iisdem simul sumtis eadem pars spatii imaginarii respondere concipietur.

Ad extremum dicet fortasse aliquis; omnia, quibus compenetrationis possibilitatem evincere adlaboravi, argumenta in recenti hoc de corporum genesi systemate inniti, quod tamen etiam nunc in acrem a philosophis disceptationem vocatur. At vero demus systema hoc nondum absoluta certitudine pollere, nemo certe adeo inimicus erit, ut illud etiam possibilitate expoliet. Jam vero vel sola systematis hujus possibilitas compenetrationis quoque possibilitatem satis commonstrant; clare enim inde colligitur, compenetrationem corporum in se spectatam nequaquam repugnare; id quod mihi unice demonstrandum sumsi. Deinde ulterius argumentando progredi licebit: si nos imbecilli nostra intelligentia vel unum modum detegere possimus, quo corporum compenetratio effici queat, dubitari non potest, quin innumeri alii sint, nobis quidem ignoti, at infinito intellectui optime perspecti, quibus idem obtineri possit. Quare non est, cur Deo hanc potentiam denegemus. Sed jam ad alteram hujus capitis partem transeamus.

QUID REPLICATIO? — QUAE QUAESTIO?

LXIII. *Replicatio* est simultanea ejusdem entis in duobus, vel pluribus locis existentia.

Schol. Hic rursus de ente infinito sermo non est: illud enim ab essentiali sua immensitate habet, quod utique praesens adsit. Porro tametsi de ente generatim definito data sit, quaestio tamen haec comprimis ad corpora pertinet ob rationem supra allatam. Quaerunt igitur, utrum per absolutam saltem Dei potentiam unum idemque corpus eodem temporis momento in pluribus locis existere queat; nam spectatis naturae viribus id fieri nequaquam posse

quotidiana experientia docet, cujus testimonium si rejiciamus, nihil amplius in rebus naturalibus certum erit.

LXIV. *Multiplicato loco non multiplicatur ipsum corpus.* Multiplicato loco solum multiplicatur respectus quidam ad coexistentia simultanea (ont. §. 208.) corpori ipsi externus, sed multiplicato id genus respectu externo corpus ipsum non multiplicatur, quemadmodum patet in corpore per plura temporis momenta in eodem loco, vel successive in pluribus locis existente, quod certe unum idemque permanet, ergo multiplicato loco non multiplicatur ipsum corpus.

LXV. *In replicatione corpus unum non evadit multiplex.* Si in replicatione unum corpus evaderet multiplex, id fieret ob locum multiplicatum: sed ob multiplicatum locum ipsum corpus non evadit multiplex (§. praec.): ergo in replicatione unum corpus non evadit multiplex.

IN REPLICATIONE NULLA EST CONTRADICTIO.

LXVI. *In replicatione corporum nulla est contradictio.* Si in replicatione corporum aliqua esset contradictio, illa foret in eo, quod unum corpus evadat multiplex, in quo omnes fere adversarii consentiunt: sed in replicatione unum corpus non evadit multiplex (§. praec.), ut inscite pronunciat Clericus (*Praef. ad Ont.*); ergo in replicatione corporum nulla est contradictio.

Coroll. 1. Igitur replicatio corporum in se possibilis est (ont. §. 39.), ac per absolutam Dei potentiam effici potest (ont. §. 36. cor. 2. 3.).

Coroll. 2. Ex eo, quod in sacrosancto Eucharistiae mysterio sanctissimum Christi Corpus in pluribus locis simul existat, nullum peti potest argumentum, quo heterodoxi catholicum dogma impugnant.

RESPONDETUR OBJECTIS.

Schol. Huc quoque pertinent ea, quae supra (§. 62. schol. 1.) monui. Mearum nimirum partium non est positiva ratione comprobare, nullam in replicatione corporum contradictionem latere; id enim per sese inde consequitur, quod nulla in hunc usque diem aperta contradictio demonstrata fuerit: levia certe sunt, quae in contrariam partem adferuntur, ut mox videbimus. Ajunt enim.

1.) Certum est illa esse realiter distincta, quae distinctis in locis existunt: replicatio igitur corporum contradictionem involvit: *ant. p.* Certum est illa esse realiter distincta, quae separata sunt: sed illa, quae distinctis in locis existunt, sunt seperata: ergo. Accedit, quod separabilitas quoad locum sit nota certissima realis distinctionis; atqui in iis, quae distinctis in locis existunt, habetur separabilitas quoad locum: igitur in illis quoque distinctio realis datur.

℟. *d. ant.* Certum est *physice* illa esse realiter distincta, quae distinctis in locis existunt, *d. ant.* etiam *metaphysice neg. ant. et cons.* Certitudo haec experientia solum nititur, ac proinde physica tantum est; experientia enim docet duntaxat, quid secundum communes naturae leges et fiat, et fieri debeat; id vero non prohibet, quo minus Deo sic volente contrarium quandoque efficiatur.

Quemadmodum cum video tegulam ex tecto decidentem, certus quidem sum physice, eam ad terram usque lapsuram; interea tamen in se non repugnat, ut in aere suspensa haereat.

Ad. prob. c. M. d. m. si secundum communes naturae leges sic existant, *c. m.* secus *n. m. d.* etiam *cons.* Quae separata sunt, aut separari possunt, illa sunt reapse distincta, atque hoc nobis certitudine etiam metaphysica constat; repugnat enim, ut aliquid a se ipso separetur. Porro quae secundum communes naturae leges in distinctis locis existunt, sunt in se separata, quemadmodum loca, in quibus ita existunt, a se separantur: et de hoc quoque certitudo metaphysica habetur. Unde metaphysice certum est ea; quae distinctis in locis naturaliter existunt, reipsa distincta esse. At vero, utrum, quae distinctis in locis existunt, naturaliter existant, certitudine metaphysica scire nequaquam possumus; cognitio enim, quae hic habetur, sensibus solum comparatur. Jam autem corpus in duobus locis per replicatione existens non separatur a se ipso, tametsi loca sint separata: ad hoc enim, ut aliquid ab altero separetur, requiritur, ut illud ibi non sit, ubi est alterum; corpus vero replicatum existens in uno loco non abest a se ipso existente in alio loco. Paritas a tempore haec insigniter illustrat: illa tantum tempore a se separantur, quorum alterum non existit eo tempore, quo existit alterum; at vero, ubi idem corpus per plura temporis momenta perdurat, non utique ipsum vigesimo momento existens separatur a se ipso primo momento existente, etsi momenta inter se separata, et distincta sint.

Ad id, quod additur rursus *d. M.* hoc sensu: quod ea sint distincta quorum alterum potest existere in determinato loco non existente illic altero, *c. M.* hoc sensu: quod omnia ea sint distincta, quaecumque in distinctis locis qua demum cumque ratione existunt, *n. M.* et sic *d. m. n. cons.* Sume corpus *a*; si istud existere possit in loco *c*, quin in eodem simul existat corpus *b*, aderit nota certissima realis inter *a*, et *b* distinctionis. Id autem in replicatione non contingit; si enim corpus *a* ex loco *c* replicetur in locum *d*, corpus *a* non potest existere in loco *d* sine illo, quod existit in loco *c*, id est, sine se ipso. Inde cum video corpus *a* existere in loco *c*, et aliud prorsus simile *b* in loco *d*, scio quidem adesse separabilitatem quoad locum, seu realem locorum separationem; non tamen metaphysice certus sum corpus *a* a corpore *b* realiter distingui, cum haec distinctio fundetur solum in naturae legibus, quas permutare Deo liberum est. Patet igitur non omnem separabilitatem quoad locum certissimam notam distinctionis realis esse.

1.) Si corpus quodpiam simul in locis *a*, et *b* existeret, distaret illud a se ipso; atqui hoc absurdum est: ergo. *M. p.* loca *a*, et *b* distarent: ergo etiam corpus in iis existens, *c. p.* ideo loca *a* et *b* distarent, quia locus *a* haberet aliam relationem ad coexistentiam, quam locus *b*; sed etiam corpus in loco *a* existens alia haberet relationem, quam corpus in loco *b* existens: ergo si.

℞. *n. M.* Non enim corpus distaret a se ipso; sed ipsum in locis distantibus simul existeret. Ad *prob. c. ant. n. cons.* ad hujus *prob. d. M.* ideo *duntaxat*, *n. M.* ideo et *simul*, quia relationem ad coexistentia, quam haberet locus *a*, non etiam haberet locus *b*. *c. M.* sic *d. m. n. cons.* Disparitas in eo sita est: imprimis eam relationem ad simultanea, quam habet locus, *a* non haberet quoque locus *b*; deinde etiam inter puncta spatii imaginarii, quae duobus his locis *a*, et *b* responderent, duci posset linea, quae distantiam et designaret, et metiretur; ex quibus colligitur loco *a*, et *b* distare. Contra corpus, etsi per replicationem existens in loco *b* aliam relationem habeat ad coexistentia, quam idem corpus, *prout* in loco *a* existit, habet tamen simul eamdem relationem, quam habet corpus, *quod* in loco *a* existit, cum sit idem. Inde vero tantum sequitur, idem corpus duas simul diversas relationes ad coexistentia habere; id est in duobus locis simul existere, sicut cum idem corpus successive diversas relationes ad distincta temporis momenta habet, non sequitur illud a se distare; sed tantum in diversis momentis existere.

3.) Si corpus *a* posset replicari, posset illud alteri *b* simul esse contignum, et simul ab eodem distare, sed hoc repugnat: ergo.

℞. *d. M.* respectu *diversi* loci, *c. M.* respectu *ejusdem* loci *n. M.* sic *d. m. n. cons.* Fateor in uno eodemque loco non posse corpus *b* contingi a corpore *a*, et simul non contingi, hinc enim idem affirmaretur et negaretur de eodem subjecto sub eodem respectu; at vero mutato respectu, et multiplicato loco haec contradictio cessat: patet id ex duabus propositionibus, quae in hoc casu verae forent, quaeque nequaquam contradictoriae sunt, videlicet: *corpus* a, *prout existit in loco* c, *contingit corpus* b, et *corpus* a, *prout existit in loco* d, *non contingit corpus* b. Generatim hic probe notandum est, ex eo, quod quaepiam absurda videantur, et convenire nequeant corporibus, prout ipsa secundum naturae leges uno tantum loco existunt, indubitanter colligi non posse, ea ita absolute repugnare, ut nec corporibus replicatis competere queant: si enim eorum repugnantia ab unitate duntaxat loci pendeat, quod saepissime evenit, necesse est, ut hac unitate per replicationem sublata et ipsa tollatur.

4.) Facta replicatione posset idem corpus moveri motibus contrariis, in uno loco versus ortum, in altero versus occasum, quod rursus repugnare ita ostendunt, nequit idem corpus eodem loco moveri simul versus ortum, et occasum: ergo neque in diverso loco *c. p.* Ideo *primum*: quia inde sequeretur idem corpus moveri versus ortum, et simul non moveri; sed idem sequeretur in casu altero: ergo si.

℞. *n.* Assertum. *Ad. prob. c. ant. n. cons.* Ad hujus *prob. d. M.* sub *eodem* respectu, *c. M.* sub *diverso* respectu *n. M.* sic *d. m. n. cons.* Nempe etsi idem corpus non replicatum motibus contrariis ferri nequeat, potest idem tamen contingere corpori replicato, cum ob diversitatem locorum respectus mutetur. Etenim posita replica-

Digitized by Google

tione solum sequitur, idem corpus moveri versus ortum *positive*, et non moveri versus ortum *exclusive*, id est, ita in uno loco moveri versus ortum, ut non excludat, seu impediat motum versus occasum pro alio loco. *Movetur igitur corpus in loco* a *versus ortum positive, et non movetur in loco* a *versus ortum exclusive*: rursus, *idem corpus in loco* b *movetur versus occasum positive, et in eodem loco* b *non movetur versus occasum exclusive*, quae enunciationes, ut facile patet, non sunt contradictoriae. Ceterum de motu plane laborandum non videtur: novimus enim idem corpus non replicatum comparate ad alia moveri posse, dum comparate ad alia quiescit, ut evenit homini in navi sedenti, dum ea secundo flumine decurrit.

5.) Corpus in locis *a*, et *b* existens circumscriberentur loco *a*, et simul non circumscriberetur; atqui hoc utique contradictorium est; ergo.

℞. *d. M.* Corpus in locis, *a*, et *b* existens circumscriberetur loco *a*, et simul non *solo* loco *a* circumscriberetur, *c. M.* circumscriberetur *solo* loco *a*, et simul *solo* loco *a* non circumscriberetur, *n. M.* sic *d. m. n. cons.* Corpus replicatum tot locis circumscribitur, id est, circumscriptive existit, in quot locis replicatur; nam in omnibus locis ejus partes diversae diversis partibus spatii imaginarii commensurantur; quod proprie est circumscriptive existere (ont. §. 201. sch.). Inde corpus replicatum circumscriptive existit in loco *a*; sed non *solum* in loco *a*, cum etiam circumscriptive existat in loco *b*. Quod si per *circumscribi loco* cum Chawino (*Lex Philip. hoc. cit.*), aliisque intelligas *loco contineri*, et quasi *ejus termini concludi*, ajo: corpus existens in loco *a* continetur, concluditur, seu circumscribitur loco *a positive*; et non continetur eodem loco *exclusive*: id est: ita totum corpus continetur loco *a*, ut simul non excludatur, seu impediatur, quominus etiam totum loco *b*, et alio quovis contineri possit, non quidem secundum communes naturae leges, sed per efficacissimam Dei easdem immutantis voluntatem.

Atque haec ad comprobandam tum compenetrationis, tum replicationis possibilitatem dicta sufficiant: curiosius porro inquirere, quid admissa compenetratione, et replicatione fieri possit, aut non possit; quae nominatim adjuncta repugnent, quo determinate modo eae efficiantur, nec utile, nec necessarium est; is solus ea novit, qui omnia novit, et efficere potest. Philosophi duntaxat est, hanc Deo potentiam tribuere; cetera illi relinquat, oporteret. Quod ab omni dubio longissime removetur, istud est, Deum lusus, aut loci caussa contra stabilitas naturae leges nihil moliri: quare injuria afficit supremum naturae Auctorem qui ab ejusmodi quaestionibus, quae verae solum Religionis ab obtrectatorum calumniis vindicandae gratia agitantur, ad examinandas inutiles nugas deflectit.

SECTIO II.

DE PERFECTIONE MUNDI.

EXTAT PRINCIPIUM PERFECTIONIS MUNDI.

LXVII. Posita perfectione entis principium quoque perfectionis ponendum est (ont. §. 89. cor.): si igitur mundo perfectio competat, necesse est, ut hujus perfectionis principium extet.

ILLUD QUO EST FINIS DEI CREANTIS -- HOC LOCO INVESTIGANDUS -- FINIS DEI EST ETIAM FINIS MUNDI.

LXVIII. *Principium perfectionis mundi est finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit.* Principium perfectionis mundi est illud, ad quod obtinendum omnia tendunt, quae in mundo insunt (ibid.): ergo etiam illud, quod Deus tam per ipsam creationem, quam per mundum a se conditum tamquam medium consequitur; sed id, quod agens per suam actionem, et per medium, quo utitur, obtinet, est agentis finis (ont. §§. 158. 162.): ergo principium perfectionis mundi est finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit.

Coroll. Ergo cum de perfectione mundi agitur, finis, quem Deus in ejus procreatione sibi proposuit, investigandus est.

Schol. Hunc Dei creantis finem vulgo finem quoque mundi dicimus, neque id sine ratione; finis enim agentis est etiam finis medii, quo agens ad eum consequendum utitur: certe medium, quod quis ad aliquid obtinendum eligit, vel ex natura sua, vel ex intentione saltem eligentis, potissimum utroque ex capite ad eumdem finem dirigitur.

QUOTUPLEX MUNDI PERFECTIO -- QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

LXIX. Perfectio hujus mundi vel comparate solum ad suum finem, vel comparate ad alios mundos possibiles spectari potest: priori respectu oritur perfectio mundi suo in genere (ont. §. 93. sch. n. 5.); posteriori autem quaestio enascitur, utrum hic mundus inter omnes possibiles perfectione excellat, sive, ut ajunt, omnium possibilium optimus sit (ibid. n.1.). Haec tria praesentem sectionem absolvent.

Schol. Velim ab iis, qui verentur, ne argumenti hujus pertractatione in cosmologia in leges methodi peccetur, metum poni, principia enim, quae sequentes demonstrationes ingredientur, aut jam ex ontologia, ubi de summa entis necessarii, et infiniti, quod Deus est, perfectione actum est, nota sunt, aut ex theologia non precario, sed lemmatice (§. 119. log.) sumentur. Ego certe e re discentium potius esse opinor, ut veritates connexae serie non interrupta proponantur.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Fine Dei Mundum Creantis.

QUID GLORIA DEI INTERNA ET EXTERNA?

LXX. *Gloria* Dei *interna* est collectio infinitarum ipsius perfectionum, sive infinita naturae illius excellentia. *Gloria* Dei *externa* ea est, quae ex earumdem perfectionum manifestatione enascitur.

DEUS IN CREANDO MUNDO FINEM INTENDIT -- QUI EST ALIQUID IPSI BONUM NONDUM POSSESSUM -- AC CONSISTIT IN MANIFESTATIONE PERFECTIONUM CERTIS LIMITIBUS CONSTRICTA.

LXXI. *Deus in procreatione mundi finem aliquem sibi praestituit.* Omnis caussa intelligentia, et sapientia pollens, cum agit, aliquem finem sibi praestituit: id enim sapientiae leges postulant: certe sine fine agere non nisi insipientium est; sed Deus est caussa, intelligentia, ac sapientia, quidem infinita pollens: igitur Deus cum egit, mundumque procreavit, finem aliquem sibi praestituit.

LXXII. *Finis quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, est aliquid ipsi bonum nondum possessum.* Imprimis utrumque ex eo perspicuum fit, quod universim finis semper sit consecutio alicujus boni, quod per actionem intenditur (ont. §. 160. cor. 1.). Deinde primum sic conficitur: cum omne bonum pro ratione bonitatis amandum sit, bonum infinitum, infinitum quoque amorem meretur: igitur Deus se ipsum, ut bonum infinitum, infinite amet: necesse est, siquidem sapienter amet: atqui Deus se ipsum infinite non amasset, si non aliquid sibi bonum pro fine in creatione mundi constituisset; amasset enim magis illud, cujus bonum quaesivisset: ergo finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, est aliquid ipsi bonum.

Coroll. Cum infinitas suas perfectiones Deus ab aeterno, et necessario possideat, evidens est, gloriam internam non esse finem creationis.

LXXIII. *Finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, est manifestatio suarum perfectionum, sive gloria externa.* Finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, est aliquid ipsi bonum (§. praec.); sed praeter gloriam internam, et externam nihil potest esse Deo bonum, cum ipse, utpote ens infinitum prorsus a nullo pendeat (ont. 228.): igitur finis, quem Deus in procreatione mundi sibi praestituit, est vel gloria ejus interna, vel externa, vel utraque simul; atqui gloria interna esse nequit (§. praec. cor.): restat ergo, ut sit externa, seu manifestatio suarum perfectionum.

Schol. Cum ajo, manifestationem divinarum perfectionum finem esse creationis; non propterea absolute excludo beatitatem creaturarum rationalium: verum haec est finis solum secundarius, et intermedius: illa vero primarius, et ultimus; ex beatitate enim creatorum entium manifestatio divinarum perfectionum complete denique enascitur, quemadmodum contra Darlesium solide nuper Krebsius (*Comment. phil. de fine creation.*) demonstravit. Alii

Digitized by Google

quidem haec pro eodem fere habent; inde Cudwortus (*Syst. intell. c. 5, s. 5. §. 20.*) ait: *respondemus incredibilem ejus bonitatem, qua permotus fuit, ut alias quoque praeter se naturas beatas, et felices esse cuperet, tanti operis ipsi incitamentum fuisse, quod dum ponimus, minime cum illis pugnamus, qui Deum gloriae, et honoris sui caussa naturam rerum fabricatum esse opinantur. — Neque tamen sanus quispiam dixerit, Deum ideo unice fabricatum esse hanc rerum universitatem, ut potentiae, ac sapientiae suae specimen ederet, eoque sese jactaret, fecit eam, ut bonitatem (Adnot. in loc. cit.) suam cum aliis communicaret, quae vere, ac proprie gloria ejus est.* Consentit Moshemius: *Non repugnant inter se, qui Deum ideo hunc mundum creasse statuunt, ut bonitatis suae fructus cum aliis communicaret, et qui gloriam suam in fabricatione mundi spectasse perhibent; nam dum homines, et mundum Deus condidit, ut haberet quibus benefaceret, simul gloriam suam stabilivit; dumque gloriam suam in mundo declaravit, hominum simul saluti consuluit.*

LXXIV. *Manifestatio divinarum perfectionum, quam Deus sibi pro fine in creatione mundi constituit, nequit esse omnium possibilium maxima.* Cum perfectiones divinae infinitae sint, necesse est, ut careant gradu ultimo (ont. §. 72.), ac proinde quocumque gradu ipsarum assignato, vel mente concepto alius semper, et alius sine fine superest, qui assignari, aut mente concipi possit: igitur etiam eaedem perfectiones divinae semper magis, ac magis manifestari possunt, ita ut in hac manifestatione numquam ad gradum ultimum perveniri queat; sed posita quacumque manifestatione quantumcumque magna, et excellente alia adhuc, quin aliae in infinitum majores, et excellentiores possibiles supersint; atqui si ita; evidens est, manifestationem divinarum perfectionum omnium possibilium maximam absolute repugnare: ergo manifestatio divinarum perfectionum, quam Deus sibi pro fine in creatione mundi constituit, nequit esse omnium possibilium maxima.

Coroll. Igitur Deus per mundum a se conditum in determinato quodam grado, ac certos intra limites perfectiones suas manifestari voluit.

Schol. 1. Veritas haec, qua una celebrata illa Leibnitii, Wolfiique de mundo optimo opinatio, funditus evertitur, quod deinceps viderimus, ipsi quoque imaginationi quodam modo sisti potest. Fingamus extensionem realem infinitam existere, eamque a nobis alteri cuipiam exhibendam esse; fierine poterit, ut tota, quanta est, umquam repraesentetur? nonne quantumcumque magna illius portio fuerit exhibita, aliud tamen semper, et aliud exhibendum restabit? anne possibilis erit manifestatio hujus extensi maxima? quod autem extenso ejusmodi, quod per aliquam solum intellectus fictionem concipimus, eveniret, id reapse verum est, cum agitur de perfectionibus divinis, quae nullos intensionis suae limites ad-

mittunt. Profecto manifestare maxime perfectionem infinitam est eamdem exhaurire, quod notioni infiniti repugnat. Luce igitur meridiana clarius est infinitos esse modos, nullumque inter ipsos absolute maximum, quibus Deus perfectiones suas per res creatas patefacere possit: quare Deus non potuit eligere aliquam manifestationem, nisi ita, ut infinitas alias et nobiliores, et inferiores relinqueret; unde omnem ipsi procreandarum rerum potentiam adimunt, qui eum ad eligendam manifestationem maximam adstringunt. Cur autem Deus hanc potius, quam aliam determinaverit, a suprema ipsius libertate pendebat, nec quisquam rationes perscrutari attentabit, nisi qui, ut Genuensis loquitur, putet tantum sciri posse, quantum quaeri. Sed jam nonnulla dubia contra superiorem assertionem expendamus.

OCCURRITUR DUBIIS.

Schol. 2. Ajunt 1.) Si Deus in procreatione mundi manifestationem suarum perfectionum pro fine constituisset, tum Deus ipse esset aliqua ratione finis entium creatorum, atqui hoc videtur absonum, inter Deum enim, et entia creata nulla est proportio.

℟. *c. M. n. m.*; additam vero rationem *d.* inter Deum, et entia creata nulla est proportio *ratione perfectionis, c.*; *ratione connexionis n.* Deus utique, ut manifestandus, et glorificandus, est finis omnium entium creatorum, jam enim supra (§. 68. sch.) docui, finem Dei rectissime quoque finem mundi dici. Deinde tametsi entia creata, si quoad perfectiones suas spectentur, infinite ab interminata Dei perfectione distent, nullamque cum ipso hoc sub respectu proportionem habeant, connectuntur tamen cum Deo velut quivis effectus cum sua caussa, et vel hoc ipso apta efficiuntur ad patefaciendas ipsius perfectiones; quemadmodum quodvis artefactum peritiam sui artificis, a quo toto genere distant, commendare solet.

2.) Deum putant ambitiosum fore, propriique commodi nimis studiosum. *Absurdum dictu est, ait Plotinus* (*Ænead. l.* 9. *c.* 4. *p.* 202.), *Deum mundum progenuisse, ut honoraretur, eorumque haec est opinio, qui sculptorum nostrorum affectus ad superos transferunt.*

℟. Deus non spectavit gloriam suam in condendo universo ob indigentiam aliquam, aut majorem inde perfectionem aut felicitatem consequendam, quod hominum est: sed praestitit id sapientiae suae, aliisque infinitis perfectionibus consentaneae, cum enim ipse sit bonum infinitum, oportebat, ut se prae omnibus bonis finitis amaret, omniaque reliqua ad sese referret, quo, ut omnium est principium, ita quoque omnium finis sit. Apposite Moshemius in Codworthum (*Syst. intell. c.* 5. *s.* 5. §. 20. *n.* 2.): *quicumque Deum gloriae suae caussa mundum creasse sciscunt, non tam vani sunt, et inepti, ut Deum sibi persuadeant studio laudum, et gloriae ferri, eoque accensum, et inflammatum hoc opus mo-*

litum esse. Ita quidem intellexit Baylius sententiam eorum, sed invitis id fecit omnibus sapientibus, quorum nulli ejusmodi aliquid in mentem evenit.

3.) Si Deus, ait Dariesius (*Philos. Nebenstanden* 2. *Sammlung* 2. *Abandl.* §. 2.), ex fine manifestandi suas perfectiones mundum condidit, tum id fecit ex ratione subjectiva, id est, finem creationis in se ipso posuit; atque inde sequeretur Deum eguisse mundo vel ad conservandas, vel ad agendas suas perfectiones, quod a vero alienum est. Deinde manifestationem perfectionum, quae nec ad conservandas, nec ad augendas ipsius perfectiones conduceret, non esse possibilem, hac conatur ratione probare: omnis manifestatio perfectionum necessario Deo adfert aliquam utilitatem; nam manifestatio perfectionum est quaedam actio; quaevis actio quidpiam efficit, quod absque ea non esset, idque ipsum, saltem praesente in casu, bonum sit, necesse est: Igitur actio divina in essentia rei aliquid boni operari debet, quod sine ea actione non existeret.

℟. Pace clarissimi viri dixero ratiocinationem hanc a paralogismo non abesse. Ratio subjectiva, ex qua Deus mundum creavit, non ita in ipso est, ut sit perfectio quaedam interna obtinenda: sed est repraesentatio finis quoad substantiam optimi in ipsius intellectu, quem ob suam bonitatem, aliasque perfectiones naturales necessario actionibus suis, quas vocant ad *extra*, praefigere debet. Atque hinc patet, manifestationem hanc nec ad augendas, nec ad conservandas perfectiones internas quidpiam conferre, sed ab his ipsis exigi sub hypothesi, quod Deus aliquid pro suo liberrimo arbitrio procreare velit. Unde ulterius consequitur ejusmodi perfectionum manifestationem omnino possibilem esse, nec quidquam verae utilitatis aut commodi inde in Deum redundare, sed potius in res creatas, quae manifestando divinas perfectiones suam beatitatem consequuntur; nisi Deo utile dicere velimus, quod agat modo infinitis suis perfectionibus congruo. Cum deinde manifestationem vocat actionem Dei, aperte confundit ideam manifestationis, quae finis est, cum idea creationis, quae ea demum actio est, qua finis ille obtinetur; manifestatio certe perfectionum, seu gloria externa non est actio Dei; sed eam Deus consequitur per actionem suam, qua res creatas, quae ipsum glorificent, existentes efficit. Denique non video, quomodo ex eo, quod actio Dei in rei essentia boni quidpiam operetur, sequatur manifestationem non esse Dei creantis finem primarium, atque ultimum; operatur utique actio Dei bonum, cum rebus existentiam, aliasque perfectiones reales tribuit, et necessaria ad beatitatem consequendam subsidia subministrat; at vero id minime obstat, quo minus Deus in his bonis conferendis suarum perfectionum manifestationem ut ultimum finem respiciat, praesertim cum haec ex rerum creatarum beatitate singulari ratione enascatur.

4.) Deus etiam sapienter egisset, etsi nullum communem finem toti

mundo praestituisset; satis enim fecisset suae sapientiae cuivis enti hujus mundi particularem aliquem finem praefigendo.

℟. Potuit certe Deus cuivis enti in hoc mundo particularem quempiam finem praestituere, hac tamen lege, ut hos omnes fini alicui communi tamquam ultimo subordinaret, unicus enim est, ut ostendi, qui divinam bonitatem, sapientiam, aliasque perfectiones decet, isque in perfectionum manifestatione consistit. Atque id reapse praestitisse Deum ex ea per caussas tum finales, tum efficientes connexione, quae in mundo obtinet, colligimus. Ceterum sapienter hic monet Boehmius (*Theol. nat. s.* 1. *c.* 4. §. 805. *sen.*): *si unquam dubium suboritur; cogita Deum finem aliquem particularem non intendere nisi ut medium ad ultimum; adeoque tantum ejus, non plus, intendere, quantum huc requiritur, nec adeo fine suo particulari ex parte excidere, quando non tantum obtinet, quantum posse obtinere videtur.*

CAPUT II.

De Mundo suo in genere Perfecto.

QUI MUNDUS IN GENERE SUO PERFECTUS?

LXXV. *Mundus in genere suo perfectus est*, cujus omnia entia tam simultanea, quam successiva ad finem a Conditore suo praestitutum obtinendum quam optime conspirant (conf. ont. §. 93. sch. n. 5.), atque adeo, qui perfectiones divinas tantum manifestat, quantum ipsa ab illo manifestari Deus vult.

Coroll. Mundus igitur suo in genere perfectus est comparate ad suum finem optimus ita, ut sub eo respectu melior dari nequeat.

DEUS ELIGIT MEDIA APTISSIMA -- ET HUNC MUNDUM UT MEDIUM ELEGIT -- QUARE APTISSIMUS EST AD FINEM -- ET SUO IN GENERE PERFECTUS.

LXXVI. *Cum Deus eligit medium ad consequendum finem sibi praestitutum, eligit aptissimum.* Nisi enim medium aptissimum eligeret, vel non posset, vel non sciret, vel non vellet id praestare; sed primum repugnat omnipotentiae ; alterum perfectissimae intelligentiae ; ultimum infinitae sapientiae : ergo cum Deus eligit medium ad consequendum finem sibi praestitutum, eligit aptissimum.

LXXVII. *Deus hunc mundum eligit ut medium ad consequendum finem sibi praestitutum.* Cum Deus in procreatione mundi finem sibi praestituerit (§. 71.), per ipsam hanc procreationem finem hunc obtinere voluit (ont. §. 158.) : igitur mundus procreatus rationem continet, ut Deus finem suum obtineat, sive, ut finis Dei ad existentiam perveniat ; sed quod ejusmodi est, medium vocatur (ont. §. 162.) : ergo mundus hic est medium ad consequendum finem a Deo sibi praestitutum. Sed praeterea quoque Deus hunc mundum procreavit (§. 24.), et quidem prae aliis infinitis possibilibus (§. 7. sch.), quod electionem aliquam complectitur : igitur Deus hunc mundum elegit ut medium ad consequendum finem sibi praestitutum.

Digitized by Google

LXXVIII. *Mundus hic est medium aptissimum ad consequendum finem a Deo sibi praestitutum.* Cum Deus eligit medium ad consequendum finem sibi praestitutum, eligit aptissimum (§.76.): sed Deus hunc mundum elegit ut medium ad consequendum finem sibi praestitutum (§.praec.) ergo mundus hic est medium aptissimum ad consequendum finem a Deo sibi praestitutum.

LXXIX. *Mundus hic suo in genere perfectus est.* Cum mundus hic sit medium aptissimum ad finem consequendum (§. praec.), necesse est, ut Deus per hunc mundum optime suum finem assequatur: igitur etiam necesse est, ut hic mundus tantum manifestet perfectiones divinas, quantum ipsas ab illo manifestari Deus voluit; atqui hoc est suo in genere perfectum esse (§. 75.): ergo mundus hic suo in genere perfectus est.

Schol. 1. Argumentatio haec est a priori, et omnino invicta; ducitur enim ab infinita Conditoris scientia, sapientia, et potentia, quae omnia in Deo inesse nulla potest ratione dubitari. Qui ad experientiam recurrunt, mundique perfectionem a posteriori demonstrare volunt, operam perdunt; ad absoluta siquidem id genus demonstrationem necesse foret, ut omnia entia tam successiva, quam simultanea, ex quibus hic mundus coalescit, singulatim pervestigentur; ut eorum connexio intime pervideatur; ut denique, qua ratione singula ad finem communem obtinendum tendant, distincte determinetur: quis autem hominum id praestare valeat? Non equidem inficias ibo, divinas in creatis omnibus perfectiones relucere quemvis ex paullo accuratiore corporum mundanorum contemplatione in cognitionem Creatoris independentis, aeterni, potentissimi, sapientissimi, providentissimique deduci; haec enim facili prorsus ratiocinio ex rerum creatarum intuitu colligunt, quemadmodum uberius demonstravit Krebsius (*Comment. phil. de fin. crea. s. 1. c. 2. §. 18 seq.*) At vero inde nondum evidenter conficitur mundum suo in genere perfectum esse, hoc enim duntaxat spectato manifestum non est, per eumdem perfectiones divinas illo in gradu, quem Deus constituit, patefieri. Ut vero ab experientia perfectio mundi demonstrari nequit, ita eadem simili argumento nequidquam impugnatur: cum enim imperfectio in parte ad totius perfectionem conferre (ont. §. 92. sch.), et vicissim, quod inde fluit, major partis perfectio perfectioni totius efficere possit frustra laborant omnes ii, qui perfectionem, aut imperfectionem, partium apparentem ad totum mundum transferre volunt: neque igitur audiendi sunt, neque, demonstrata a priori mundi perfectione, objectionibus ab experientia petitis respondere teneremur (§. 235. sch. l. 6. log.). Ne tamen quidpiam omisisse videar, adducam breviter ea, quae a profanis hominibus, divinaeque providentiae hostibus vulgo proferri solent.

SATISFIT ADVERSARIIS.

Schol. 2. Ajunt 1.) Si mundus hic esset in suo genere perfectus, esset is etiam omnium optimus; sed istud non admittitur, ut in se-

quente capite patebit: ergo mundus hic non est suo in genere perfectus. Deinde quid vetat, quod minus singula entia hujus mundi perfectiora sint? Ex perfectioribus autem entibus perfectior utique, et fini suo accomodatior mundus consurgeret.

℞. *d. m.* Si mundus hic esset suo in genere perfectus, esset is etiam *comparate ad hunc finem* optimus, *c. M. absolute* optimus, *n. M.* et sic *d. m. n. con.* Mundum in genere suo perfectum comparate ad suum finem optimum esse dixi (§. 75. cor.), quod ut plenius intelligas, haec habe: Deus stante hoc fine, quem ipse ex liberrimo arbitrio determinavit, non potuit alium mundum nec perfectiorem, nec imperfectiorem eligere; in neutro enim casu sapienter egisset: sapientia quippe exigit, ut mundus aptissimus ad finem praestitutum eligatur, qualis non fuisset hoc nostro perfectior, aut imperfectior. Atque in hoc sensu hic mundus est optimus; nullus enim ex omni genere, et specie mundorum aptius huic fini responderet: individua autem perfecte similia, quae quidem infinita possibilia sunt, cum principium indiscernibilium Leibnitii non subsistat (ont. §. 76.) aequalis sunt perfectionis, adeoque aequaliter ad hunc finem accommodata. Non est autem hic mundus absolute, et in se, abstrahendo nimirum a fine, vel posito fine absolute optimo, omnium possibilium optimus, ut deinceps apparebit. Similiter non potuit Deus stante hoc fine singula seorsum entia perfectiora efficere; nam istud determinatae totius mundi perfectioni derogaret, cum ea dependeat ab optima singulorum conspiratione ad finem communem, quae in hac hypothesi necessario mutaretur, nisi ponas per mutuam compensationem ultimo tandem eamdem conspirationem prodire; id quod eodem redit. Neque vero etiam ex maiori singulorum entium perfectione continuo sequitur majorem quoque in toto perfectionem fore: fieri siquidem potest, ut entia, etsi in se perfectiora, minus tamen apte ad finem obtinendum conspirent.

2.) Mundum non esse perfectum satis ostendunt entia monstruosa et imperfecta; animalcula item vilissima, et exilissima, quae ideo superflua sunt, tum et insecta nociva, ac venenata, quae passim in eo deprehenduntur.

℞. Generatim: perfectio mundi, ut jam dictum est, non consistit in perfectionibus particularium entium, sed in eorum connexione, et enascente inde tendentia ad finem toti praefixum. Quod nominatim ad monstra attinet, dicendum ipsorum imperfectionem esse solum apparentem, eamque ad constituendam totius mundi perfectionem concurrere, quemadmodum imperfectiones oculi conducunt ad perfectionem totius corporis (ont. §. 91. sch.). Certe nisi id ita esset, nequaquam a divina sapientia fuissent electa. *Praeclare Leibnitius* (*Essai de Teodic.* §. 241.) *concludendum est ipsa monstra in ordine totius comprehensa esse, licetque cogitare, non tantum melius fuisse, ut permittantur, quam ut communes naturae leges perturbentur; sed etiam ipsa legibus,*

ac universali Dei voluntati consentanea esse, etsi non hanc harmoniam mente assequi, et distincte explicare nequeamus. Legatur quoque Malebranchius (*De inquir. verit. illustr. ad l. 2. p. 45.*) Similiter deinde insecta non sunt vilia, nisi nostra fortassis opinione, eaque valde distorta; concurrunt enim cum reliquis ad communem finem obtinendum: ipsa etiam corpusculi minimi conformatio Conditoris sui potentia, ac sapientiam quam maxime illustrat. Unde neque inutilia, aut superflua jure dici possunt: praeter communem enim particulares quoque fines propositos habent, usumque maximum, tametsi nobis potissimum incognitum, in hoc universo praestant, dum aliis nutrimentum, aliis medicamentum praebent, aut efficiunt, et ex ipsorum comparatione ceterorum ordo mirabilius elucescat.

3.) Alius mundus est possibilis, qui perfectius assequeretur finem sibi praestitutum: ergo noster hic mundus non optime congruit cum suo fine, *ant. p.* Possibilis est talis mundus, qualis fuit ante peccatum Adae perdurante statu integritatis, et justitiae originalis, jam vero talis utique mundus et perfectior esset, quam noster, et prorsus eumdem finem habere posset, sicut reapse tum habuit.

℟. *N. ant.* Admitto imprimis plures esse mundos possibiles perfectiores, quos Deus condere potuisset, si voluisset perfectiorem finem, altiorem nimirum gloriae suae externae gradum eligere. At nullum potuit mundum procreare, qui hunc presentem finem melius fuisset assecutus. Deinde mundus etiam perfectior suo fini melius non congrueret, quam noster suo congruat; dici enim debet congruentiam fore eamdem mundi perfectioris cum suo fine perfectiore, et mundi imperfectioris, si ita loqui licet, cum suo fine imperfectiore, ubique videlicet optimam. Ad id, quod additur, primum *transmissione* quadam opus est; non enim constat an talis mundus vere perfectior futurum esset; cum argumentum ex perfectione entium particularium ad universalem totius perfectionem haud valeat, nisi omnia simul entia, et eorum naturae, mutuaque connexio intime perpisciatur. Fieri certe potest ut connexio entium, in qua mala intexta sunt, magis altera, quae ab his immunis est, ad finem communem conspiret; quemadmodum horologium ex imperfectioribus in se partibus compositum potest accuratius horas designare suoque in genere, et comparate ad suum finem perfectius esse, quam aliud quodpiam, quod ex nobilioribus partibus conflatur; immo ut horologio toti sua constet perfectio, necesse est, ut singulae illius partes non sint ejusdem generis, formae, ac perfectionis. Itaque etiam, ut tota entium connexio, quae mundum constituit, sua gaudeat perfectione, non modo necesse non est, ut singula seorsum entia aequalis sint perfectionis, sed multo magis requiritur, ut sint diversae. Tum mundus ille, qui ante lapsum Adae extitit, non fuit alius a nostro hoc, de quo agimus, mundo; fuit enim hujus pars quaedam, atque inde ad eumdem finem tetendit, cum finis sit toti mundo praefixus. Quod si autem ponamus,

Digitized by Google

nunc quoque talem mundum a nostro distinctum condi necesse foret, ut Deus illi alium finem, id est, alium gradum in suarum perfectionum manifestactione praestitueret, ad quem nempe obtinendum omnia illius entia tenderent.

4.) Multa in hoc mundo perpetrantur peccata, eamque non cedunt ad gloriam Dei, sed potius ad ipsius contemtum igitur non omnia in hoc mundo illustrant gloriam divinam, neque mundus perfectus dici meretur.

℟. *d. ant.* peccata, si spectentur *relate ad malitiam et intentionem hominis libertate sua abutentis*, non tendunt ad gloriam Dei *c. ant.* peccata, si spectentur, *ut sunt actus physici hominis agentis*, vel *ut connexa cum aliis ad communem finem tendentibus*, vel *ut a Deo permissa* non tendunt ad gloriam Dei, *n. ant. et cons.* Tametsi peccata, prout a malitia hominum, libertate, praecipuo bene merendi istrumento, abutentium procedunt, potius ad obscurandam Conditoris gloriam tendant, hominemque a consecutione finis sui abducant, multis tamen aliis modis ad illustrandas perfectiones divinas inserviunt. Imprimis nempe peccata, cum sint actus phisici a libera hominis vi profecti, homini a Deo vim activam, ac pretiosissimum libertatis donum concessum fuisse manifestant, quo simul divinam potentiam, libertatem, ac bonitatem commendant. Deinde ut sunt in hac rerum serie, et connexione posita, una cum reliquis medium illud optimum, quod Deus ad consequendum finem sibi propositum sapientissime elegit constituunt ; qua in re singulari quadam ratione divina elucet sapientia, dum mala haec ad optimos fines diriguntur, eaque ipsa obtinentur, quae homines perversa sua voluntate impedire conabantur ; attende ad exemplum Josephi Ægyptiaci, Cristi Judaeorum scelere occisi, veritatemque rei ipsis oculis intueberis. Denique peccata, cum tolerantur, divinam in nos bonitatem, et patientiam: cum remittuntur, misericordiam, et mansuetudinem ; cum vindincantur, summam potestatem, et justitiam luce clarius patefaciunt. Cum igitur mundum perfectum dicimus, non volumus, nullum in eo inesse naevum, nullam maculam; sed nexum hunc rerum omnium, in quo peccata quoque continentur, aptissimum esse ad perfectiones divinas intra eos limites, quos ipse statuit, manifestandas contendimus. Mundus, *qui* habet mala, perfectus est: non *quia* habet mala: sed *quia* haec boni, et mali permixtio ad obtinendum finem ab auctore suo constitutum optime deservit. Neque vero etiam inde consequens est, ut Deus *positive* peccata velle debeat : etsi enim iis quoque tamquam mediis ad suos fines utatur, sufficit tamen, ut ea *permissive* velit, id est, non impedire decernat, cum alioquin ab hominum malitia libere ponenda certo praevideat (conf. ont. §. 163. sch. 1.).

CAPUT III.

De Mundo omnium Possibilium Optimo.

QUID MUNDUS OPTIMUS?

LXXX. *Mundus optimus* is est, qui omnes mundos possibiles perfectione superat, quique adeo divinas perfectiones maxime manifestat, ita videlicet, ut ipsae magis manifestari absolute nequeant.

Schol. Definitionem hanc ad mentem eorum, qui mundum optimum defendunt, exactam esse nemo ignorare potest, nisi qui in ipsorum scriptis prorsus peregrinus sit. Leibnitius, qui opinionem hanc jam olim veteribus notam, ac fere emortuam suscitavit, ita de ea disserit (*Princ. phil.* §. 55. *seqq.*) *quemadmodum vero infinita sunt possibilia universa in ideis Dei, et eorum non nisi unum existere potest, ita necesse est dari rationem sufficientem electionis divinae, quae Deum ad unum potius, quam ad alterum determinet. Atque haec ratio reperiri nequit, nisi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent; cum quodvis possibile habeat jus praetendendi existentiam pro ratione perfectionis, quam involvit, atque id ipsum caussa est melioris, quod Deus vi sapientiae cognoscit, et vi potentiae producit.* Similia quoque passim in Theodicaea profert. Leibnitium magno agmine sequuntur non illi modo, qui ejus familiae ascripti sunt, sed et alii quoque, qui ceteroquin in multis ab ipso dissident, specioso divinas perfectiones vindicandi titulo, ut ego quidem reor, delusi; nam revera, ut paullo post apparebit, opinio haec infinitam Dei bonitatem, omniscientiam, ac supremam libertatem, quam praecipue commendare videtur, funditus evertit. Praeterire hoc loco Baumeisterum nequeo, qui quantumvis Leibnitii, Wolfiique dogmata sua fecerit, mundumque hunc optimum esse aperte statuerit, nihilo tamen minus sententiam ita explicat, ut non majorem mundo perfectionem, quam nos capite praecedente, tribuisse videri possit, ait enim (*Theol. nat. c.* 4. §. 834. *Ib.* §. 833. *sch.*): *si te offenderint vocabula; imperfetius, et perfectius: dic: Deus semper eligit, vult, et decernit id, quod finibus suis, quod sapientiae, et gloriae suae est convenientissimum.* Item: *cum itaque vi hujus theorematis Deus ex pluribus possibilibus mundis elegerit illum mundum, qui finibus suis est convenientissimus, sive optimus etc. etc.* (*Ibid.* §. 834. *sch.*). Quis hic non videt, optimam solum mundi hujus cum suo fine convenientiam denotari, ob quam is suo genere perfectus esse dicitur (§. 75.), quare callidius, quam sincerius egisse vir celeberrimus censeri potest; cum enim in reliquis cum omnibus mundi absolute optimi defensoribus prorsus consentiat, merito suspicari licet, ipsum tacite, et sine probatione potuisse, finem huic mundo praestitutum esse absolute optimum, seu maximam divinarum perfectionum manifestationem, id, quod a veritate alienum esse jam videbimus.

Digitized by Google

MUNDUS NON EST ABSOLUTE OPTIMUS.

LXXXI. *Mundus hic non est omnium possibilium optimus.* Mundus optimus infinitas Dei perfectiones maxime, id est, in supremo gradu manifestat (§. praec.); sed mundus hic in determinato quodam gradu, et intra certos limites perfectiones divinas manifestat (§. 74. cor.): ergo mundus hic non est omnium possibilium optimus.

Schol. Certe ut supra dictum est, hoc ipso, quod perfectiones, quae manifestari debent, infinitae sint, etiam manifestationes majores, et majores in infinitum possibiles sunt, quae omnes rursus alios fines perfectiores constituunt aliis mundis, qui propterea possibiles esse rite arguuntur; praefigendos; nam ex possibili multiplicitate, et varietate finium evidenter consequitur possibilitas mundorum perfectione discrepantium: igitur manifestatio certis limitibus coarctata non est finis omnium possibilium optimus, seu perfectissimus. Jam vero mundus, qui non habet finem absolute perfectissimum, nec ipse omnium possibilium perfectissimus esse potest; mundus enim fini perfectiori respondens foret utique isto perfectior (ont. §. 93. sch. n. 1.). Profecto ceteris paribus, id est si utrinque optima sit ad finem suum tendentia, perfectio entis aestimanda est ex perfectiori, et nobiliori fine: ita horologium, quod praeter horas, et minuta, astrorum quoque cursum indicat, in perfectione plurimum antecellit alteri, in quo horae duntaxat denotantur. Cum igitur mundus noster intra certos solum limites perfectiones divinas manifestet, eum neque finem perfectissimum habere, neque omnium possibilium optimum esse manifestum est. Atque istum solum quidem ad refellendam de mundo optimo sententiam omnino sufficit; quia tamen adversarii, ducis sui exemplo, potissimum hoc in argumento principium rationis sufficientis in auxilium vocant, in eo praeterea mihi elaborandum esse video, ut clare ostendam, in illo principio, quamquam verissimo, et alias a me stabilito, nihil prorsus praesidii ad hanc doctrinam confirmandam ipsi suppetere: id porro effecturum me confido ubi demonstravero hac principii applicatione omnem Dei libertatem tolli, qua sublata ipsa entis perfectissimi natura periret. Videatur interea dissertatio Friderici Reinhardi cum aliis pro praemio concurrentibus jussu Accademiae Berolinensis edita (*Le syst. de Mr. Pope sur la perf. du mond. etc.*).

POSITA HAC RAT. SUFF. DEUS NON POTUIT ALIUM MUNDUM PRAE ISTO CONDERE -- NEQUE ISTUM NON CONDERE -- UNDE IN CONDENDO MUNDO NON FUIT LIBER.

LXXXII. *Si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, non potuit is alium prae isto condere.* Si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, tum pro hujus solum, et pro nullius alterius creatione adfuit ratio sufficiens; sed Deus eum solum mundum condere potest, pro quo adest ratio sufficiens, et eum conde-

re non potest, pro quo nulla adest ratio sufficiens: ergo si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, non potuit is alius prae isto condere.

Schol. In demonstrando hoc theoremate non est magno mihi opere elaborandum, ipsam enim Leibnitianorum, quibuscum mihi nunc negotium est, doctrinam complectitur: quare, quae hic attuli, in ipsorum sensu intelligenda sunt. Confer verba Leibnitii (§. 80. schol.).

LXXXIII. *Si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, non potuit is hunc mundum non condere.* Si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, tum pro creatione tantum hujus mundi, non autem pro non creatione adfuit ratio sufficiens, et quidem ab aeterno: major quippe perfectio mundi possibilis est aeterna; ab aeterno a Deo cognita, fuitque semper ratio sufficiens pro condendo mundo, numquam pro non condendo, ac istud ante omnino arbitrariam Dei determinationem ad aliquem mundum condendum; sed Deus id tantum efficere potest, pro quo adest ratio sufficiens, et id efficere non potest, pro quo non adest ratio sufficiens: ergo si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, non potuit is hunc mundum non condere.

LXXXIV. *Si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, nullo is pacto liber fuit in condendo mundo.* Si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, tum Deus non potuit alium mundum prae isto condere (§. 82.), neque istum non condere (§. praec.); sed huc omnis omnino libertas reducitur, ut ex se patet, et alio loco uberius demonstrabitur: ergo si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum conderet, nullo pacto liber fuit in condendo mundo.

Schol. 1. Sane, si haec principii rationis sufficientis applicatio obtineat, ne fingi quidem potest ulla libertatis species; nam *fieri non potest, ut arguit Boscovichius* (*Disser. de seg. contin.* §. 126.), *ut Deus rationes omnes, quae adesse poterant pro hoc individuo rerum ordine creando, non videret: fieri non potuit, ut eae, quae aderant, non adessent; fieri non potuit, ut eae, quae praeponderantur, non praeponderarent, suam enim naturam mutare non possunt: fieri non potuit, ut Deus praeponderantiam non sequeretur. Igitur etiam ex contradictionis principio innixo divinae naturae praeditae sapientia, et determinatione ad optimum eligendum, et naturae rationum, quas videre potuit, et debuit, eruitur fieri non potuisse, ut hic ipse ordo solus non existeret, qui idcirco omnino necessarius fuit. Et ridicula sane est eorum possibilitas, quae existere non poterant, nisi crearentur; creari non poterant, nisi ratio sufficiens Deum ad creationem moveret, nec ipsa ratio sufficiens ulla esse poterat praeter illam, quam ipse Deus ob oculos habuit, cum mundum*

Digitized by Google

hunc crearet. Verbo denique Deus vi sapientiae suae debet illud discrimen omnium rerum cognoscere, tum nulla res possit aequare alteram, et vi bonitatis debet eligere melius: ergo non datur libera in Deo electio, cur hanc prae illis creet, sed necessitas. Similia inveniens quoque in appendice de Deo, et anima ejus theoriae philosophiae naturalis subjecta. Hinc demum clarissime patet, quo jure supra (§. 32. sch.) pronunciaverim, ex hac Leibnitii opinione factum quoddam Stoico simillimum profluere; ut adeo vir doctissimus caussam Dei, quam una ex parte contra Baylium egregie tuitus est, altera ex parte prodiderit. Sed tamen sunt nonnulla, quae non sine veritatis specie in ejus defensionem proferunt: haec jam examinanda sunt.

SOLVUNTUR DUBIA.

Schol. 2. 1.) Auctor additamentorum ad metaphysicam P. Sagnet Placentiae recusam anno 1767. ita pro mundo optimo pugnat (*Theol. nat.* §. 54. *adit.* 144. *not.* 2.). *Id unum superest inquiramus, utrum finis, ad quem hic mundus a Deo ordinatus est, sit omnium praestantissimus, ad quos mundi possibiles possunt ordinari. - Praestantius nequit divina bonitas, atque perfectio per quemcumque possibilem mundum manifestari, quam si manifestetur, quantum eamdem manifestari possibile est per creaturas. Certum est divinae perfectionis repraesentationem, quae fieri potest per mundos, aut creaturas quaslibet possibiles, non posse talem, aut tantam esse, ut ad aequalitatem pertingat; - hinc tamen minus recte quis inferet, nullum esse limitem, ultra quem possibilis non sit perfectior repraesentatio per creaturas; immo cum nulla esse possit repraesentatio ad aequalitatem, quaelibet possibilis limites quosdam habeat, necesse est. Cum igitur inter ea, quae habent limites, nihil vetet unum esse omnibus praestantius, nihil pariter obstat; unam esse inter omnes repraesentationes divinae perfectionis possibiles per creaturas, quae sit ceteris omnibus praestantior, et excellentior.*

℟. Inter multa egregie dicta duo sunt, quae cum veritate minime consentiunt. Primum: ex eo, quod nulla possibilis perfectionum divinarum repraesentatio ad aequitatem cum iisdem pertingat, rectissime infertur, nullam esse repraesentationem adeo perfectam, ut ea perfectior amplius possibilis non sit (§. 74.), nam gradibus perfectionum gradus repraesentationis respondent, unde sicut in illis non datur ultimus, ita neque in hac. Finge duos gradus perfectionis alicujus divinae repraesentari: quid obstabit, ut non etiam tres, quatuor, quinque, et sic porro absque fine repraesententur? erit autem repraesentatio quinque graduum perfectior praecedentibus, et hac rursus aliae perfectiores in infinitum possibiles erunt: quia in re nulla certe apparet repugnantia, aut si qua, sit, comprobare eamdem, non asserere solum oportuisset. Al-

terum: inter ea, quae habent limites, potest quidem esse unum omnibus praestantius, si ea sint numero finita, et reapse colligi possint; non item si ea sint infinita numero, seu potius finita in infinitum, neo umquam revera per modum unius collectionis accipi queant: illud contingit in rebus existentibus, quae semper numerum determinatum constituunt; at si sermo sit de possibilibus, res aliter se habet, nam possibilia sunt infinita, atque sine numero, in quibus sicut numquam pervenitur ad ultimum, ita etiam maximum deprehendi nequit. Plurimum igitur obstat, ipsa nempe ratio infiniti, ne una sit inter omnes repraesentationes divinae perfectionis possibiles per creaturas, quae sit ceteris omnibus praestantior, et excellentior (*Ib. n. 4.*).

2.) *Nec vero metuendum, continuat laudatus auctor, ne limites divinae figantur omnipotentiae, si inter omnes divinae perfectionis repraesentationes possibiles per creaturas una dicatur omnium praestantissima, et excellentissima; nam si nulli figuntur limites divinae omnipotentiae ab adversariis, cum negant produci a Deo posse mundum, qui sit omnium possibilium perfectissimus; cur divinae omnipotentiae limites figentur dicendo, produci a Deo posse mundum inter omnes perfectissimum, qui scilicet divinam perfectionem repraesentet modo inter omnes modos per creaturas possibiles perfectissimo? Infinitos esse mundos, et gradus repraesentationis possibile per creaturas, non evincit, dato quolibet possibilem esse alium perfectiorem; possunt enim esse infiniti infra unum inter omnes possibiles perfectissimum qui licet finitus in se sit, potest tamen quoslibet alios possibiles pariter in se finitos perfectione superare: neque detrahitur divinae omnipotentiae, si dicamus, nullum effectum produci ab illa posse, qui finitus in se non sit. Quare nisi demonstretur, possibilem esse effectum finito quolibet perfectiorem, frustra quis obtrudet figi limites divinae omnipotentiae ab iis, qui inter omnes possibiles effectus finitos unum esse ceteris omnibus perfectiorem asserunt, ultra quem, licet in se finitum, non sit possibili alius perfectior.*

℟. Plurima hic quoque latent, quae a falso non minus distant. Imprimis, cum negamus posse a Deo mundum omnium possibilium perfectissimum produci, hac inducimur ratione: quia mundus ille repugnat, et contradictionem involvit, quod ab infinitate, ob quam perfectiones divinae numquam maxime manifestari possunt, demonstramus: unde tam parum omnipotentiae divinae limites figimus, quam parum illi eidem quidpiam detrahunt, qui docent circulum quadratum a Deo procreari non posse. Ille contra non omnipotentiae modo, verum et omnibus reliquis Dei perfectionibus limites figit, cum dicit dari posse perfectionum divinarum repraesentationem excellentissimam; inde enim manifeste sequeretur, nihil amplius in perfectionibus divinis repraesentandum restare, atque adeo in ipsis ad limitem perventum esse. Ad notionem prae-

terea omnipotentiae non solum pertinet posse semper aliud et aliud procreare, verum etiam posse semper aliud perfectius in eodem genere efficere, cum neutrum ullam in se repugnantiam contineat, ipsa autem ad omnia possibilia sese porrigat. Deinde solidissime omnino evincitur dato quovis mundo, et repraesentationis gradu alium perfectiorem possibilem esse vel inde solum, quod infiniti mundi, et gradûs repraesentationis possibiles sint; si enim ita fit, nec ad ultimum mundum, nec ad ultimum vel maximum gradum in repraesentatione unquam perveniri poterit: quid aut hoc est monstri, non posse dari gradum maximum repraesentationis perfectionum divinarum, et posse dari repraesentationem divinarum perfectionum maximam? *At possunt esse infiniti infra unum inter omnes possibiles perfectissimum, qui licet finitus in se sit, potest tamen quoslibet alios possibile pariter in se finitos perfectione superare*: ludere id est, non philosophari; unus ille infinitos alios perfectione superabit, et ipse tamen a nullo superabitur? accipe exemplum: intellectus infiniti sunt possibiles, quorum alius alio perfectior sit; poteritne omnibus istis infinitis unus aliquis perfectissimus, sed tamen finitus, velut praesidere? nonne finitus cum sit, habebit defectum ulterioris realitatis, ac proinde poterit alter eo major, et perfectior concipi (ont. §. 217.)? quid igitur? perfectissimus erit, et tamen alius ipso perfectior possibilis? *infiniti imperfectiores infra unum perfectissimum, sed tamen finitum*! quaero: iste perfectissimus pertinetne ad collectionem infinitam imperfectiorum, vel non? si illud: terminabit sane collectionem infinitam; erit ergo collectio infinita terminis clausa; si hoc: nulla inter ipsum et alios infinitos; qui imperfectiores dicuntur, comparatio institui poterit; cur non igitur potius dicamus unum hunc perfectissimum esse possibilem; reliquos omnes impossibiles? Denique postulat, ut sibi demonstretur possibilem esse effectum quovis finito perfectiorem, nec moror, sic arguo: quivis effectus finitus non habet omnia actu, quae habere potest, et quovis effectu finito alter major in eodem genere concipi potest (ont. §. 217.), sed illo effectu, qui non habet omnia actu, quae habere potest, et quo alter major in eodem genere concipi potest, perfectior effectus possibilis est; ergo quovis effectus finito alius perfectior possibilis est (*Ib. n.* 6.). Omitto reliqua, nec utar telo, quod ipse subministrat, cum subinde profitetur: *possibilem esse mundum qui divinam aliquam peculiarem perfectionem evidentius repraesentet, et sit sub hujusmodi respectu isto perfectior.* Haec sufficiunt, ut appareat, quam inique egerit vir eruditus, cum in celeberrimum aetatis nostrae philosophum Boscovichium adeo acerbe invectus, et multoties cavillatus fuit.

3.) Aut Deus, ajunt, non scivit, aut non potuit, aut non voluit mundum optimum condere; atqui nihil horum congruit cum perfectionibus divinis: ergo Deus mundum optimum condidit.

℟. Cum inter possibilia non detur absolute optimum, neque possi-

bilis sit summus gradus in manifestatione divinarum perfectionum, Deus nec scivit, nec potuit, nec voluit mundum optimum condere. Sed dabo aliquid; esto, sciverit Deus mundum, qui omnium possibilium sit optimus; an continuo etiam producere eum potuit? cognoscit Deus profecto omnia possibilia: anne ideo omnia simul efficere potest? certe non, exhauriretur enim infinita potentia. Esto etiam, potuerit Deus mundum optimum procreare; num ideo etiam velle debuit? an libertate suprema, summo suo in omnia dominio ipsi uti non liceat? non debuit is velle, quidpiam extra se producere: igitur neque debuit velle optimum efficere; sed sicut illi liberum fuit manifestare, vel non manifestare suas perfectiones, ita quoque ipsi liberum fuit, easdem in hoc, vel illo gradu manifestare. At Deus semper optimum sequitur; ita sane, si intelligat illud, quod fini libere determinato est convenientissimum; sequitur item optimum, quatenus semper summa ratione agit, et ex summae sapientiae praescripto media ad finem aptissima eligit; nec tamen ideo producit effectus absolute perfectissimos; hi enim impossibiles sunt. Neque obest, quod Deus agat modo perfectissimo; modus enim operandi ipsi internus est, sicut modus cognoscendi, quae autem in ipso sunt, infinita sunt: contra objecta operationis, uti et cognitionis, extra Deum existunt: quare perfectissima esse nec debent, nec possunt.

4.) Mundus hic est perfecte conformatus ideae divinae; sed idea divina est absolute perfectissima; igitur et mundus.

℞. *d. M.* Mundus hic est perfecte conformatus ideae divinae *objective* spectatae, *c. M. subjective* spectatae, *n. M.* et sic *d. m. n. cons.* Idea Dei *subjective*, id est in se, seu comparate ad subjectum, cui inest, spectata est perfectionis infinitae; ipsa enim ab intellectu divino, ac proinde a Deo intelligente revera non differt; quis autem mundo hanc perfectionem tribuat? Evidens igitur est, ideam divinam hac ratione ab adversariis hoc loco intelligi non posse, neque ei mundum hunc conformatum esse. Quod si idea divina accipiatur *objective*, id est, comparate ad objecta, quae ab ipsa repraesentantur, tantae ea perfectionis est, quantae est objectum repraesentatum, atque idea numquam perfectissima, nisi cum objectum perfectissimum, ipsum videlicet, Deum repraesentat. Neque vero inde in Deum quaepiam redundat imperfectio: haec quippe se tenet ex parte objecti non vero in idea inest, quae objectum, ut in se est, repraesentare debet. Atque sic omnino verissimum est, mundum esse perfecte conformatum ideae divinae; talis enim est, tantaeque perfectionis, qualis, et quantae perfectionis a Deo aeternum fuit cognitus; at istud adversariis minime prodest; nam inde nequaquam colligitur mundum hunc esse omnium possibilium perfectissimum, cum idea divina, quidquid cognosci potest, seu magis sit, seu minus perfectum, ob intellectus divini infinitatem repraesentet, quod ipse Leibnitius non diffitetur, cum ait infinita universa possibilia in ideis Dei fuisse (§. 80. sch.).

Digitized by Google

5.) Bonitatem divinam exigere putant mundum optimum, quemadmodum ea quoque postulat finem optimum. Si opponas perituram libertatem, ajunt, libertatem ad electionem minoris boni non esse perfectionem, ideoque Deo alioquin tribuendam non esset, ut illi ob eamdem rationem libertatem ad eligendum malum morale non adscribimus. Certe, addunt, sicut electio mali moralis pugnat cum sanctitate Dei, ita electio minoris boni opponitur sapientiae divinae, quemadmodum enim Cajus in taberna libraria constitutus inter libros, quorum ipsi optio datur, minus bonum eligendo insipienter ageret; ita idem de Deo affirmandum foret, si inter mundos possibiles, quos omnes distincte cognovit, minus perfectum elegisset.

℞ Multa hic accumulantur, quibus seorsum respondebo. Imprimis infinita bonitas non exigit, ut Deus aliquid procreat; potest enim optimus, et beatissimus esse absque omni ente a se distincto: ergo eadem pariter non postulat, ut, cum aliquid efficere vult, efficiat optimum. Quid quod haec bonitas Deum aestringeret aliquid impossibile, cum maxima perfectionum infinitarum manifestatio, et in pure possibilibus optimum repugnet; ut jam saepius dictum est? At postulat Dei bonitas finem optimum; ita sane: sed solum finem *quoad substantiam*, non etiam *quoad intensionem*, seu *gradum optimum*, idque rursus tantum ex hypothesi, quod Deus mundum aliquem procreare liberrime constituerit. Nimirum infinita bonitas exigit, ut omnibus aliis bonis finitis praeferatur, magisque ametur; quare Deus nihil condere potest, nisi propter se ipsum; nihil producere nisi ita, ut sibi gloriam suam pro fine primario, ac ultimo praestituat: Atque hic est finis quoad substantiam optimus, solusque divinae bonitati, reliquisque perfectionibus consentaneus. At propterea necesse non est, ut Deus in hoc fine etiam intensionem maximam, seu supremum manifestationis suarum perfectionum gradum, tametsi illum possibilem esse daremus, eligat; nam sicut Deus salva sua bonitate omnem creationem, ac proinde etiam electionem finis omittere potuisset; ita etiam facto jam libere mundum aliquem condendi decreto liberrimam potestatem gradum quemcumque in fine quoad substantiam optimo determinandi retinet.

Deinde libertas ad electionem mundi minus boni Deo sine injuria negari omnino nequit, neque comparatio est cum libertate, quae fingitur ad eligendum malum morale, cum enim malum morale pugnet cum sanctitate, ceterisque perfectionibus Dei moralibus, per se manifestum est, hanc libertatem in perfectionibus locum non habere. Contra libertas altera et perfectio quaedam est, et ideo Deo sine dubitatione tribuenda; certum namque est, aliquam libertatem, utpote veram realitatem, Deo adscribendam, esse: jam vero si haec non sit, quae alia esse poterit? qua in re, quaeso, Deus liber erit? intelligendo omnia cognoscibilia? ad id necessitatur ab infinitate intellectus sui: in amando se ipso? ad id neces-

sario rapitur ab infinitate bonitatis suae naturalis: in eligendo fine quoad substantiam optimo? id quoque ex hypothesi, quod aliquid condere velit, postulant infinitae ejus perfectiones: restat igitur, ut liber sit in determinando gradu finis in se optimi, et in procreandis rebus, idque non ita solum, ut libere possit condere aliquid, vel nihil; sed ita etiam, ut possit hoc prae illo condere; sunt quippe haec inter se connexa, et ratio sufficiens, quae exigeret; ut Deus optimum mundum condat, exigeret quoque, ut Deus mundum potius condat, quam non condat (§. 83.). Nihil dicam de lege omnium philosophorum, ac teologorum consensione comprobata, quae quidquid in rebus creatis perfectum est, ab omni imperfectione repurgatum Deo tribui jubet: est autem profecto libertas quaedam in nobis perfectio quoad utramque sui partem, quatenus nimirum est facultas ponendi, vel non ponendi actum, et quatenus est facultas ponendi hunc potius, quam alium actum: imperfectio, quae in illa inhaeret, in eo consistit, quod haec potentia ad malum se quoque extendat. Quare rejecta hac imperfectione, sine defectu realitas ipsa in Deo inesse putanda est (conf. ont. §. 227. sch.). Denique libertas haec nulli perfectioni morali opponitur; falsum enim est, quod Baumeisterus, et alii asserunt, electionem minoris boni in dicto sensu acceptam pugnare cum infinita Dei sapientia: haec enim solum postulat, ut finis, quoad substantiam optimus, et media ad eam maxime accomodata eligantur, quod utrumque stat cum electione mundi minus boni. Neque enim, cum mundum optimum negamus, ita intelligendi sumus, quasi doceremus Deum elegisse medium minus aptum ad finem suum consequendum, quod adversarii malevolentia, aut ignorantia ducti saepe non satis discernunt. Atque inde patet, quid ad paritatem propositam respondendum sit: Cajus ponitur utique eruditionis caussa librum emere velle; si igitur optimum, quem habere potest, non eligat, contra finem agit, neglectoque medio aptiori minus aptum arripit, quod insipientis est: Deus vero, cum mundum minus bonum condidit, eum tamen condidit, qui sit medium aptissimum ad consequendum finem praestitutum, quo sapientiae suae plenissime satisfecit. Quod si liber minus bonus inter alios optimus, et pretiosissimos fini, quem Cajus sibi praefixit, magis congruat, neque ille ob electionem vilioris insipientiae argui poterit.

6.) Determinatio Dei ad optimum mundum eligendum nequaquam libertati divinae obest: imprimis enim determinatio Dei ad eligendum finem quoad substantiam optimum libertati non efficit; ergo pariter. Deinde ad summum tantum inde sequitur necessitas consequens ex hypothesi nempe quod se libere determinaverit ad aliquem mundum condendum; vel moralis: neutra autem libertatem tollit. Denique addit Baumeisterus (*Theol. nat.* §. 834. *sch. fin.*): *quasi vero electio optimi non staret cum libertate. Cajo offeruntur plures libri diversi pretii. Eligit illum quem optimum judicat. Num putas, libertatem ita Caji, dum eligit optimum, cadere?*.

℞. Ad primum disparitas est. Tametsi Deus ex hypothesi, quod velit aliquem mundum condere, debeat seipsum, seu gloriam suam externam pro fine constituere, est illi tamen *antecedenter* liberum aliquem mundum condere, vel non; et *consequenter* hunc, vel illum gradum gloriae externae determinare. Sed si Deus ex natura sua forte determinatus ad mundum optimum eligendum, nec antecedens ipsi relinqueretur libertas, qua sese ad condendum mundum, vel non condendum determinare posset, ut jam dictum est (§. 83.). A vero igitur prorsus alienum est, etsi id Leibnitiani nolint, quod parum curandum est; nec enim quaeritur, quid dicant, sed quid suae sententiae congruenter dicere debeant; alienum inquam a vero est, ex determinatione Dei ad optimum solam necessitatem consequentem profluere; sed haec necessitas omnem omnino determinationem liberam antecedit, ut ipsa cognitio perfectionis maximae in mundo possibili. Certe si haec perfectio maxima fuit ratio sufficiens, ut Deus hunc mundum prae omni alio conderet, eadem quoque fuit ratio sufficiens, ut mundum potius conderet, quam non conderet, quam enim aliam statuent? Sic arguo: vel Deus ad condendum potius, quam non condendum eguit ratione sufficiente a liberrimo suo arbitrio distincta, vel non; si hoc: tum neque ad condendum hunc prae alio simili ratione opus habuit; si illud, ea ratio sufficiens distincta praeter perfectionem maximam mundi possibilis nulla esse potest: quidquid arripiant, se ipsos jugulant; si primum accipiant, valebit in ipsos haec argumentatio: Deus non eguit ratione sufficiente externa, ut mundum potius condat, quam non condat: ergo etiam non eguit tali ratione, ut hunc potius prae alio condat. Si ad alterum confugiant; ita ratiocinabor: posita hac ratione sufficiente non fuit Deo liberum, ut alium mundum prae isto condat: ergo etiam non fuit ipsi liberum, ut mundum non condant. En necessitatem antecedentem. Quam male autem ii suae caussae consulant, qui ad necessitatem moralem confugiunt, patet jam ex ont. §. 37. sch.; est nempe ea necessitas verbo quidem moralis, re autem ipsa, absoluta, antecedens, metaphysica; ita enim repugnat, ut Deus aliquid bonitati, sapientiae, aut sanctitati contrarium admittat.

Beaumestero denique occurres dicendo: electionem optimi stare cum libertate, si eligens se ipsum ad eam determinet; non item, si ille a bonitate objectiva determinetur. Cujus libere eligit librum optimum, cum ita comparatus est, ut etiam deteriorem eligere possit; at si cognita bonitate nequeat illum non eligere, actum erit cum libertate. Applicemus haec. Deus ex mente laudati Philosophi cognovit ab aeterno, et quidem necessario perfectionem maximam unius inter omnes mundos possibiles; haec cognita perfectio maxima fuit ratio sufficiens electionis divinae ab aeterno, et necessario ante omnem liberam Dei determinationem posita fuit; sed posita ratione sufficiente vi principii contradictionis ponitur rationatum (ont. §. 22.), quod nec ipse inficiari potest: dicat ergo nobis,

ubi, quando, et qualis libera determinatio in Deo fuerit, et quo modo cum hac optimi electione libertas divina componi queat? dicet, Cajum quoque a bonitate objectiva libri, tamquam ratione sufficiente, determinari ad eam electionem, nec tamen libertate expoliari. At id ipsum est, in quo quaestio vertitur; Caji quoque libertatem, si ita se res haberet, perituram in psychologia demonstrabo.

7.) Si Deus mundum minus perfectum prae perfectiori condidisset, hujus actionis nulla foret ratio sufficiens; egisset proinde Deus sine ratione sufficiente, quod cum ipsius perfectionibus non consentit. Certe, si Deus pro libero suo beneplacito posset hoc, vel illud eligere, similis foret artifici humano, qui in elaborando suo opere non tam rationem sequitur, quam genio indulget. Quid quod omne bonum possibile pro gradibus suae perfectionis jus habet praetendendi, ut ait Leibnitius, a Dèo existentiam? Deinde intelligi nequit, qui fieri possit, ut Deus minus bonum prae majori magis amet.

℟. Ratio sufficiens electionis divinae ex parte possibilium omnino quaeri non potest, si salvam velimus supremam Dei libertatem, ut paullo ante demonstratum est. Quin si accurate loquamur, nullam prorsus rationem objectivam Deus sequitur, neque ipsa mediorum aptitudo ad finem consequendum est illi vero sensu ratio motiva, cur ea eligat. Nequit nempe Deus ulla bonitate finita, quae comparate ad infinitam prorsus evanescit, moveri; unde non eligit media ad finem aptissima *quia* aptissima sunt, sed *quae* apta sunt, quaeque ut talia infinita scientia praenoscit, atque id *ideo*, quia summa ratio, et sapientia praecipit, ut eligantur media, quae ad finem obtinendum aptissima esse praevidentur. Sola igitur ratio summa, ac sapientia potest Deo esse *ratio motiva* ad aliquid eligendum; aptitudo vero mediorum ad summum dici debet *conditio, sine qua* electio *non* fieret, cum absente hac aptitudine ratio, et sapientia eam electionem non suaderet (conf. ont. §. 145. sch. 1.) Aliud quidem apud nos homines obtinet, qui finiti cum simus, bonitate quoque finita moveri, et allici possumus: quare nos modo eligimus bonum repraesentatum, *quod* bonum est, verum etiam *quia* bonum est, vel saltem tale esse apparet. Sed numquid ideo actio divina ratione sufficiente caruit? nequaquam: adfuit ea ratio sufficiens, quae in actionibus liberis sola esse potest, quemadmodum alias dicam: ejus nimirum voluntas, quae cum infinita ipsius ratione, et sapientia non congruere non potest. Neque tamen propterea genio indulsisse putandus est; licet enim ex liberrimo arbitrio agat, licet rationem sufficientem externam, et in possibilibus fundatam non respiciat, agit tamen semper ex, et cum summa ratione, modoque perfectissimo, et ipsum libertatis exercitium infinitae in illo perfectionis est. Quod ad artificem humanum opus suum non ea, qua posset, industria elaborantem attinet; merito id illi vitio dabitur, si vel obligationi, qua erga alios strin-

gitur, vel fini suo, quem obtinere cupit, non satisfaciat, quod si horum nihil adfuerit, neque is jure vituperari poterit, si opus, quod, et prout placuerit, efficiat. Jam vero Deus nulla aliquid producendi obligatione divinciri potest, atque etiam tum, cum minus bonum prae majori procreat, medium fini libere constituto convenientissimum eligit.

Jam vero illud: quod possibile secundum gradus perfectionis suae a Deo existentiam postulet, quale est? unde imprimis jus istud? quid est possibilitas, nisi non repugnantia praedicatorum, et oriunda indi habilitas entis ad existendum? ergone ideo ens, quia ad existendum habile est, jus habeat a Deo postulandi, ut efficiatur? deinde, demus hanc inesse in possibilibus prætensionem; quis Deum eidem subjecit? tenebiturne ens infinitum, undequaque independens postulationi huic morem gerere? annon, si ita foret, res creatae non tam Deo, quam sibi ipsis, suaeque majori perfectioni existentiam in acceptis referre deberent? Absit, ut vilem adeo de suprema Majestate conceptum philosophus mente foveat. Ad id demum, quod ultimo adjicitur, ajo, distinguendum esse amorem *liberalis beneficentiae* ab amore *aestimationis*; hic veras in objecto perfectiones respicit; ille a liberali amantis animo, sine respectu ad objecti merita, et sine omni præterea benefaciendi obligatione proficiscitur. Jam vero cum Deus mundum minus perfectum prae perfectiori elegit, ex sola liberalitate beneficium existentiae eidem contulit, quod neque huic, neque ulli alteri praestare tenebatur. Non tamen propterea minus bonum magis aestimavit; cognovit enim optime, quae, et quales perfectiones possibiles in quovis mundo possibili insint, quo sensu solum aestimatio rerum vel creandarum, vel creatarum in Deum cadit.

SECTIO III.

DE EFFECTIBUS NATURALIBUS, ET SUPERNATURALIBUS.

QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

LXXXV. Venio ad nobilissimam Cosmologiae partem, quae philosopho orthodoxo in primis curis esse debet: ipsa enim castissimae Religionis fundamenta proprius attinguntur. Ut autem et dilucide, et distribute res omnis proponatur, disseram primum de natura, ejusque legibus; tum de effectibus supernaturalibus generatim, ac nominatim de miraculis; denique criteria, quibus effectus miraculosus a mirabili, sed naturali, certitudine morali maxima, discerni queat, suppeditabo. Habes igitur sectionis hujus argumentum.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Natura, ejusque Legibus.

QUID ET QUOTUPLEX NATURA? — QUAE VETERUM OPINIONES?

LXXXVI. *Natura*, φυσις, generatim notat principium mutationum entis internum: *Natura* proinde *universa* est principium mutationum in mundo eidem internum. Cum porro omnes mutationes, quae in entibus mundanis eveniunt, per eorumdem agendi, patiendique potentiam possibiles sint, per vim autem actu existant, rite colligimus, naturam cujusvis entis in vi ejus, agendi, patiendique potentiae juncta; ac naturam universam in collectione omnium virium, omnibus agendi, patiendique potentiis, quae in omnibus entibus creatis insunt, junctarum constitui.

Coroll. 1. Cum vis substantiis solum competere possit, palam est, vires omnium substantiarum creatarum, etiam spiritualium, simul sumtas naturam universam absolvere.

Coroll. 2. Natura differt ab essentia, ut notat Wolfius; haec enim interna entis possibilitate absolvitur; illa vim infert existentiae adhaerentem.

Schol. 1. Sermo mihi est de natura entium creatorum; Deum enim *naturae auctorem* compellare soleo: neque plancent barbara illa vocabula, quibus nonnulli absque ulla necessitate utuntur, dum Deum *naturam naturantem*; naturam vero mundi *naturatam* vocant. Quod ad veteres attinet, longum foret discrepantes eorum opiniones enarrare, quaedam solum in medium proferam. Plurimi naturam, tamquam idolum quoddam, Deo in res creatas operanti ad latus posuerunt, eam substantiam esse ab omnibus aliis distinctam, perque totum orbem diffusam docentes, a quibus *Principii hylarchici*, *Archaei mundi*, aut *Entelechiae* cognomentum obtinuit (*De leg. l.* 12. *Item in Symposio*). Ad hanc sententiam accesserunt illi quoque, qui cum Platone mundum ingens esse animal opinati sunt, a cujus anima per totum diffusa generationes rerum omnium proficiscerunt, atque hanc doctrinam communem fere fuisse philosophis omnibus, ex Plutarcho dicimus (*De plac. phil. l.* 2. *c.* 9.): *Omnes reliqui, inquit, ille mundum animatum esse, et a providentia gubernari statuunt: Leucippus vero, et Democritus, et Epicurus, et qui praeter hos inane, ac atomos introducunt, et animae expertem mundum faciunt, neque providentia, sed natura quadam bruta administrari ajunt.* Verum in natura hujus animae definienda in varias rursus partes abierunt; nonnulli, quos inter primum locum Stoici tenent, Deum ipsum hanc mundi animam esse absurde commenti sunt (*Div. inst. l.* 7. *c.* 3.): *Stoici, ait Lactantius, naturam dividunt in duas partes, unam, quae efficiat; alteram, quae se ad faciendum tractabilem praestet. In illa primam esse vim faciendi; in hac materiam, nec alterum sine altero esse posse. Ita isti uno natu-*

rae homine res diversissimas comprehenderunt, Deum, et mundum, artificem et corpus; dicuntque alterum sine altero nihil posse: tamquam natura sit Deus mundo permixtus nam interdum sic confundunt, ut sit Deus ipsa mens mundi et mundus corpus Dei. Idem fere Moshemius in Cudwortum (*Syst. intell.* c. 1. §. 28. n. 2.) ex definitione τῆς Φύσεως, quam Zeno Stoicorum Princeps apud Laertium (*De vit. phil. lib.* 7. *segm.* 148.) attulit, clare colligi opinatur: Stoicos nimirum nullum posuisse interrationem, et vim genitricem discrimen: sed utramque velut virtutes, et perfectiones unius, ejusdemque Dei, seu naturae illius, quam per totam universitatem intentam esse putaverunt considerasse, ipsum vero Deum modo Jovem, modo Fatum, modo Mentem, modo Naturam appellitasse, quod Ipsum Laertius quoque confirmat (*Ib. segm.* 137.). Impium hoc Stoicorum dogma subinde etiam Varroni placuit: ita enim loquitur apud S. Augustinum (*De Civ. Dei l.* 7. *c.* 7.): *Deum se arbitrari esse animam mundi quem Greci κοσμον vocant; et hunc ipsum mundum esse Deum; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore, et animo tamen ab animo dici sapientem, ita mundum Deo dici ab animo, cum sit animo, et corpore.* Immo, quod mireris neque Origenes ab hac opinione alienus fuisse videtur (*περὶ ἀρχων l.* 1. *c.* 1.): *sicut corpus nostrum unum ex multis membris aptatum est, et ab una anima continetur, ita et universum mundum velut animal quoddam immune opinandum puto, quod quasi ab una anima virtute Dei ac ratione teneatur.* Verum quam absurda haec sit opinatio, cuivis per se manifestum est: ut non nihil dicam; cum Deus anima mundi sit mundusque ipsius corpus, necesse quoque erit, ut Deus ab mundo, quemadmodum anima nostra a corpore, ad perceptiones determinatur. Et nonne ex hac sententia consequens est, ut Deus quoque, vel pars Ipsius animam nostram constituat, quod ipsum ii inficiati non sunt? Quid igitur divina substantia discerpetur? sed de hoc alias plura. Nunc ad eos venio, qui naturam, seu animam per totum universum diffusam eo fine propugnarunt, ut supremum Numen tollerent (*Qq. ac. l.* 4. *c.* 38.). *Strato Lampsacenus*, ait Tullius, *negat opera Deorum se uti ad fabricandum mundum: quaecumque sint, docent omnia effecta esse natura* (*Syst. intell.* c. 3. §. 15.). Haec Stratonis natura interprete Cudworto, *est vim quaedam, et interior vita singulis materiae particulis conclusa, cujus ope semetipsam quaelibet arte, ac consilio fingere in easque formas, quibus apta est natura, et idonea vertere potest, etsi quid faciat, ipsamet ignoret nec, quid velit facere, secum constituat.* Huic opinioni addictos Hylozoitas ipse compellat.

QUAE CUDWORTHI DE NATURA OPINATIO?

Schol. 2. Sed ipsius quoque viri doctissimi admirabilis prorsus, ac singularis de natura sententia examinanda venit; commovit me opinionis novitas, ut eam in medium proferrem, atque confutarem

etiam. Ne autem in longum excurrat oratio, primum ipsius prope verbis proprietates naturae, ut ait, genitricis enumerabo; tum rationes, quibus ad eam stabiliendam impulsus est, adducam; denique ea proferam argumenta, quibus in illa impugnanda Moshemius usus est, quaeque me judice rem conficiunt.

Est igitur Cudwortho (*Syst. intell. c.* 3. *diss. de nat. gen.* §. 3.) *natura genitrix* instrumentum Deo subjectum, quo divina providentia tamquam ministro utitur in ea muneris sui parte administranda, quae ad materiae dispositionem, temperationem, et gubernationem pertinet. Superior quaedam providentia adjungi debet, quae perperam ab ea admissa saepe numero corrigat, quaeque nonnumquam actionibus ejus, et consiliis intercedat (§§. 5. 8. 9. 10.). Ars est natura animans: omni arte humana praestantior, numquam consilium capit, aut deliberat, nihil tamen suscipit, cujus poenitere possit (§§. 12. 13. 15. 18.). Licet ordine et ratione agit, ac ad certos omnia usus dirigat, ipsa tamen metam, et consilium nescit sui operis, neque caussam, cur sic agat, perspectam habet. Agit propter finem, attamen consilii, rationis, et intelligentiae non est particeps; non habet conscientiam eorum, quae agit, perceptionem tamen aliquam eidem tribuere ipse videtur. Agit fataliter, immo fatum est (§§. 19. 20. 25.). Habet infimum vitae genus, nec a vita, quam vegetativam vocant, differt: est corporis expers: toti denique huic globo ex aqua, et terra conflato una praestet haec fictrix vita seu natura, quae certo modo cunctis plantis, herbis, ac arboribus conjuncta est, easque omnes pro natura seminis cujuslibet fingit et fabricatur; quae pariter metalla, ceteraque corpora, quae plus habent artis, quam ut a fortuito materiae motu produci queant, conficit, et disponit (§. 22.). Denique ait Aristoteli repugnandum non esse, qui naturam esse certam mentis animalium partem aut potentiam ingobiliorem in eorum animis habitantem putavit (§. 22.).

Rationes ipsi hae sunt. 1.) Qui talem naturam genitricem negant, alterutrum horum coguntur profiteri: vel omnia fortuito, et temere cadere, et formari; vel ipsum Deum suis veluti manibus cuilibet animanti corpus fingere, neque majoribus tantum, et praestantioribus, sed cuivis etiam muscae, et pulci, aut si quid hisce vilius est, quod Deum nimiis curis oneraret (§. 3.). 2.) Plurima in rerum natura fiunt, quae vim legum mechanicarum superant, qualis est facultas respirandi in animalibus (§. 4.). 3.) Omnia sensim et gradatim generantur, quae tarditas vanae, et inanis pompae speciem haberet, si caussa rerum omnium efficiens esset infinite potens (*In loc. cit.* §. 5. *n. II.*). 4.) Plures sunt errores in operibus naturae; si nempe materia minus idonea sit, aut consilio fabricantis repugnet, quod fieri neutiquam posset, si Deus per se omnia efficerent.

Moshemius contra sic arguit *Naturarum genitricium tutores hoc nomine imprimis sententiam suam commendant, quod ea*

Deum perpetuo, molestissimoque labore levet, omnemque praeterea culpam vitiorum, et deformitatum, quibus natura rerum passim laborat, ab aeterna illa, et sapientissima universitatis caussa removeat. Indigne ferunt ab illis, qui ab ipso Deo procurari credunt omnia, infinita negotiorum multitudinem, et incredibilem molestiarum numerum supremo Numini imponi; nec Cartesio parcunt, quod conservari, a Deo leges motus in materia diceret: quod quidem esse censent, ac si Deum numquam feriari, aut otiosum esse profiteretur. Verum ipsi, dum Deum semper vigilante inducunt, ne natura genitrix in vitia incurrat graviora; dum naturam hanc judicio facultate rectam a pravo secernendi praeditam esse negant; dum moderari Deum actiones ejus censent: dum corrigere Deum, et emendare, quae forsan admisit haec natura, asseverunt, ut alia taceam: num minus in Deum negotii, minusque molestiae conferunt, atqui illi? --- Et erunt, nullus dubito, qui multo et simplicius, et rationi convenientius censeant, Deum cogitare ipsum omnia perficientem, quam naturam ipsi ungere nec sapientem nec potentem, sed rerum, et rationum vehementer ignaram, cujus ille actus perpetuo moderari debeat: praesertim si Deum infinite potentem esse recordentur cui commotio, et distributio materiae plus creare nequeat molestiae, quam procreatio ex nihilo exhibuit. Ispe Dominus beatior est, qui, cum ipse valeat potentia negotia sua administrandi, nullum adhibet administrum, an vero ille, qui servulos adsciscit sibi parum cautos, et prudentes, quorum imperitiae, ac temeritati semper occurrendum est? — Ad deformitates, et vitia, si modo his uti fas est vocabulis, quod attinet, quae passim in natura rerum cernuntur, etiamsi naturam procreatricem Deo adjungas, multi tamen de his sibi satis esse, factum negabunt. Etenim si Deus semper videt, quid agat haec natura: si actiones ejus moderatur; si cavet, ne desciscat a norma; si denique corrigit opera ejus; nonne rerum omnium, quas ea peragit, caussa, et ratio ad ipsum Deum postremo referenda erit? ipse Dominus, qui servum numquam ex oculi dimittit, modumque ponit laboribus ejus, reus esse non videbitur vitiorum, quibus hic sese adstringit.

Quae hic de natura dicuntur (Ib. §. 10. not. 2.), vereor, ne quidam existiment, liberalius, et magnificentius esse dictas, quam patiuntur, quae supra §. 5. et infra de hac natura praecepit. Alias naturam deligendi, et judicandi facultate carere asseverat; hic perinde loquitur, ac si deliberabo consilio quodvis opus aggrederetur. Negat enim, ut reliqua taceam, suscipi ab ea aliquid, cujus poenitere queat. Alias Deum emendare nonnumquam, et corrigere admissos errores concedit. Hic vero significare videtur nihil umquam vitiosi, aut cujus poenitere queat, naturam efficere. Mitto reliqua.

Nisi me ratio fallit, tota haec celeberrimi viri de natura disputatio aliquid habet inconstantiae; plerumque enim non aliter de ea disserit, quam de re per se constante, et extra hominem posita; hic vero naturam facultatem, et virtutem tantum esse in animo residentem affirmat. Plura tute facile erues, quae ad ejiciendam ex orbe id genus naturam serviant (*Ench. Metaph.*). Neque tamen haec Cudworthi opinio ita singularis fuit, ut non aliquos nacta fuerit sectatores; placuit certe nonnullis ipsius popularibus, ac praecipue Henrico Moro; placuit quoque Joanni Clerico (*Dict. crit. t. 2. la vie de Bayle. p. 86. n. 1705.*): quocum ea de acriter disputavit Baylius, hac fere ratione argumentatus, vel natura haec genitrix est duntaxat instrumentum quoddam in manu Dei, vel ipsa revera organizationem corporum, et plantarum, similesque effectus efficit; si primum: otiosa est, neque in philosophia usum praestabit; si alterum: perit argumentum, quo ex mundi structura atheos refellimus; si enim natura omnis ordinis cognitione destituta in suis tamen actionibus ordinem sequi potest, nulla erit necessaria connexio inter corporum organizationem, et ens aliquod intelligens. Sed jam longior fortasse quam oportuerat, fui.

QUID LEGES, ORDO, AC CURSUS NATURAE? — AN EXTENT?

LXXXVII. *Leges naturae* sunt normae illae universales a supremo naturae Auctore constitutae, secundum quam vires substantiarum creatarum agunt; cum vero praeterea constans sit quidam, ac invariabilis harum actionum modus, ordo inde quispiam enascitur, quem *naturae ordinem* compellamus: ipsa demum immutabilis secundum hunc ordinem aventorum consecutio id est, quod *cursus naturae* nomine venit.

Coroll. Ordo igitur, cursusque naturae cum ejusdem legibus inviolabili nexu consociatur; quare intelligi nequit, quod Wolfius docet, etiam ablato naturae ordine cursum ejus subsistere posse.

Schol. 1. Normas id genus universales, seu naturae leges extare in dubium vocari nequit ab eo, qui paullo attentius constanter dierum, noctiumque vicissitudines, easdem variarum anni tempestatum successiones, immutabilem ab omni aevo astrorum motum fixam in generationibus animalium, plantarumque rationem, perpetuam earumdem in corporibus proprietatum, quae jam olim detectae sunt constantiam contemplatur. Experientia certe docet, eadem ubique gravitatis, elasticitatis, cohaesionis, attractionis repulsionisque phaenomena obtinere. Quid, quod secus nulla posset esse in hominibus providentia, nullum consilium, nullae scientiae, aut artes, nulla certa instituendae vitae, aut curandorum corporum ratio: haec enim omnia ex legum universalium constantia pendet; hac efficitur, ut calculi a nobis subduci, futura prospici, certi effectus, ac certae ex certis actionibus consecutiones expectari, et sic denique totius vitae cursus suaviter institui queat,

Est vero etiam haec per constantes, et immutabiles leges totam rerum universitatem administrandi ratio vel maxime divinae consentanea sapientiae, atque ad infinitarum perfectionum patefactionem accommodatissima.

Schol. 2. Leges hae partim, et fere praecipue a posteriori per constantem sensum experientiam, partim etiam a priori per ratiocinium deteguntur. Physici eas fere ad leges motus reducunt, quod omnes in mundo aspectabili, mutationes per motum efficiuntur. Mihi vehementer placet Richteri opinio, qui tria legum naturalium genera constituit; *physicas*, quae ad sola corpora, eorumque motus; *metaphysica*, quae ad mutuas corporum, spirituumque actiones; et *pneumatica*, quae ad solos spiritus, eorumque actiones, ac nexum inter se pertineant (*gu. philos. de mach. et spir.* §. 17.). Ab his distingui debent leges naturae morales, de quibus hoc loco sermo non est.

LEGES MOTUS NON SUNT NECESSARIAE.

LXXXVIII. *Leges motum secundum quas omnes in mundo aspectabili mutationes natura efficit, non sunt absolute necessariae.* Praecipue motuum leges hae fere sunt: quod cum substantia materialis ad habendam certam directionem, et celeritatem ab externo principio determinari debeat, haec determinatio certam quampiam, ac constantem intervallorum quibus substantiae a se disjunctae sunt, rationem sequatur; quod eadem determinatio jam ad mutuum accessum, jam ad recessum tendat, et quae ex his deinde profluunt, ut physici hodie docent; atqui leges has absolute necessarias esse, ac earum oppositum contradictionem involvere (ont. §. 96.) nulla omnino ratio suadet: quid enim? contradictorium sit, ut substantiae materiales mutata illa intervallorum ratione aut citius, aut tardius moveantur, aut etiam accessum in recessum, et vicissim mutent? ut determinatio illa prorsus impediatur? ut vis effectum non consequatur? ut exempli caussa, grave non in linea recta, sed per curvam descendat, aut plane non descendat, sed in libero aere non aliunde sustentatum haereat? haec certe, et quae similia sunt, in se non repugnant: restat igitur, ut leges motuum absolute necessariae non sint.

Coroll. Leges igitur motuum contingentes (ont. §. 98. cor. 2.), ac proinde etiam mutabiles sunt (ontol. §. 116.); quod idem de ordine, cursuque naturae, utpote connexis (§. praec.) affirmandum est.

Schol. Qui absolutam harum legum necessitatem evincere vellet, eidem demonstrare incumberet, eas ex essentiis substantiarum creatarum profluere; quis autem id serio affirmaverit; sunt certe ipsarum essentiae prorsus indifferentes, ut viribus suis secundum has vel illas leges agant, nec umquam Spinoza, aut quivis alius ejusdem sectator contrarium evincet. Possunt ex iisdem libris in bibliotheca repositis diversissimi ordine confici, cur res mundanae apte non sint ad alios, diversosque ordines constituendos? profecto

Digitized by Google

ipsi nos eam habemus potestatem, ut corpora particularia varie trasponamus, conjugamus, aut separemus: nonne possumus viventium actiones, animalium, plantaremque generationes abrumpere; plantas evellere: semina fecundationi inepta reddere: insitiones surculorum in alterius speciei truncos facere, corporis lapsum supposito obstaculo impedire, aut in contrariam etiam partem movere et alia id genus innumera, quae sine opera nostra numquam evenirent? quid autem haec omnia commonstrant? nonne contingentiam, ac mutabilitatem legum naturae? nonne earumdem lationem a liberrimo Auctoris arbitrio pendere? Verum erit fortasse, quia dubitet, utrum hae determinatae leges, quas in theorematis demonstratione enumeravi, reapse in natura obtineant: id quidem minime officiet; quodcumque quis in physicis systema amplectatur, seu cum Cartesio; seu cum Newtono, aut Boscovichio sentiat, fateri nihilo minus cogetur, leges, quas ipse in natura agnoscit, contingentes, ac mutabiles esse. Sed jam satis; quae a profanis obmoventur, sequente in capite commodius resolvam.

QUID SECUNDUM AUT CONTRA NATURAE ORDINEM, ET CURSUM?

LXXXIX. *Secundum naturae ordinem* fit, quidquid naturae ordini convenit, eodemque salvo, ac illaeso fieri potest, aut decet, *ut lapsus corporis non suffulti. Secundum naturae cursum* fit, quidquid in illis eventibus locum habet, quorum consecutio cursum naturae constituit; *ut quotidianus ortus, et occasus solis. Contra naturae ordinem* fit, quod ordini naturae adversatur, eoque salvo, ac illaeso fieri nequit; *ut corpus specifice gravius in aere haerens. Contra naturae cursum* fit, quidquid ad illos eventus non pertinet, quorum consecutio hunc cursum absolvit; *ut eclipsi solis tempore plenilunii.*

QUID EFFECTUS NATURALIS?

XC. *Effectus naturalis* est, qui provenit a vi substantiae creatae secundum leges naturae universales agente, qualis est *combustio ligni in ignem injecti, aut lapsus corporis per lineam rectam.*

Coroll. 1. Omnis effectus naturalis est secundum naturae ordinem, atque cursum, et vicissim.

Coroll. 2. Spiritus creati quicumque ad substantias creatas referuntur: igitur si quos effectus viribus suis secundum universales naturae leges agentibus producunt, ii in naturalibus habendi sunt (conf. §. 86. cor. 1.).

Schol. Loquor hic de effectu naturali, prout is opponitur supernaturali, de quo statim dicam. Alia est partitio effectus in *naturalem*, et *artificiosum*, quae huc non pertinet; uterque enim viribus naturae perficitur, hoc solum discrimine: quod hic ab ingenio hominis artis legibus imbuto directionem accipit, ac ad certum finem destinatur: ille non.

CAPUT II.

De effectibus Supernaturalibus, ac nominatim de Miraculis.

QUID EFFECTUS SUPERNATURALIS — ET QUOTUPLEX?

XCI. *Effectus supernaturalis* est, qui non venit a vi substantiae creatae secundum universales naturae leges agente; *ut subitanea morbi depulsio, suscitatio mortui; creatio alicujus substantiae.*

Coroll. 1. Effectus supernaturalis vel absolute non provenit a vi substantiae creatae; vel si ab hac vi proveniat, ea non agit secundum universales naturae leges.

Coroll. 2. Omnis effectus supernaturalis est contra naturae ordinem atque cursum, et vicissim.

XCII. Omnis effectus supernaturalis est *supra naturam*, ut ex terminis patet, contingit vero vel *praeter*, vel *contra* naturam. Effectus *praeternaturalis* dicitur, cum in universa natura, ejusque legibus duntaxat nulla est ratio, ut is eveniat; *ut rosam crescere sine semine. Contranaturalis* autem, cum non modo in tota natura ratio non est, ut eveniat; sed etiam ratio in ea continetur, ut non eveniat *incorruptio corporis humani in igne.*

Schol. Non sum nescius, vocabula haec interdum in alia significatione usurpari, atque ad effectus tantum naturales applicari: ita medici omnem statum corporis morbosum *praeternaturalem* dicunt; alii motum lapidis in altum projecti *contranaturalem* vocant. Intelligatur nimirum in his terminorum acceptionibus natura particularis cujusdam corporis, ejusque singularis constitutio, cui, si quid contrarium, aut tale, quod eidem nec repugnat, nec necessario competere debet, eveniat, etsi cum universae naturae legibus optime congruat, *contranaturale*, aut *praeternaturale*, appellatur. Prioris exemplum est actio veneni in corpus animalis ab eo hausti: posterioris chalybs virtute magnetica imbuta, aut ferrum in rotulam elaboratum. Sed sensus hos improprios esse nemo non videt; quare consultius est, ut illos effectus *violentos*; hos *artificiosos* eorum, qui accuratius loquuntur, exemplo nuncupemus.

QUID MIRACULUM? — DEFINITIO VINDICATUR.

XCIII. *Miraculum* est effectus supernaturalis vel ob raritatem, et insolentiam, vel ratione temporis, et adjunctorum admirationem in spectatore excitans.

Coroll. 1. Omne miraculum est effectus supernaturalis; at non vicissim: unde effectus supernaturalis rite distribuitur in absolute supernaturalem, et miraculosum.

Coroll. 2. Quae igitur generatim de effectu supernaturali dicta sunt, miraculis quoque conveniunt. Est nempe quodvis miraculum contra naturae ordinem, et cursum; item supra naturam, ac nominatim vel praeter, vel contra eamdem.

Schol. 1. Erunt, nullus dubito, qui definitionis hujus rationem postu-

labunt; illi sic habeant effectus supernaturales duplici ratione contingere novimus; aliqui in iisdem adjunctis perpetuo eveniunt, ut adeo adjuncta haec videantur esse leges quaedam universales, quas sibi supremus naturae Auctor in administrando hoc universo liberrime praestituit: ita semper creatur anima rationalis, cum in utero materno foetus eam saltem organizationem obtinet, ut actiones corporis vitales perfici possint; ita cum corpore humano semper anima rationalis, cum bellnino semper spiritus inferioris ordinis conjungitur, ita positis iis conditionibus, quas Deus libere, et non quasi ex pacto quodam requirit, hominibus gratiae supernaturales conferuntur. Alii effectus supernaturales nullis certis adjunctis, nullis constantibus, generalibus legibus alligantur; sed modo, ac tempore prorsus insolito ex liberrimo summi Conditoris arbitrio secundum abscondita nobis divinae sapientiae consilia perficiuntur: ita ad verba Josue sol stetit: ita, volente Moyse super Ægyptum; et moriente Servatore super universam terram tenebrae inductae sunt; ita Lazarus a mortuis suscitatus, panes multiplicati, aqua in vinum versa est. Porro si in notionem miraculi, quam vulgo homines habent, attentionem convertamus, facile perspicimus contineri in ea quidpiam, quod admirationem in nobis concitet, idque ipsum etimologia vocabuli luculente confirmat. Jam vero experientia certum est, a prioris generis effectibus nullo nos modo in admirationem rapi; rapi vero ab iis, qui ad posterius genus pertinent; igitur si ideae omnibus communi consulendum sit, ut omnino est (conf. §. 87. sch. 1. fin. log.), nequit quivis generatim effectus supernaturalis miraculi nomine venire, quemadmodum Leibnitius cum suis contendit.

At confundi miraculum cum mirabili, et ipsa monstra, ut ait Leibnitius, in miraculis habenda fore conqueruntur (*Recueil de div. piéc. t. 1. 4. écrit.* §. 45.). Nequaquam; effectus *mirabilis* est effectus naturalis ad concitandam in spectatoribus admirationem aptus: *miraculum*, vero ex natura sua ad effectus supernaturales pertinet. Deinde raritas, inquiunt, insolentia, admirabilitas sunt determinationes solum externae, quae internum effectuum discrimen efficere nequeunt. Si sane; quid igitur? Ego sic existimo, necesse omnino esse, ut internum, ac essentiale discrimen inter effectum naturalem, et supernaturalem statuatur, id vero amplium non requiri, cum effectum supernaturalem in absolute supernaturalem et miraculosum subdividimus; quemadmodum nec ipsi Leibnitiani internum discrimen attendunt, cum tres miraculi species constituunt, nimirum quoad substantiam, quoad modum, et restitutionis. Denique opponunt suscitationem mortui semper fore vero miraculosam tametsi frequentissime, immo quotidie eveniret. Ita quidem, modo non secundum certas, et constantes leges simul efficeretur; sola certe frequentia naturae miraculi a me definiti non obstat: at si mortui suscitatio vel aliud quodcumque verum alias miraculum certas ac universales leges sequeretur, ita ut posi-

tis iisdem loci, ac temporis adjunctis effectum consimilem certo praedicere possemus, tam parum sane eum in miraculis haberemus, quam parum nunc hoc nomen creationi animae rationalis tribuimus. Hoc ipsum profecto ii intelligere videntur, qui cum Boehmio nobis largiuntur collationem gratiarum supernaturalium ad miracula proprie dicta referri non posse; verum viderint illi quomodo secum ipsi consentiant (*Cosmo.* 4. §. 570. *sch.*). Sed mittamus ista, ne in legomachiam incidamus; in eo solum cardo rei vertitur, ut solidissimis rationibus evincamus, posse multa contra stabilitas naturae universae leges a Deo effici, ad quod nihil interest seu omnes universe effectus supernaturales, seu eos solum, qui cum admiratione conjuncti sunt, miracula compelles. Quod antequam praestetur, aberrantes quorumdam de natura miraculorum opiniones in examen vocandae sunt.

QUAE OPINIO SPINOZAE, *Tract. Th. pol.* c. 6. *De atheism. et superst.* c. 7. -- HOBBESII, *Leviath.* c. 37. p. 2. c. 2. q. 6. -- CONNORII, *Evangel. medici*, *art:* 5. *et* 6. -- GREVII, *Cosmol. sacr. l.* 4. c. 5. -- LOKII, *Tract. de mirac.* -- HOUTTEVILLII ET LARCKI, *De rel. christ. l.* 1. c. 5. *Diss. de mirac.*

Schol. 2. Benedictus Spinoza miraculum definit *opus naturae, cujus caussam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus.* Est illi nimirum miraculum effectus tantum naturalis; verum insolitus, cujusque, tametsi secundum generales naturae leges necessario efficiatur, homines tamen caussam detegere nequeunt. Hac in sententia essentialis miraculi character, qui in eo consistit, quod supernaturalis effectus sit, atque omne inter miraculum, et mirabile discrimen tollitur, nec mirum: nititur enim falsa hypothesi, leges naturae nullo modo mutari posse: videtur Buddeus.

Ad absurdam hanc opinationem fere accedit Thomas Hobbesius; etsi enim ajat miraculum *immediatam Dei actionem* esse, inscite tamen subjungit, *naturales ejus caussas comprehendi a nobis nequaquam posse*; quod argumento est ipsius opinione miraculum ab effectu naturali reapse, et in se non discerni. Atque de hoc dubitare nos minime patiuntur ea, quae de Deo, ejusque natura homo impius alias effutiit. Pestiferam hanc doctrinam refutavit Grappius in theologia recens controversa.

Bernardus Connorius ea spargit principia, quae nullo modo inter se cohaerent, nisi Spinozae exemplo Deus cum natura misceatur; miracula ex naturae, et motus legibus, vocatis in subsidium principiis medicis, dijudicanda esse contendit, dumque multis modum ac rationem, qua comprehendere possimus, quomodo ea efficiantur, docere aggreditur, audet incredibili imprudentia miracula, quorum sacrae litterae meminerunt, ex caussis pure naturalibus explicare.

Nehemias Grewjus per miraculum intelligit effectum insolitum, et rarum provenientem a caussis, seu vi naturali, at incognita, in quan-

tum ea a Deo ad consecutionem determinati cujuspiam finis dirigitur, ut adeo ex ipsius mente miraculum non sit, nisi *opus naturale, insolitum, atque a Deo ad certum finem directum.* Sed haec sententia a Spinoziana non multum abludit, ut per se manifestum est; tollit enim internam miraculi naturam; tollit quoque omne criterium: quo miraculum a mirabili discernatur; quid namque vetat, ut circumscriptorum aliquis caussae latentis non ignarus effectum quempiam insolitum ita ad certum finem dirigat, ut ea directio a Deo provenire spectatoribus appareat?

Joannes Lockius opinatur miraculum *operationem* esse *quamdam in sensus incurrentem, quae cum spectatoris captum exsuperet, ipsiusque opinio cursui naturae constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur.* Peccat haec sententia in eo, quod sublato interno, ac absoluto miraculi charactere totam ejus rationem comparate ad spectatoris captum definiat, quo semel admisso vix ullus in rebus naturalibus effectus tam vulgaris erit, qui non a rudiori aliquo in miraculis haberi possit. Quod sit praeterea dissertatiuncula illa attentius discutiatur, facile quis in suspicionem venerit, ipsum occulte cum Spinoza hac in re collusisse: fuerunt certe viri eruditi, qui contendebant, Lockius *virtutis superioris* nomine, quo adeo obscure usus est, non aliud, quam naturam quae Spinozae Deus sit, intellexisse. Sed nolo ego quidquam iniquius statuere.

Superest, ut duorum virorum clarissimorum Klarkii, et Houttevillii de miraculorum natura opiniones examinemus; sunt enim et in iis quaedam, quae minus probari possunt. Ac Houttevillius, quidem negat miracula contra naturae leges evenire; simulque in eo solum praecipuum ipsorum characterem constituit, quod effectus insoliti, nobisque incogniti sint, ac ad nobiliorem quemdam finem a Deo ordinentur. Si quaeras unde, et quomodo insoliti hi effectus edantur? Respondet: Deum initio generales quasdam leges sanxisse, secundum quas totum regeretur universum; at jam tum etiam caussas naturales ita disposuisse, ut certo subinde tempore ejusmodi eventus extraordinarii contingere debeant. Verum multa sunt hac in doctrina, quae jure carpi possunt; nolim equidem odiosa uti comparatione exemplo Fassoni, qui contendit eam a perniciosa Spinozae definitione quam proxime abesse; id certe cum omnibus superioribus commune habet, quod internum, et absolutum inter effectum naturalem, et miraculosum discrimen prorsus tollat, quod nulla omnino ratione sustineri potest; hoc enim, ut communi hominum sensui repugnat, ita praeterea falsissimo nititur principio: non posse a Deo leges naturae mutari. Deinde non video, quid eam inter, ac Grewii opinionem supra refutatam discriminis intercedat; merito igitur a Valsechio (*Contra Incr. vol. 2. l. 3, c. 16.*) vehementer exagitata fuit. Quod autem ad Klarkium (*Traité l' exist. et des attribut. de Dieu l. 3. ch. 19.*) attinet; docet vir doctissimus miraculum esse *effectum consueto naturae*

ordini contrarium a natura quadam intelligente, quae viribus hominem superat, extra ordinem productum. Quod hac in definitione displicet, illud est quod ea geniis quoque seu bonis, seu malis potestatem naturalem vera miracula patrandi tribuat, quod defendi non posse infra ostendam. Klarkio adstipulantur Joannes Clericus in dissertatione de miraculis tractatui de incredulitate praefixa. William Fleetwoodus in dissertatione de miraculis, Thillotsonus, Stillingfleetus, aliique complures Angliae theologi; eumdem contra impugnavit Jacobus Serces singulari libro Amstelodami anno 1729 in lucem dato; sed in aliud extremum delapsus vir illustris omnem plane potentiam mirabilia quaedam efficiendi geniis ademit: quod, ut consequeretur, necesse erat, ut sacrarum Litterarum effata, veterumque auctorum testimonia, in quibus mirabilium a falsis vatibus, aut editorum, aut edendorum mentio fit, in alienum sensum violente detorqueret, ac unice de fraudibus, dolis, ac praestigiis accipienda esse doceret: id quod cum Samuel Werenfelsio, Alphonso Turrentino, Arnoldo Nortenio, aliisque fidelissime praestitit, quo tamen successu paullo post dicendi locus erit. Quae denique Humius (*Specim. de mirac.*) contra miracula disputavit, solide refutata invenies apud Georgium Campbellum (*Diss. de mirac.*): mihi jam longiori esse non licet.

QUID MIRACULUM QUOAD SUBSTANTIAM ET QUOAD MODUM?

XCIV. Miraculum, cum sit effectus supernaturalis, non provenit a vi substantiae creatae secundum universales naturae leges agente (§. 91.): igitur miraculum superat omnes omnium creatarum substantiarum vires. Jam vero vel ita has vires superat, ut effectus in se spectatus absolute, et sub nullo respectu ab iis effici queat, ut *creatio, seu annihilatio alicujus entis, suscitatio, mortui.* Quod tale est miraculum *quoad substantiam* compellatur; vel solum pro his adjunctis, et quoad modum effectionis eas vires excedit, et dicitur miraculum *quoad modum*, quale est *subitanea morbi depulsio.*

Schol. Nemo sibi persuadet miracula quoad modum inferioris in se ordinis esse, aut vilioris quodam modo conditionis: absit istud; sunt ea veri nominis miracula, et effectus absoluta Dei omnipotentia profecti, cui omnia possibilia eodem, id est, nullo constant labore, nec facilius quidquam, aut difficilius factu concipi potest. Discrimen istud ideo solum statuimus, quod magnum in dijudicandis miraculis usum praestat, ut deinceps apparebit. Certe si ad rationem veri miraculi requireretur, ut effectus absolute, ac sub omni respectu universae naturae vires exsuperet, mirabilius coturnicum in castra Hebraeorum compulsio, murorum urbis Jerichuntinae ruina, inveteratorum morborum curationes a Christo effectae, et complura alia, quae omnium proborum consentione adhuc in veris miraculis numerabantur, ex eorum numero expungenda forent.

MIRACULUM EST POSSIBILE.

XCV. *Miracula possibilia sunt.* Si leges motuum, secundum quas

omnes in mundo mutatione perficiuntur, contingentes, et mutabiles sunt, tum de interna miraculorum possibilitate nulla potest ratione dubitari; atqui illud ita est (§. 88. cor.): igitur evidens est miracula veri nominis possibilia esse.

Schol. 1. Profecto si leges illae, secundum quas vires substantiarum creatarum aut possunt, aut debent agere, mutari queant, multa effici potuerunt, quae ab iis viribus secundum leges sibi praestitutas agentibus nequaquam proveniunt. Poterunt, exempli caussa, leges motus suspendi, et motus in corporum conflictu sine celeritatis imminutione; communicari; poterunt impediri actiones naturaliter ex caussarum creatarum viribus secuturae, ut ignis tres pueros in fornace Babylonica non laesit; poterit nova series nova determinatione inchoari, et ea quidem ratione, qua creatae vires nequeunt, ut subitanea morbi depulsione, aut mortui suscitatione: poterit aliud nondum existens procreari, aliud annihilari, vel quacumque demum ratione aliud in alterius locum substitui, ut per conversionem aquae in vinum contigit; poterunt conjungi ea, vel disjungi, ad quae conjungenda, aut disjungenda vires naturae se non porrigunt, velut montis in alium locum translatione; poterunt denique alia quamplurima, modisque diversissimis effici, quae vires omnium creatorum prorsus excedunt.

RESPONDETUR OBJECTIS.

Schol. 2. Quae minuti philosophi contra objectant, ad haec fere reducuntur. Ajunt

1.) Leges naturae fluunt ex essentiis substantiarum creatarum: igitur aeque immutabiles sunt, ac ipsae essentiae.

℞. Nequaquam: etsi enim vis substantiis interna, quin essentialis sit; ea tamen ex se non potius hanc, quam illam legem poscit, estque prorsus indifferens, ut hoc, vel illo modo agat; ita vis motrix substantiae materialis ex natura sua non exigit, ut motum in hac potius, quam illa directione, per lineam potius, rectam, quam curvam efficiat: quare liberum Deo relinquitur, ut ipse; quam placuerit, legem constituat. Deinde, quid obstat, quo minus Deus actiones harum virium aut augeat, aut minuat, aut prorsus impediat, quemadmodum nos ipsi lapsum corporis impedire possumus (conf. §. 88. cum sch.)? Errant igitur, qui universales naturae leges in attributis entium mundanorum habent; attributorum quippe ratio sufficiens in ipsis entium essentiis continetur (ont. §. 55.), hae vero leges a liberrima Dei voluntate proficiscuntur. Verissimum equidem est leges naturae rerum essentiis conformatas esse, ipsisque earum rerum ordinem aptari; verum id non ita accipiendum est, quasi hae naturae leges ex rerum essentiis absoluta necessitate promanent, ordoque fatalis inde enascatur; sed quod iisdem non repugnent, et ordo constitutus ipsis consentaneus sit.

2.) Spinoza ita arguit (*Tract. theol. pol. c.* 6.): *Leges naturae universales mera sunt decreta Dei, quae ex necessitate, et per-*

Digitized by Google

fectione naturae divinae sequuntur.—Quidquid fit, per Dei voluntatem, et decretum fit, hoc est, ut jam ostendimus, quidquid fit, secundum leges, ac regulas, quae aeternam necessitatem, et veritatem involvunt, fit. — Idem etiam et hoc facile posset ostendi, quod potentia naturae sit ipsa divina potentia, et virtus; divina autem potentia sit ipsissima Dei essentia.

℞. Everso jam absurdissimo Spinozae systemate (§. 41. sch.) ea, quae hic impudenter effutit, nullum amplius robur habere queunt. Sed ut aliquid dicam: imprimis eadem confidentia, qua ipse in asserendo utitur, negamus haec Dei decreta ex necessitate, et perfectione ipsius naturae sequi: nulla certe inter infinitam Dei perfectionem, et has determinate leges connexio ostendi potest; neque ex aliis huic rerum universitatis praestitutis imperfectionis quidpiam in Deum redundasset. Deinde imperite, ac callide aeternitatem cum necessitate confundit, quasi vero omne, quod ab aeterno futurum erat, et perpetuo suam veritatem determinatam habet, hoc ipso etiam necessario futurum sit. Denique tametsi Dei potentia sit realiter ipsa ejus essentia, non est tamen inde consequens ut id, quod ab hac potentia efficitur, non sit contingens. Verum potentiam naturae ipsam esse Dei potentiam nemo admiserit, nisi qui ad eamdem cum illo impietatem deveniret.

3.) Leges naturae morales necessariae sunt, et absolute immutabiles, cur non igitur idem de legibus naturae, quas physicas, seu mechanicas vocant, affirmetur?

℞. Ratio dispar in eo sita est: eas Deus necessario creaturae rationali praestituere debuit; non item has toti rerum universitati. Ad divinas nimirum perfectiones vehementer pertinebat, ut hominem, quem condidit, provide, et sapienter ad finem suum consequendum gubernaret, id quod non praestitisset, nisi praecepisset ea, quae ad finem illum obtinendum necessaria sunt, et contra vetuisset ea, quae hominem ab hoc fine avertunt, quo uno tota lex moralis continetur. At contra entia creata seu hoc, seu illo modo agant, seu his, seu aliis legibus gubernentur, ad finem suum pertingunt, perfectionesque divinas patefaciunt; unde nulla Dei perfectio has *determinate* leges physicas postulavit, quamvis ejus sapientia, ac providentia aliquas *indeterminate* exegerit: quare nihil etiam obstavit; ut ne in casu quopiam particulari legum physicarum una aliqua mutetur.

4.) Si miracula sint possibilia, sequitur imprimis Deum in decretis suis mutabilem esse, ut qui novum, et extraordinarium effectum in tempore decreverit; sequitur deinde etiam eum initio non sat provide, et caute egisse, et velut ob adjuncta non praevisa miraculum edere, quae omnia pugnant cum infinita Dei perfectione.

℞. Etiam consecutiones hac cum ratiocinandi legibus pugnare. Quod ad primum: eadem simplicissima, ac immutabili voluntate, qua Deus hanc rerum seriem ab omni aeternitate decrevit, simul statuit hoc vel illo tempore, hoc vel illud miraculum patrare: quare

nulla est in ipso novarum volitionum successio, ob quam interne mutaretur. Idem nimirum hic contingit, quod evenit, cum mundus ob aeternum Dei decretum existere incepit, de quo supra dixi (§. 27. schol. n. 6.): opera mutat, inquit S. Augustinus, consilia non mutat. Mutaretur equidem Deus, si legem quampiam moralem immutaret; cum enim illam necessario tulerit, si nunc aliqua mutatio eveniret; censeretur ipse eam in tempore velle quam ab aeterna nec voluit, nec velle potuit, seque contra suas perfectiones ageret alia longe legum physicarum ratio est, quas cum Deus Initia libere voluerit, potuit eas quoque cum restrictione quadam, et exceptione pro casibus quibusdam singularibus constituere. Physice nempe divinarum perfectionum manifestatio per diversas leges obtineri potest; moralis vero, quae creaturarum liberarum propria est, per has solum leges morales. Quod ad alterum: Deus non ideo miracula edit, quod in hac rerum serie quaedam male, aut improvide constituta sint, quae emendatione aliqua, aut correctione egeant; absit a nobis temerarium hoc de divinis actionibus judicium: habet illa fines alios Majestate sua dignissimos, cur nonnumquam effectum, quem per aliam ab aeterno caussarum naturalium dispositionem via prorsus ordinaria consequi potuisset, per miraculum obtineri velit, quin propterea sapientissimae illius providentiae quidpiam decedat. Immo hac ratione divina bonitas potentia, rerum creatarum cura, aliaeque perfectiones multo maxime illustrantur: experientia certe docet, homines passim effectibus insolitis magis, quam iis, qui secundum naturae cursum eveniunt, ad laudes potentissimi, benignissimique Conditoris praedicandas stimulari. Atque hinc patet in gravissimum errorem prolapsum fuisse Wolfium; virum cetera eruditissimum, cum contendit miraculum a divina quidem potentia, non autem a sapientia proficisci posse ac mundum, in quo omnia naturaliter eveniant, verum esse sapientiae opus, multoque meliorum eo, in quo multa miracula patrentur (*Vernanfrige Gedanxenvon Gott, der Wel, und der Secle der Menschen* §§. 1039. 34.).

5.) Haec de miraculorum possibilitate doctrina multis fraudibus, ac deceptionibus ansam praebet; notum est, quam multae, et admodum noxiae fabellae tum olim inter idololatras, tum nostra quoque aetate in vulgus sparsae sint. Quid quod ignoramus, quatenus vires omnium substantiarum creatarum pertineant? omnes certe naturae leges, totumque rerum ordinem nemo perspicit, quod tamen necesse foret, ut de veritate miraculi absolute pronuncietur, ut argutatur Rousseavius (*Emile l.3. p.88.*). Et fortassis existit ordo quidam naturae diversus a praesente, nobisque adhuc incognitus, qui sese progressu temporis evolvat, ita ut secundum eum effectus ii insoliti, quos in miraculis enumeramus, necessario eveniant. Magis igitur e re fore concludunt, ut aut miraculorum possibilitas penitus tollatur, aut totum argumentum aeterno silentio praetereatur.

Digitized by Google

℟. Ad singula. Primum argumentum est huic simillimum: plurimae olim fabulae de Diis spargebantur: magis igitur consultum est existentiam Dei inficiari; o praeclaram, dignamque philosopho argumentationem! Si quando haec doctrina fraudibus, ac fabulis occasionem praebuit, id non ex ea *per se*, sed *per accidens*, ut ajunt, fuisse certum est, quod veritati minime obest; sed malitiae, aut ruditati hominum adscribi debet. Quis ignorat, sanctissimis quibusque rebus homines impios frequenter abuti, an eae propterea abjiciendae sunt? id solum inde sequitur, oportere, ut in ferendo de eventis insolitis judicio cautissimi simus, neque cum plebe nimis credula omnia sine discrimine in miraculis habeamus: verum aeque errant, qui nihil, quam, qui omnia credunt. Deinde ignoramus equidem, quousque vires totius naturae se porrigant; scimus tamen eas infinitas esse, ac proinde effectum, qui vim infinitam postulat, qualis est creatio, annihilatio, mortui suscitatio, ab iis proficisci non posse; scimus item perfrequenter; quid vires creatae in casu particulari, in his adjunctis, in quibus versamur, possint, aut non possint; scimus constantes esse mortum leges; ab iisdem caussis eodem modo applicatis eumdem semper effectum sequi, et quae sunt ejusmodi. Id jam vero sufficit, ut absolutum saepe de effectu insolito judicio formetur; cum enim dentur miracula quoad modum, quae in se totius naturae vires non exsuperant, satis est, ut certitudine morali constet, hunc effectum in his adjunctis a vi creata effici non posse: non igitur necesse est, ut vires totius naturae exploratas habeamus. Egregie hoc argumentum pertractat, ac Rousseavium refutat Bergierius (*Deisme refuté* p. 2. *Lettr.* 12. *p.* 211.). Ego autem ex Clerico (*Pneemat. s.* 3. *c.* 8. *n.* 6.) profanis istis minus suspecte quaedam proferam, quibus objectioni plane satisfiat. *Rerum quidem naturalium, ita ille, inadaequatam nobis esse ideam, aut an sit adaequata, scire nos non posse ultro fatemur. Attamen tanta non est ignorantia nostra, ut nunquam quidquam praeter naturae ordinem esse affirmare possimus. Multa gentium, et saeculorum omnium experientia constat, qualia sunt, quae modo diximus. Proprietates quidem omnes humanae naturae, et substantia, quibus homo constat, non satis esse notas passim ostendimus, nec eo secius ab homine decem millia pondum bajulari, et ignis vehementiam sine detrimento ferri non posse notum est. Si quis tantum pondus ferat, aut illaesus in mediis ignibus diu maneat, id praeter naturae esse ordinem omnibus liquet. Si diceretur cometa ad solis nostri vorticem appulsus praeter naturae ordinem esse, posset hoc in dubio revocari, quia satis nobis non est notus cometarum motus, ut quid sit praeter ordinem, quo moventur, certo definire queamus. Sed ubi de rebus sermo est, quas omnes homines semper eodem modo se habere experti sunt, quid sit praeter naturae ordinem, pronunciare certo possumus, et ex allatis exemplis intelligere est.* Qui denique ad occultum naturae

ordinem confugiunt, ii viderint, in quas sese tenebras ultro abdant. Si ignotus ille ordo, quo argumento exstare comprobabitur? eritne ille diversus a conspicuo hoc totius mundi corporei ordine, an idem cum eo? si idem: quomodo incognitus? si diversus: an etiam oppositus? at repugnat utique, ut eodem tempore in eodem mundo duo ordines inter se pugnantes obtineant; si autem non oppositus, tum cum noto nobis ordine congruet; quid igitur? an nihilo minus effectus secundum illum evenientes huic repugnabunt? an non potius huic quoque conformabuntur? demum si ignotus ille ordo, qua ratione Prophetis, Apostolis, aliisque pietate conspicui innotescere potuit? innotuisse autem vel ex eo luculente patet, quod ordinis hujus effectus praeviderint, praedixerint, illique secundum illorum verba, aut preces constanter evenerint.

SOLUS DEUS EST VERA CAUSSA MIRACULI.

XCVI. *Solus Deus est caussa efficiens principalis miraculi.* Miraculum, utpote effectus supernaturalis (§. 93.) vel absolute non provenit a vi substantiae creatae, vel ab ea quidem provenit, sed non ut agente secundum universales naturae leges (§. 91. coroll. 1.); quidquid horum sit, sua constat propositioni veritas. In priori siquidem casu aperte consequens est, ut illud a vi substantiae increatae, quae Deus est, proficiscatur: in posteriori autem substantia creata agit secundum legem quampiam extraordinariam pro singulari hoc casu praestitutam, ac proinde ad nutum, et specialem jussionem Dei, qui solus statutas a se leges mutare, novamque sancire potest; sed ejusmodi caussa ministerialis est, et istrumentalis aequiparatur; alteraque, ad cujus nutum actio exercetur, principalis audit (ont. §. 147. et sch. 1.): in utroque igitur casu solus Deus est caussa efficiens principalis miraculi.

Coroll. 1. Miraculo igitur velut vivae Dei voci auscultandum; neque fieri omnino potest, ut doctrina, in cujus confirmationem patratur, vera non sit.

Coroll. 2. Atque ideo infinitae Dei bonitati, veracitati, ac providentiae repugnat, ut miraculum edatur iis in adjunctis, in quibus spectatores secundum omnes humanae prudentiae leges ad falsam doctrinam amplectendam inducerentur.

Schol. 1. Neque vero quis in dubium vocabit, opinor, mutationem universalium naturae legum ad solum Deum pertinere; ille enim solus supremum in res creatas dominum obtinet, hocque usus dominio has leges constituit: quare, etsi ignoremus, cujus efficacitatis vires creatorum spirituum sint, id tamen certissime affirmare licet, ipsos generales naturae leges perturbare, aut aliqua ratione immutare non posse. Errant igitur, qui Clarkium secuti geniis quoque seu bonis, seu malis vera miracula patrandi potestatem tribuunt (*Syst. intell.* c. 5. s. 1. §. 8.). *Non animadvertit Clarkius, inquit Moshemius in Cudworthum, incredibile omnino, et a ratione aversum videri, Deum, qui summa sapientia leges*

Digitized by Google

naturae sanxit, et rogavit, inferioribus naturis tantum virium largitum esse, ut, si velint, legibus illis modum queant ponere. Certe nulli sapientiam, et providentiam suam probaturus esset rex ille, qui ministris suis facultatem daret, leges magna cura excitatas a se, ac roboratas pro lubitu vel abrogandi, vel impediendi. Neque caussae aliquid video, cur de supremo Numine aliter nobis existimandum sit. — Nulla res cum veritate, et religione major sit, haud esse tantam inde liquet malis geniis potentiam a Deo datam, quantumque ceteroquin ea in se sit, ut vel ad errorum confirmationem, vel ad veritatis coelestis oppugnationem miracula pro lubitu, et arbitratu facere queant. Nimis remotum a divina sapientia, et benignitate videtur, ut daemones, quibus odio sunt homines, et divina veritas, potestate, quam acceptam a Deo habent, libere utantur ad consilia divina invertenda; hominesque in vitia et errores inducendos. Nemo, ut opinor, sapientem et reipublicae cupidum regem illum diceret, qui eodem tempore, quo ipse leges utilissimas rogat, hostes suos pateretur perniciosas circumferre sententias, populoque viam ad exitium sternere, siquidem his conatibus resistere posset.

QUAE DE VIRIBUS SPIRITUUM OPINIONES?

Schol. 2. At vero etsi omnino certum videatur, nullam esse spiritibus puris in universales naturae leges potestatem: id tamen inter doctissimos quoque viros acriter disceptatur, utrum iisdem omnino absolute vis deneganda sit, qua utpote validiores, sagacitoresque hominibus, multa efficere queant, quae in se quidem naturae legibus consentanea sint, nobis tamen iisdem adversa appareant, atque ideo speciem quandam miraculi prae se ferant. Duae sunt hac de re sententiae; affirmantium una, negantium altera: ego utriusque partis momenta ea, qua fieri poterit, brevitate enumerabo: utra earum verior sit, lectoris est arbitrium.

Ad priorem accesserunt Leibnitius (*Essai de Théod. p.* 3. §. 249. *Récueil. de div. pièc. t.* 1. *écrit.* 4. *et* 5. §§. 44. *et* 117.), qui effectus a geniis patratos *miracula respectiva, ac inferioris ordinis* compellavit, Martinus Delrio, et recentius auctor anonymus (*Traité des miracl. à Paris* 1763). Sed omnium accerrime eam propugnavit Cudwortus (*Syst. intell. c.* 5. *s.* 1. §§. 84. *seqq. Loc. cit. not.* 1. *ad* §. 36.), cujus doctrinam magnis praeconiis extulit Moshemius, atque compendiarie ita proposuit: *Negat vir doctissimus (Cudwortus) tantas esse malorum geniorum vires, ut vera possint edere miracula, id est, naturae leges, quas Deus ipse posuit, vel tollere prorsus, vel etiam mutare: concedit autem fieri ab illis posse multa, quae nobis videantur miracula, et hominum omnium facultates excedant. Neque est (subdit) inter philosophos et theologos aliquis, qui hac de re dubitationem umquam commoverit. Distinguunt contra omnes inter*

Digitized by Google

miracula, *et inter* mirabilia; *haec effici posse a geniis affirmant: illa negant. Addit vir eximius: hac potestate non uti posse pro libitu, et arbitratu inter homines cacodaemonem, praesertim cum res agitur verae Religionis: sed tum tantum, cum Deus id patiatur, permittere autem in Deum non aliter, quam cum aut explorare velit hominum erga se voluntatem, aut populos, qui lucem veritatis diu spreverant, et contempserant, justissimis poenis afficere, et in errorum servitutem tradere. Atque superius quidam si facere velit, non sinere supremum Numen, ut ad aliorum dogmatum confirmationem cacodaemon miracula (intellige, illa mirabilia) patret, quam eorum, quorum turpitudinem, et falsitatem simplicissimus quilibet statim perspicere valeat.* Et vero, ut nonnulli arguunt, spiritibus ab omni corporis compage separatos multa in hoc mundo praestare posse vel inde efficacissime suaderi videtur, quod et vi agendi polleant, ut omnes reliquae substantiae creatae, et creati cum sint, ad eam rerum seriem, quae totam hanc universitatem constituit, pertineant, quam ob rem certis quoque legibus a Conditore praestitutis in agendo adstricti videntur. Quae quidem hypothesis si assumatur, facile intelligitur, quomodo naturaliter, et salvis naturae legibus effectus prorsus mirabiles a spiritibus effici queant? quemadmodum nempe, cum ope antliae aquam elevamus, aut lapidem sursum projicimus, lex generalis de gravium descensu non mutatur, cum alia aeque generalis, qua corpora directionem vis fortioris sequi jubentur, extet; ita cum spiritus secundum sibi legem praestitutam quidpiam agit; communes naturae leges, inter quas et illa locum habet, minime laedit. Addunt deinde quam plurima tum ex veteri gentium historia, tum ex ipsis SS. litteris (*Deut. c.* 13. *v.* 5. *Matt. c.* 24. *v.* 4. *v. Thessal. c.* 2. *v.* 9. 10. 11.) testimonia, in quibus interpretandis contrariae sententiae patroni ingentem violentiam adhibere coguntur, ut id, quod cupiunt, exculpant; difficillimum nimirum esse putant, ut omnia loca, in quibus vel ipsius cacodaemonis, vel ejus ministrorum miracula commemorantur, de fraudibus solum, dolis, et fallaciis inimicorum veritatis intelligantur. Proferunt quoque exemplum: Magi, ajunt, Ægyptiaci (*Exod. c.* 7. *v.* 11.) virgas in colubrum vertunt; qui ad haec adversarii? Praeparatos a Magis jam antea fuisse illos colubros inquiunt. Ita Constantinus Franciscus de Cauz in suo eruditissimo de cultibus magicis opere (*L.* 1. *c.* 6. §. 173.): (*Moysis*) *quum Pharao eludere vellet, vocavit* sapientes, et *maleficos, quibus quod jam Moysis miraculum renunciatum fuit, facile fuit serpentibus (his namque venenum adimere populis orientalibus cognitissimum erat) se munire, et dexteritate manuum, objectisve quibusdam largius eadem simulare. Addit enim sacer textus,* fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, et arcana quaedam SIMILITER. *Quia heic nihil de opera daemonis dicitur, quid vetat, secundum historiae ductum de impo-*

sturis, et praestigiis philosophorum, et theologorum gentilium ea accipere? Tum ad explicationem hanc corroborandam provocat ad viros omnium aetatum doctissimos et ad ipsum S. P. Benedictum XIV. (*De Can. SS. l.* 4. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 4.). Quod vero deinde dicantur in S. textu virgae *versae, fuisse in dracones*, id de substitutione commode intelligi posse putat, quemadmodum alias dicitur *luctus versus fuisse in gaudium* (*Reg.* 19.). At interpretationem communi SS.PP. ac celebriorum Scripturae interpretum opinioni adversam esse contendunt alii, laudantque pro se Tertullianum (*L. de anim. c.* 57.) Justinum M. (*Q. orth. resp. ad q.* 26.), Ambrosium (*In c.* 3. *ad Tim.*), Hieronymum (*Q.* 2. *ad Algasiam.*), Gregorium Nissenum (*L. de vit. Moys.*), Rupertum (*In Exod.*), Prosperum (*De promiss. p.* 1. *c.* 15.), Sedulium (*Carmel. l.* 4.), Augustinum, Thomam Lyranum, Tostatum, Pereirum, Cornelium a Lapide, Josephum quoque Flavium (*Am. l.* 2. *c.* 5. *Loc. cit. n.* 14.); neque Benedictum XIV. quidpiam praesidii adferre; innuit ille quidem, ajunt, versionem eam pro substitutione accipi posse; at non clare exprimit, utrum hanc substitutionem. Magis ipsis an in eorum gratiam a daemonibus factam fuisse putet, quin hoc ipsum intellexisse argumento est, quod laudato in capite ab initio ad numerum 17. usque haec questio pertractetur; utrum malis angelis vis, ac potestas vera miracula patrandi competat? Quam Sanctissimus Pater ita definit, ut detracta vera miracula edendi potestate vim tamen mirabilia efficiendi daemonibus tribuat: ita docet posse angelos etiam malos naturali sua virtute ignem ex superiori aeris regione demittere; posse item vehementissimos ventos concitare, quibus maxima hominibus damna inferantur. Sed redeamus ad magos Ægypti: demus ipsos serpentes aliquot praeparasse antea, et in sinu absconditos tenuisse; quomodo aqua fluminis in sanguinem convertere? Quomodo item tantum ranarum numerum et brevissimum intra tempus colligere; et occultare, et tanta dexteritate, ut Pharaonis praesentis oculos laterent, in omnem circa regionem dispergere (*Exod. c.* 7. *v.* 22. *c.* 8. *v.* 7.)? Cur deinde non ea quoque ratione sciniphes educere potuerunt (*Ib. n.* 18.)? Cur denique summi Numinis professi sunt: *digitus Dei est hic* (*Ib. n.* 19.)? Audiamus rursus celeberrimum Moshemium (*In Cudw. l.* 5. *s. c.* §. 86. *p.* 871.). *Si astu egissent omnia Magi, Moyses, et sibi, et caussae, quam tuebatur, Dei haud melius consulere potuisset, quam si fraudulentis, et callidis hominibus istis speciem suam detraxisset, arcanaque eorum scelera, et flagitia, Pharaoni, Ægyptiisque omnibus aperuisset. Ita omnis cecidisset hujus generis auctoritas! Ægyptus perspectis magorum fraudibus nec religionem amplius, nec rem publicam tam sceleratae credidisset familiae, novis denique, et saepius repetitis miraculis ad flectendam Pharaonis mentem haud fortassis opus fuisset. Hoc ergo cum minime Dei hic legatus feceris, sed multitudine miraculorum potius*

regis animum expugnaverit, effici hinc posse putem, non tam dolis, quam auxilio daemonum armatos ad certamen cum Moyse magos processisse. — Ipsa deinde magorum miracula non sunt talia, ut leges naturae evertant, aut commode a genio quodam fieri nequeant. — Adstiterunt meo judicio daemones quidem his hominibus, et sublatis repente baculis serpentes quorum ingens erat in Ægypto copia, in medium projecerunt. Praetereo alia eruditissimi hujus auctoris, quae huc quam maxime facerent; ut cum solidissime ostendit verba Servatoris nostri (*Loc. cit. p.* 869. *Matth. c.* 24. *v.* 24.): *surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*: unice de fraudibus, et dolis intelligi non posse; neque enim, quod praecipue urget, gratia, et electio; sed ratio potius, et intellectus ad detergendos dolos requiritur, quae in reprobis quoque dari possunt. Tum et illud S. Pauli de Antichristo loquentis (2. *Thess. c.* 2. *v.* 9.): *cujus est adventus secundum operationem satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus*, ubi verba illa *secundum operationem.* Satanae κατ' ἐνέργειαν τȣ σατανα oppositam interpretationem prorsus excludunt (*L. cit.* §. 83. *n.* 1.). Similiter haec duo evincit; primum absurde, et periculose ad morbos tantum corporum, eorumque curationes detorqueri, quae in libris novi foederis de daemonibus hominum corpora obsidentibus, eorumque electione referuntur (*Ibid.* §. 89. *not.* 5.). Alterum: eam opinionem rationibus non destitui, nec falsitatis aperte argui posse; quae docet daemones, oraculorum quorumdam apud veteres auctores fuisse. Sed et istud in caussae suae patrocinium adducunt, qui vim efficiendi mirabilia spiritibus indulgent, quod adversae partis patroni in explicandis id genus eventibus ad praestigias, et illusiones daemonis saepius recurrant. Nec ipse doctissimus Cauzius ab ea responsione alienus videtur, cum ait (*De cult. mag. l.* 1. *c.* 5. §. 180.) *Separandae omnino ab hac quaestione sunt tentationes et illusiones diaboli, detentiones in erroribus idolatricis quin immo tempore adventus Christi, et post eum ad demonstrandum in omnes spiritus dominatum a divino numine admissae obsessiones demoniacae. Et rursus: Quid igitur daemonis potestate dicemus? Possumus admittere illusiones ab eo factas idololatris cum S. Athanasio.* Jam vero hac ratione satis stabiliri putant commercium quoddam daemonis cum hominibus: quid enim? Quaerunt, si daemon tentet; si illudat; si in idololatria homines detineat, an non vi sua naturali quaedam efficere poterit, quae nobis mirabilia videantur? Istud vero qui admiserit nulla prorsus operationes, quas dicunt magicas, a denique nostra quoque aetate edi posse difficillime conficiet. Deinde quid illae daemone praestigiae, ac illusiones sonant? Duplici illae modo tantum intelligi possunt, ut docet Clericus (*Pneum. s.* 2. *c.* 4. *n.* 11.): *A quibusdam ita intelliguntur; quasi esset, sen-*

sibus objiciant, ut domus v. g. ibi videatur esse, ubi nulla est. Sed ut hoc fiat, aut cerebrum spectantium movent, ut solet moveri, quando observatur domus, aut in aere domus speciem, quandam, quae oculos spectantium percellat, extruunt. — *Praestigiae ab aliis dicuntur artes quaedam in sola dexteritate, et celeritate sitae, quales sunt agyrtarum, qui manuum dexteritate, et motu celerrimo portenta quaedam vulgo edere videntur.* Quidquid igitur praestigiarum nomine ipsis veniat, veram aliam actionem, quam aperte negant, occulte daemonibus attribuunt.

Venio ad alteram opinionem, quam eorum esse, Moshemius ait, qui sapientia ceteris praestare sibi visi sunt: hi omnia generatim ac sine discrimine in vulgi commentis reponunt, quaecumque de miris geniorum operationibus in historiarum monumentis referuntur. Defendunt hanc sententiam prae reliquis Samuel Werenfelsius (*Diss. de mir.*) Joann. Alphonsus Turretinus (*Diss. de verit. rel. chr.*) Arnoldus Noltenius edita singulari dissertatione Francofurti ad Viadrum anno 1717. Jacobus Serces; tum Scipio Maffeus (*Ars mag. in nih. reducat.*) Ferdinandus Sterzingerus (*Betrungen de. Zauberes.*) Academiae Boicae Socius, Ardoino dell' Osa (*Nich. tigkeit. der Hexerey. und Zumber hunst.*) vero nomine P. Jordanus Simon ordinis S. Augustini, et saepius jam laudatus a me Cauzius, aliique. Omnes hi in praecipui argumenti loco fraudes innumeras, quas hac in re contigisse certum est, fusa oratione persequuntur. Verum his illud opponi potest, quod Moshemius (*Syst. intell. c. 5. s. 1. §. 89. n. 5.*) de veterum oraculis in Cudworthum adnotavit. *Si vel sexcenta docuero oracula hominum calliditate, atque dolis esse edita, haud tamen id argumento esse poterit reliqua oracula ejusdem esse generis, nisi antea luculentis planum faciam rationibus, fieri nullo modo posse, ut daemones vel per ministros suos, vel alio modo de rebus futuris homines erudiant.* Nec omnino credibile est daemones numquam se immiscuisse in supertitiosos, et magicos veterum ritus, cum tamen ipsum eorum cultum sibi vendicasse, et gentes in idololatria detinuisse, Cauzius ipse cum aliis profiteatur. Addunt deinde impletionem desiderii hominis impii non posse esse rationem sufficientem, ut Deus permittat daemonem quidpiam homini praestare; quin pugnare cum Dei providentia, et bonitate videtur, ut ipse totum fere genus humanum fraudibus diabolicis ita decipi sinat. At non ejus desiderii impletionem reponunt alii, esse ejus rei rationem sufficientem; sed Deum alios posse habere fines suis perfectionibus congruentissimos, cur interdum admittat, ut impio hominis desiderio per quoddam daemonis servitium satisfiat; neque id infinitae ejus bonitati officere, quemadmodum non officit, quod maximam generis humani partem detineri in idololatria a daemone passus sit; immo si divinae bonitati adversum non sit, admittere, ut homines per homines, ariolos nimirum, magos, et sacri-

ficulos turpissimis modis decipiantur, et in absurdos plane errores inducantur, cur eidem repugnet, ut homines daemonum praestigiis aliquando deludantur? Dedit nempe Conditor optimus hominibus rationem, quae, ut ipsorum opinione dolis hominum detergendis par est: ita quoque ad geniorum malorum illusionem discernendas sufficere potest. Ajunt denique daemonophobiam, quae necessario ex hac doctrina profluit, obesse religioni, veramque in Deum fiduciam ex mortalium animis delere (*Vorgangiger Ver suchzu Ervviir Kung eines Vertrang svvischen dem in dem bischerigen Hexerey. Kriege vervvichelten Gelehrten*). Verum alii fiduciam hanc inde augmentum potius accipere contendunt, quemadmodum qui se a daemone continuo tentari posse norunt, non propterea spem, ac fiduciam in Deum abijcunt; sed eo magis eam amplificant, quo magis inde egestatem suam, ac divini auxilli necessitatem agnoscunt. Quod si quis derelicto Deo ad daemonum opem confugiat, id uni ejus impietati tribuendum erit, ut qui contemptis divinis instinctibus tentationis consensum praebet, culpam sibi soli adscribat, necesse est. Sed de his fortasse satis videatur quoque auctor, qui ignorari voluit.

CAPUT III.

De Criteriis veri Miraculi.

QUAE CRITERIA MIRACULI -- ET QUOTUPLICIA?

XCVII. *Criteria* miraculi eae sunt notae, seu characteres, per quos miraculum verum, et proprie tale ab effectu solum mirabili, et speciem aliquam miraculi prae se ferente certitudine morali discerni potest. Horum notitiam accuratam sibi comparet philosophus, necesse est; nisi cum rudi plebencula in plurimos errores praecipitare velit.

Schol. At vero hic opus, hic labor; etsi enim effectus miraculosus per id, quod supernaturalis sit, in abstracto facillime a quovis alio dignoscatur: difficillimum tamen est, in casu quovis individuo certum ea de re judicium ferre. Habet hic verus illud Epicharmi locum: *nervos esse sapientiae nihil temere credere* (*In Cudvvor. c. 5. s. 11. §. 89. nat. 1.*). Quod in has notas generatim attinet non sentio cum Moshemio, qui eas rudissimorum quorumque captui accommodatas esse oportere contendit; praeterquam enim quod insignis rerum physicarum peritia, quae in vulgus non cadit, omnium consensione requiritur, rudes muneri suo satisfaciunt si sese doctorum, ac suorum praesertim pastorum judicio submittant.

XCVIII. Effectus mirabilis, de quo, num in miraculis habendus sit, quaeritur, potest vel 1.) reapse non extare, sed incertis solum vulgi rumoribus confictus esse; vel 2.) provenire a caussis materialibus, quarum vires naturali quidem, sed insolito, ac nobis ignoto

Digitized by Google

modo in casu quodam singulari compositae effectum mirum, et extraordinarium producunt; vel 3.) effici a circumscriptore quodam occultis fraudibus, dolis, ac iis artibus, quae a dexteritate manuum, agilitate corporis, aliisque similibus fallaciis pendent, utente; vel 4.) a veteratore daemonum ope adjuto, seu ab ipsa naturali malorum geniorum vi, et efficacitate; vel 5.) ab homine probo auxilium ferente angelo bono, sive reapse a vi naturali boni genii secundum leges sibi a Deo praestitutas agente; vel denique 6.) a Deo ipso ut caussa principali, seu cum, seu absque caussa ministeriali, operante et in hoc ultimo solum caussa vera miraculi ratio adest (§. 96.): ut igitur veritate miraculi moraliter certo pronuncietur, necesse est, ut diversa praesto sint indicia, per quae illud primum a vulgi fabulis, tum ab effectu naturali, et caussarum materialium, et fraudulentorum hominum, et spirituum quorumdam eadem certitudine djiudicetur.

Schol. Argumenti dignitas postulat, ut haec indicia fusiori oratione persequamur.

QUOMODO VERUM MIRACULUM DISCERNITUR AB EFFECTU FABULOSO?

1.) Eventum contigisse nisi usu sensuum, aut auctoritate constare non potest: quare cum ea de re quaestio instituitur, leges criticae, quas de utroque in logica (p. 2. c. 5. 6. et p. 3. c. 4.) copiose suppeditavi, in subsidium vocandae sunt. Hac ratione certi reddimur evenisse omnino ea facta, quae de Moyse Hebraeorum duce Cristo Servatore nostra, ejusque Apostolis in sacris litteris referuntur tum et ea, quae a testibus coaevis, et occultatis SS. Augustino, Ambrosio, Hieronimo, aliisque narrantur; neque in dubium vocari possunt nisi ab eo, qui omnem fidem humanam abjecerit. Ex eodem vero capite explodimus Atti Naevii prodigium, qui inspectante Tarquinio, ac populo Romano cotem novacula discidisse perhibetur: nullo enim idoneo teste nititur, ut vel ex ipsa Livii narratione patet, quin risum fuisse, et in fabulas relatum ex Tullio manifestum est (*De nat. D. l. 3. c. 6.*). *Nec possum*, ita ille, *Atti Naevii, quem commemorabas, lituum contemnere. Sed qui ista intellecta sunt, e philosophis debeo discere, praesertim cum pluribus de rebus isti divini mentiantur.* Et rursus: *Omitte igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemne cotem Atti Naevii: nihil debet esse in philosophia commentitiis fabelli loci* (*De div. l. 2. c. 38.*). Ita quoque fide minime digna censemus facta quaedam prorsus stupenda, quae Philostratus Apollonio Tyanaeo tribuit, nam auctores aequales de iis siluerunt, et Philostrati librum fabulis, mendaciis, erroribus geographicis, contradictionibus, et iis, quae certis historiae romanae monumentis contraria sunt, scatere demonstrarunt Eusebius Caesareensis *L. adv. Hierocl.*), Photius (*Bibl. cod. 44.*), Scaliger (*In Eusebian.*), Baronius (*Annal. t. 1. an. 78.*), Huetius (*Demon. Evangel. prop. 9.*).

Digitized by Google

AB EFFECTU MIRABILI ET NATURALI SUBSTANTIARUM MATERIALIUM?

2.) Miraculum discerni debet ab effectu mirabili, qui a viribus caussarum materialium insolito modo concurrentibus interdum producitur; ut cum mula Reate peperit, aut Theani Sidicini puer cum quatuor manibus, et totidem pedibus natus est, qualia velut verissima prodigia laboriose olim Julius Obsequens collegit (*Prodig. lib. imperf.*). Hic vero opus est egregia rerum naturalium peritia, qua quia vulgus destituitur, plurima in miraculis numerat, quae talia nequaquam sunt. Physicae igitur diligentem navem operam, caussasque naturales, constantes motuum leges, ac totius, qua cognosci potest, naturae ordinem perscrutentur, necesse est, quibus de miraculis sententiam ferre incumbit. Neque tamen, quod supra monui (§. 95. schol. 2. n. 5.), omnia sine discrimine in dubium vocanda sunt ea solum de caussa, quod omnes naturae vires, earumque efficacitas a nobis cognosci haud potest; ut enim multa nos lateant, scimus certo non esse, eam in saliva cum pulvere commixta vim, ut oculos caeci nati continuo aperiat: scimus certo eam inveteratorum morborum esse naturam, ut non subito, et uno prope momento, pronunciatis quibusdam vocabulis formato crucis signo, aut solo vocis imperio prorsus tollantur, viresque amissae redeant. Quare effectus non duntaxat secundum suum *esse physicum* considerandus est, quod studiose monet auctor anonymus (*Traité de miràcl. p. 1. c. 3. et 18.*), et multis probat Hollmanus in commentatione philosophica de miraculis, et genuinis eorum Criteriis, cujus epitome actis Lipsiensibus (*Ad. ann. 1728. pag. 28.*) inserta est; sed ad id multo maxime animus averti debet, utrum in his adiunctis, in quibus effectus, producitur vis quaedam naturalis operetur, quae si tum abesse deprehendatur, nihil obesse potest, quod vis ejusmodi ceteroquin ad effectum sufficiens in tota natura extaret. Atque istud quemadmodum in difficillimorum morborum curationibus a Cristo Domino adhibitis certissime; ita in illis, quibus sibi Apollonius tantam apud rudissimam plebeculam famam concitavit, minime obtinuit; fuerat, nempe circumscriptor ille egregia pro illorum temporum ratione scientiae medicae cognitione imbutus, quod studium sectae pythahoricae, in qua ipse nomen profitebatur, imprimis proprium fuisse Jamblycum testarum reliquit (*Vit. Pythagorae c. 15. et 34.*); nec nullas ea in arte progressiones fecerat, cum maximam adoloscentiae partem in celeberrimo ad Ægas Æsculapii fano transegit, ejus sacerdotibus familiarissime usus, quos medicae admodum peritos fuisse vel ex eo colligi potest, quod omnis ejus idoli cultus, ac religio in diversorum morborum curationibus constiterit: vide Arnobius (*Cont. gen. L. 1.*) item Lucianus in Philopseude (*Opp. l. 2. p. 333.*) Hoc porro adjumento instructus eas orientis regionis peragravit in quibus ob ingentem medicorum penuriam in Diis numerabantur, qui corpore aegris aliqua ratione mederi scirent: quare mirum non

est Apollonium factis quibusdam curationibus tantam in rudibus, ac superstitiosis animis commotionem effecisse ut alter Æsculapius vel Chiron haberetur. Magistrum hunc suum egregie secutus est Alexander quidam, quem similibus fraudibus ignoranti plebi illusisse auctor est Lucianus in Pseudomanti (*Opp. t.* 1. *p.* 750.). Huc quoque pertinent morborum sanationes in Æsculapii templo ab ipso Deo, si mendacibus sacrificulis fides habenda foret, reapse ab illis ipsi per medicamenta naturalia occulte applicata procuratae (*L.* 3. *d.* 124.). Quemadmodum demonstravit Origenes adversus Celsum, et ex laudata Luciani Philopseude patet, cujus haec sunt verba: *Æsculapius, ejusque posteri salutaria pharmaca, admoventes medebantur.* Consulatur quoque Moshemius (*In Cudw. c.* 5. *s.* 1. §. 84. *not.* 2.). Quamvis alia praetio quoque conduxerint, qui se Æsculapii ope sanatos publice mentirentur; quam ob rem Aristophanes (*Pluto act.* 5. *v.* 555.) servulum cui nomen Carion, has sacerdotum Æsculapii fraudes jocose exagitantem in scenam induxit.

AB EFFECTU NATURALI CIRCUMSCRIPTORIS?

3.) Necesse quoque aliquando est, ut miraculum a consuetis circumscriptorum fraudibus, et dolosis artibus discernatur: quo quidem ipsa haec, quae nunc de Apollonio, Alexandro, et Æsculapii sacerdotibus commemoravi, aliqua ratione pertinent; sed fuisse etiam alia, quae huc proprie referuntur, ab Apollonio patrata dubitari vix potest; quale illud est, quo populo Ateniensi imposuit, per se in foro daemoniacum ab infesto hospite, qui in ejus rei signum statuam in portu regio dejecerit, liberatum fuisse. Hujus generis quoque sunt miracula, quae olim de Vespasiano, et Adriano Imperatoribus in vulgus sparsa sunt; Vespasianus oris sputo caecum, et impulsione pedis manu captum curasse: aut dudum viri doctissimi Daniel Huetius (*Demon. Evangel. prop.* 9. *n.* 6.), Baronius (*Ad ann.* 71. *n.* 6. *et ann.* 119. *n.* 2.), Bellarminius (*De notat. Eccl. c.* 14.), aliique demonstrarunt, eas sanationes ab occultis Ægyptiorum sacerdotum Serapidis, inter quos Alexandriae res acta est, fraudibus profectas, morbosque eos ab hominibus pretio corruptis simulatos fuisse Vespasianus nimirum elatus adulationibus Flavii Josephi, qui ipsum promissum divinis oraculis Messiam assentatorie proclamabat, et solii firmandi cupiditate adductus, id non alia melius ratione apud populum superstitionibus, ac Serapidis praesertim culti addictissimum se obtenturum speravit. Videatur Moshemius. Neque etiam praetereundum: quos praecipuos horum mirabilium scriptores Tacitum, et Svetonium (*In Cudwort. c.* 4. §. 15. *not.* 2.) in his enarrandis inter se non consentire, quod enim alter de manu, hic de crure refert. *Alexandriae*, scribit Tacitus, *quemquam caecum monitum a Deo Serapide ad Vespasianum venisse, et rogasse* (*Hist. l.* 4.). — *Alius manu aeger eodem Duo auctore, ut pede, ac vestigia Caesaris calca-*

Digitized by Google

retur, orabat. Svetonius contra (*Vita Vespasiani*): *E plebe quidam luminibus orbatus: item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinem demonstratam a Serapide per quietem restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere.* Inde vero patet, auctores hos nimium incertis vulgi rumoribus tribuisse, neque adeo ipsorum narrationes semper fide dignas esse. At jam quid in id genus eventibus disjudicandis subsidii adhibebimus? Praeter accuratissimum omnium adjunctorum examen vix quidpiam certi praescribi posse videtur; nonnumquam fraudes sunt patentiores, quae a quovis non plane obtusae aciei ingenio detegi possunt; alias magis occultantur; sed et tum vigilans in singula attentio nebulas dissipabit. Quodsi tamen aliquando dubium remaneat, id facile tolletur, si sedulo observentur ea, quae mox dicam.

AB EFFECTU NATURALI DAEMONUM?

4.) Ut miraculum a naturalibus malorum geniorum operationibus, quas ipsi Deo permittente nonnumquam exercent, acute distinguatur, varii varia praecipiunt. S. Thomas ex S. Augustino docet miracula a daemonum praestigiis differe potissimum efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine. Hollmanus in supra laudata commentatione jubet animum converti ad contemplanda adjuncta personae, quae effectum admiratione dignum producit: tum ad susceptae actionis primarium, ac ultimum finem (§. 21. 22.). *Supponere licet*, ita ille, *miracula omnia a quacumque demus caussa ministeriali proficiscantur, ita manifeste esse comparata, ut judicio omnium, qui vires humanas intelligunt, easdem superent, ut adeo eadem non nisi alius cujusdam invisibilis caussae concursu fieri posse omnes facile judicare queant; duo autem modo hic sunt caussarum genera, ad quae duce revelatione recipere nos possumus. Deus, et qui illi inserviunt boni angeli, diabolus, et daemones, ex quorum numero alterutrum certe ad miraculosi (vel mirabilis) effectus productionem concurrere oportet, cum tertium quid neque ratio, neque revelatio praeter hos ipsos agnoscat. Qualis autem caussae homo, qui effectum viribus suis majorem producit, usus fuerit opera, Deine, an diaboli, id ex circumstantiis personarum, ut et fine, et scopo actionis dijudicandum est. Etenim si homo sit, de cujus erga Deum pietate aperte constet, hicque, quantum ex ejus actionibus reliquis cognoscere licet, honeste, et pie vivat, atque a fraude, dolo, fallaciaque liber sit: de eo jam maxime est probabile, eum solius Dei ope adjutum effectum illud producere. Si vero accedat, illum actionibus suis nihil nisi amplificandam Dei gloriam, et promovendum ejusdem inter homines cultum quaerere, ipsum nec honorem proprium, nec divitias, fortunasque alias, aut alia tantum ejusmodi sectari; sed unice agere, ut homo magis, magisque ad Deum agnoscendum, praedicandum, colendumque adducatur;*

eum etiam in finem, quidquid faciat, suscipere, ut doctrinam de Deo traditam magis, magisque eo ipso confirmet: tum vero quin talis ipsius Dei adjutus opera agat, nullum omnino amplius est dubium. Imprimis autem sedulo hic attendendum est, num tales ejusmodi homo de Deo foveat doctrinas, quas jam ipsa sibi relicta ratio impias atque profanas esse intelligit; an vero ea de eodem, ejusque voluntate tradat, quibus in agnita veritate naturali magis, magisque, confirmemur, defectus etiam rationis suppleantur, et perficiantur. Haec Hollmanus; quae denique doctrina eo redit: verum miraculum ab effectu daemonum naturali certissime dignosci, si operans, operandi modus, finis, quibus addi potest, multitudo talium effectuum in accuratissimum examen vocentur. Sed sunt haec paullo uberius enucleanda: Examinandus igitur est.

Operans; Duplex praesente in casu quaestio oritur, una *juris*; utrum daemon vi sufficiente ad effectum hunc mirabilem edendum polleat; altera *facti*: utrum reipsa daemon illum effecerit. Priori penitus satisfacere nequimus, nisi tum, cum evidens est, veram legum naturae universalium mutationem, quae ad solum Deum pertinet (§. 96. schol. 1.), factam fuisse. Posteriorem ut definiamus, in vitam, mores, aliasque hominis, qui effectum mirabilem patrasse videtur, qualitates oculorum, mentisque aciem intendimus, atque in his praeter commemoratas ab Hollmano insignem quamdam animi demissionem, quae solidae pietatis fundamentum est, jure requirimus; fuit enim nullo non tempore proprius hic character omnibus illis, quos a Deo hoc dono condecoratos novimus, ut in Moyse, Elia, Jeremia, aliisque patuit. Animi contra elatio, ac superba praesumtio fidem miraculo detrahit. Postulat equidem aliorum quandoque bonum, ut dona sibi a benignissimo Numine concessa manifestentur; verum patefactionem eam verecundus quidem timor, ac modesta animi submissio comitetur, oportet: facta sua magnifice praedicare; se ipsum admirandum populo insolenti offerre; effectionem miraculorum palam affectare: diem, horamque edendi prodigii cum jactatione designare certa sunt indicia, quibus servus diaboli a Dei famulo, Apollonius a Christo dignoscitur. Hoc potissimum argumento usus est Origenes, cum adversus Celsum veritatem miraculorum Christi propugnavit, hocque utendum esse in demonstranda vanitate miraculorum, quibus superstitiosa antiquitas se extulit, docet, Eusebius Caesareensis (*Dem. Evangel. l.* 3. *c.* 3.).

Operandi modus. Huc imprimis referuntur ipsa operis adjuncta, quae si ridicula, puerilia, inhonesta, obscena, et ad credulitatem conformata sint, operationem daemonis manifeste loquuntur, haec enim omnia divinam majestatem haudquaquam decent: ita paganorum sacrificia, oracula, fucataque prodigia fere semper cum turpissimis actibus consociabantur; ad crudelitatem pertinebant incisiones illae sacrificulorum in proprio corpore novaculis effectae,

Digitized by Google

prolium per ignem traductiones, ac immolationes humano sanguine foedatae. Refertur deinde locus, in quo effectus patratur: in fano Æsculapii, aut Serapidis nequeunt nisi simulatae, aut praestigiosae, et occulta daemonum ope membrorum curationes adhiberi: at in templo veri Dei, ad sepulcrum, aut imaginem alicujus sancti sua hominibus obsequia malus genius deferre non solet. Referuntur denique subsidia, ac instrumenta, quorum ope effectus mirabili obtinetur; in his praecipue videndum, an a Deo, vel natura eo ordinentur? an eorum usus lege seu ecclesiastica, seu civili jubeatur, vetetur, aut permittatur? an ad pietatem augendam, Denique cultum promovendum idonea sint?

Finis, ad quem effectus mirabilis, qui in quaestione vertitur, natura sua tendit, vel saltem spectatis omnibus adjunctis tendere prudenter existimandus est. Hac in re extra controversiam ponitur, verum miraculum semper ultimo ad amplificandam Dei gloriam; proxime autem vel ad doctrinam quampiam confirmandam, vel ad demonstrandam alicujus sanctitatem, vel ad patefaciendam quamdam perfectionem divinam, vel ad beneficium homini conferendum, vel denique ad Dei cultum, et virtutis exercitium in spectatoribus promovendum collineare. Si igitur quis effectum mirabilem ad propriam suam gloriam, ad utilitatem et commodum dirigat; si per illum lucrum temporarium quaerat: si illo ad morum corruptionem, ad fovendas doctrinas impias abutatur, sine mora ex miraculorum numero expungendus erit. Inde omnia veterum paganorum miracula vel solo hoc titulo rejicienda sunt, quod ad polytheismum rationi naturali alioquin repugnantem, et turpissimam idololatriae superstitionem corroborandam collineaverint. Atque character hic, qui a doctrina sive illa, qua effector miraculi imbutus est; sive illa, ad quam confirmandam effectus miraculis speciem referens tendit, est hoc loco omnino praecipuus, quod miracula tum a Christo, tum ab Apostolis, eorumque successoribus perpetrata expendenti obscurum esse non potest. Ipse olim Dominus populo suo hanc regulam constituit (*Deut. c.* 13. v. 1. 2. 3.): *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum, atque portentum. Et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis: non audies verba prophetae illius, aut somniatoris.*

Quod si itaque doctrina ea aperte cum ratione, morum honestate, aut alia quapiam veritate per revelationem cognita pugnet, nulla potest miraculo fides haberi; ubi contra maximum veritati pondus accedit, si illa in se honesta sit, rationique congrua, etsi naturales hujus vires exsuperet; neque tum oberit, quod ea religioni in illa provincia, in qua miraculum patratur, dominanti opponatur; quemadmodum imperite, ut non dicam, impie aliqui contendunt. Sane si istud ita se haberet, numquam idololatriae miraculis eorum, qui veram ipsis religionem annunciarunt, ad christiana sa-

cra amplectenda permovere debuissent, quod quam impie dictum sit, nemo non videt. At in vitium circuli nos incurrere ajunt nonnulli, ut qui per doctrinam miraculi veritatem, et per hanc illam demonstremus; his quidem respondere non est difficile. Doctrina confirmatur per miraculum, non vicissim; sed necesse utique est, ut doctrina antea ejus sit naturae, quae confirmationem a miraculis admittat, id est, ut possit esse vera; sique sit, tum miracula ipsam certo veram commonstrabunt. Non igitur requiritur, ut prius cognoscamus; aut ponamus doctrinam esse veram, quam certi simus de veritate miraculi; requiritur tamen, ut prius nobis appareat possibile esse, ut doctrina vera sit, nequeunt miracula ejus veritatem comprobare nisi praestabilita, et praecognita hac possibilitate: verbo ex possibilitate, vel probabilitate doctrinae veritatem miraculi, et ex veritate miraculi veritatem doctrinae dijudicamus. Sunt nempe doctrinae quaedam manifesto falsae: ut polytheismus, et quaecumque sive rationi, sive revelationi clare opponuntur, quarum veritatem nulla umquam miracula comprobabunt: sunt quoque doctrinae evidenter verae, quae se ipsas quodam modo demonstrant, quales multae in jure naturae reperiuntur; hae miraculis non egent, neque ab ipsis majorem evidentiam, nisi forte comparate ad rudiores, obtinere possunt; sunt denique doctrinae ex natura sua indifferentes, ac vel solum possibiles, vel vero probabiles etiam; atque his miracula pondus addunt, nobisque certam illarum veritatem patefaciunt. Ita moralis Christi doctrina nobis magna ex parte evidens est, fuissetque talis, tametsi nulla accessissent miracula; reliqua ejus doctrinae pars clare ad Dei gloriam, et ad constabiliendam inter homines virtutem tendebat: quum ob rem non modo possibilis, sed et quam maxime probabilis apparebat; at ut summa haberetur de ejus veritate certitudo, miraculis confirmanda erat. Verum omnia Servatoris prodigia in irritum cecidissent, si vel una doctrina ab eo traditae pars clare repugnans, aut quocumque modo aperte a veritate aberrasset. Ita fere hunc nodum Clarkius solvit (*Traité de l' exist. et des atrib. de Dieu, t. 3. c. 6.*

Multitudo; effectus nimirum mirabiles, qui frequentissime, et fere continenter eduntur, divinae originis esse dubitari non potest; continuam enim repetitionem eorum, quibus homines etiam ex rationis praescripto judicium ferentes in errorem induci possunt, admittere cum infinita Dei bonitate, et providentia minime congruit. Inde magi in Ægypto portenta sua praestigiosa, quae veris Moysis miraculis opposuerunt, diu continuare nequiverunt; ubi contra a Moyse, Christo, Apostolis, eorumque successoribus prodigia et plurima, et continenter, et longo tempore edita sunt. *Sane, ut scribit Genuensis, numquam falsa miracula in falsae doctrinae comprobationem facta, et quidem continenter, ac perpetuo facta legas, ut in eorum suspicionem homines venire numquam potuerint. Providentiae enim divinae illud est, quod enunciat Cicero: commenta delet dies.*

AB EFFECTU NATURALI ANGELI?

5. Verum denique miraculum discernendum est ab effectu mirabili, quem bonus angelus viribus suis naturalibus, et secundum lege, sibi a Conditore suo praestitutas agens aliquando producere potest. At vero id certo definire omnino difficillimum; ignoramus enim, quid vires angelorum naturales valeant, quid forte recusent; ignoramus, quae ipsis leges constitutae sint. Id tamen dubio caret, non posse ipsos vi sua naturali quidpiam contra generales naturae universae leges moliri, ac eas praecipue, a quibus omnis hominum prudentia, consiliumque pendent.

Quod ad miracula Christi Domini attinet, ea fuisse opera vere divina certi sumus, propterea, quod ipse iis ad comprobandam suam divinitatem usus; et semet eadem efficere clare testatus est. Haec porro difficultas non magno est opere curanda: si modo morali certitudine constet, nihil cum malo genio negotii intercedere; angelus enim, seu vi sua naturali ut caussa principalis, seu ex speciali Dei jussione ut caussa ministerialis agat, nobis minime imponet. Quare si quando simili in casu falsum formaretur judicium, et effectus ab angelo naturaliter productus in miraculis haberetur, nullum eo ex errore damnum, aut incommodum vel contra cultum Dei, vel contra morum honestatem, sanamque doctrinam, vel contra externum reipublicae sive sacrae, sive profanae statum enasceretur. Atque inde ipsa Ecclesia, eum de aliquo in Sanctorum numerum referendo agitur, miracula, de quibus id genus unum oriri posset, tamen in locum legitimae probationis admittit, quod S. P. Benedictus XIV. testatur. Sed satis de his. Porro quæ adhuc de mundo, ac effectis tam naturalibus, quam supernaturalibus disserui, eo pertinent, ut supremi omnium Conditoris gloria magis semper, ac magis amplificetur (*De Canon. SS. l. 4. p. 1. c. 6. n. 11.*).

Finis Cosmologiae.

2568451

Digitized by Google

CONSPECTUS

ONTOLOGIÆ.

LIBER I.

SECTIO I.

De primis Demonstrationum Principiis.

SECTIO II.

De Proprietatibus entium maxime universalibus.

SECTIO III.

De Diversis entium speciebus.

Digitized by Google

LIBER II.

SECTIO I.

De Mundi Existentia.

SECTIO II.

De perfectione Mundi.

SECTIO III.

De Effectibus supernaturalibus, ac nominatim de Miraculis.

Digitized by Google

451

Digitized by Google

33

50

B.N.C. - FIRENZE
B.12.2.789

Digitized by Google

Digitized by Google